



11

Cide D. n. Fernando oviz Presv.º

Docen en sagrados Canones. <sup>13</sup> ~~1000~~

*[Large decorative flourish]*

John P. ...  
...


D



INSTITUTIONUM  
CANONICARUM

---

TOMUS I. LIBER I.



INSTITUTIONUM  
CANONICARUM

---

TOMUS I. LIBER I.



4361  
INSTITUTIONUM  
CANONICARUM  
LIBRI TRES

AD USUM SEMINARII NEAPOLITANE

AUCTORE

JULIO LAURENTIO SELVAGIO

PRESBYTERO NEAPOLITANO,

*In eodem Seminario Juris utriusque Lectore.*

QUAS DISCIPLINÆ, LEGIBUS, ET CONSUETUDINIBUS HISPANIÆ

ADCOMMODARUNT

*Theologiæ, ac Juris utriusque DD. SYLVESTER PUEÑO,*


*MATTHÆUS GIL DE SOLA THENORIO, et Licent. FRANCISCUS*

*XAVERIUS IÑIGUEZ, ANTONIUS ALOYSIUS GUAZO*

*ET MIRANDA.*

Editio nova Matritensis ceteris revera correctior.

TOMUS I. LIBER I.



MDCCLXXXIV.

---

Apud PLACIDUM BARCO LOPEZ in via de la CRUZ.

---

*SUPERIORUM PERMISSU.*

NM 95

R. 106

INSTITUTIONUM  
CANONICARUM  
LIBRI TERCI

AD USUM SEMINARII NEAPOLITANI

*Nolite errare, Fratres charissimi, Doctrinis variis, et peregrinis nolite abduci. En Instituta Apostolorum, et Apostolicorum virorum, Canonesque habetis. His fruimini. Julius I. Papa Ep. ad Episc. Orient.*

*Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare. Cælestinus P. Epist. III. Cap. I.*

(\*\*) *Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere Sanctas Scripturas admonentur, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum: Intende lectioni, exhortationi, doctrinæ: semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, et Canones, ut omne opus eorum in prædicatione, et doctrina consistat, atque ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina. Conc. Tolet. IV. Can. xxv. (\*) Idem præscribit II. Synod. Provinc. Neap. Tit. IX. Cap. V.*

Edizio nova Martiniensis ceteris tertia correctior.

TOMUS I. LIBER I.



MDCCCLXXIV.

Apud PASCIDUM BARCO LOPEZ in via de la Cruz.

SUPERIORUM PERMISSU.

# LECTORI.

*In Institutionibus Canonici Julii Laurentii Selvagii, quas eruditi omnes, Hispani præsertim, ad commodatissimas adolescentibus Juri Canonico imbuendis habuerunt; id unum desiderari videbatur, quod Ecclesiastica doctrina Legibus, moribus, et Conciliis Hispaniæ locupletata confirmaretur; non alia prorsus ratione, quam qua Selvagijs, uti Neapolitanus, Neapolitanorum Synodorum Canonibus, Legibus, Pragmaticis, ac consuetudinibus ejusdem Regni illam roboravit. Hanc ergo Provinciam ultro nos, et libentissime in gratiam Juventutis Hispanæ adgressi sumus, quod quum statim universæ pæne Nationi innotuisset, scimus non solum consilium nostrum summo opere fuisse laudatum, sed et anxie à Viris studiosis exoptatum, ut quantocius labores nostri publicam lucem aspicerent. Quo sane*

*tam fausto omine, quum nos ad id quod age-*  
*bamus, alacriores redditi fuissetus, hanc no-*  
*bis legem indiximus, ut eorum votis sine mo-*  
*ra ulla favere deberemus. Sed quum, ut ple-*  
*rumque fieri solet, laborum nostrorum quales*  
*quales illi sint, editionem multæ, gravissimæ-*  
*que caussæ, inopinatæ tamen, retardassent,*  
*medioque in cursu sistere cœpissent, tandem*  
*fortunante Deo, Institutiones jam è vadis, et*  
*scopulis emersas tibi offerimus, Scholiis non*  
*inutilibus, si nostra nos non fallat opinio,*  
*auctas, et exornatas. In unoquoque quippe*  
*Titulo Canonicam Disciplinam ab origine Ec-*  
*clesiæ Hispanæ repetimus, antiquis Canoni-*  
*bus, et Legibus Regni nostri comprobata,*  
*eandemque prout hodiernus habet usus, re-*  
*centibus Conciliis, Legibus, Pragmaticis, et*  
*consuetudinibus ejusdem Hispani Regni con-*  
*firmamus. Quin et in Diatriba Isagogica ex-*  
*pendere visum est nobis, quinam foret Con-*

*ciliorum Codex , qui quondam in Hispania vi-  
guit , posthabitis prorsus rationum momen-  
tis quibus Selvagius , uti extraneus homo , suam  
de hac re sententiam protulit. Neque enim  
in his ejusdem Selvagii judicio tantum dese-  
rendum existimabamus , ut in ejus deberemus  
verba jurare , et pedibus ire opinionem. Ita-  
que opiniones exoticas , et quas non magis  
ratione , quam aliorum Scriptorum auctori-  
tate ductus exposuerat , quia delere non licuit,  
notis explicamus. In Sanctorum Patrum auc-  
toritatibus , Conciliorum , necnon Juris utrius-  
que decissionibus , menda , quæ vel referen-  
dis , vel citandis irrepserant , delevimus , et  
suo , ut ajunt , fonti redintegrandis otii nonni-  
hil impendimus. Denique de hoc uno te moni-  
tum volumus , Scholia nostra , ut à Selvagii  
scriptis discernas , his signis (\*\* ) ( \* ) cir-  
cumscripta distingui. Lectorum nunc partes  
erunt de editione , ejusque additamentis judi-  
cium*

*cium ferre ; quod quidem in nos , laboresque  
nostros ( qui utinam Eruditorum opinione dig-  
ni sint ) satis æquum nobis pollicemur , si unus-  
quisque eorum , qui lecturi sunt , id certo sciat ,  
nos ea , quæ fuisse , ac sparsim tradebantur ,  
articulatim , presseque coadunasse , ac in no-  
vam methodum digessisse , ut Hispani Ju-  
venes proprii Juris præceptis facilius , feli-  
ciusque imbuantur .*

## P R Æ F A T I O.

**M**irari vel in ipso vestibulo subit, qua de causa veteribus, recentioribusque Canonicis Juris Institutionibus sane multis, ac politioribus quidem, novam hanc nostrarum accessionem non sine adolescentium studiosorum incommodo, atque etiam fastidio meditemur.

Verum alia nobis mens, consilium aliud: non enim quidquid in rem Canonicam undecunque derivari potest (quod quidem doctissimi quique non sine summa laude præstiterent) huc congerere cogitavimus; sed ecclesiasticis tantum adolescentibus id Canonici Juris solum proponere, quo et eorum mens potioribus principiis informaretur, et animus sanioribus regulis, quantum ad eorum munia satis est, imbueretur. Quod quidem aliter effici non posse credidimus, nisi Canonum et Historiam, et *σύνταξιν νέαν*, et *σκοπὸν* finem brevi quidem, at perspicua methodo persequeremur. Id vero non opportunum modo, ac proficuum, sed propemodum necessarium duximus.

Et quidem quantum ad Canonum Historiam, quem latet, aut etiam latuit, quam multa ex Historiæ Canonicæ ignoratione *σφαλμύματα*, atque errata defluerint, offusa spissa super Canones ipsos, eorumque sensum mentemque caligine? Quam multa etiam genuinis fallacia, integris interpolata, authenticis adulterata, vel imperitia, vel audacia, vel dolus, fraudesque admiscuerint? Quot Canones antiquis Conciliis, quod Placita veteribus Rom. Pontificibus, quot Sententiæ vetustis Ecclesiæ Patribus partim falsæ, partim dubiæ fidei, quamplures vero interpolatæ, et corruptæ adfectæ fuerint? Quid quod Synodi ex integro simulatæ, atque in medium allatæ sunt, quæ fucum facerent Historiæ imperitis?

Quæ quum ita sint, quisnam sinceram regulas ab *ψευδεπιγραφῶν*, quis disciplinæ ecclesiasticæ capita in Episcoporum cœtibus sancita ab inductis abusionibus discernet, nisi His-

toriae praesidio munitus? Si Canonum historiam ante oculos habuissent VII. ac VIII. saeculi nonnulli auctores, dubio procul putidae quaedam merces, vel nunquam in Ecclesiam fuissent invectae, vel ubi primum adparuissent, projectae, atque exsibilatae imposuissent, arbitror, nemini: nec istarum mala fraude tot perversi mores invaluissent, nec tantas ecclesiastica disciplina vicissitudines passa esset.

Profecto, ubi studium historiae, antiquitatumque christianarum resumtum est, veteresque Canones longa oblivione sepulti nocturna diurnaque manu versati, en statim et corruptis moribus obviam itum est, et disciplina Ecclesiastica primigeniae puritati maxima ex parte restituta. Adeo hinc vel maxime comprobatur quod scribit Tullius Lib. II. de Orat. cap. 66. *Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, Magistra vitae, nuntia vetustatis.*

Quod ad Canonum *σύνταξιν* nexum, primum in Canonibus Christianae fidei summam, moresque spectantibus nihil offendas absonum, nihil inconstans: omnes vero quotquot ab Apostolis ad hanc usque diem conditi sunt, ad unum mira consensione conspirant, arctissimo inter se vinculo continentur omnes. *Regula fidei una omnino est, sola immobilis, et irreformabilis*; Tertull. *de velandis Virginibus*. Quod enim Augustinus inquit: *Concilia priora posterioribus emendari*: Lib. II. de Baptismo cap. 3. tantum de disciplina, quae pro temporum, locorumque *περιστασις* *circumstantiis* mutationi est obnoxia, intelligendum est. Atqui etiam inter Canones disciplinam unice moderantes nexus quidam, re per gradus locorum, temporum, *περιστασις* *circumstantiarum* progrediente, est agnoscendus. Namque, uti recte observant Antonius Augustinus, Card. de Aguirre, et ipse Esperius *in Proleg. Juris Eccles. Paragr. II.* licet Ecclesia aliquando à veteri disciplina in Conciliis statuta, ac diu religiosissime servata recedere cogatur, ipsamque disciplinæ relaxationem tolerare, ac veluti dissimulare: id tamen non ita intelligendum, quasi non optet, quoad ejus fieri potest, ubi nondum est collapsa, solícite servari, collabentem sustineri, et collapsam restaurari. Immo ad hanc desidentis disciplinæ restitutionem totum Ecclesiasticæ reformationis opus tendere debere, et Episcoporum, Pastorumque curam, et laborem præ-



præcipue collimare ex Synodi Tridentinæ Decretis perquam manifestum est.

Id potissimum præ oculis habuit S. Carolus Borromæus (clarum nomen in Ecclesia Dei) in Diœceseos, Provinciæque Mediolanensis administratione, et redintegratione. Quæ in re ? quis unquam pium hocce SS. Præsulis studium, egregiumque propositum merita defraudavit laude? Quis non potius admiratus est ingentes labores, quos libentissime subiit, ut perficeret tantum opus? Nec profecto alia via, quam veteris disciplinæ æmulatione, ejusque revocandæ, quoad fieri poterat, studio in absolutissimam suæ Diœceseos instaurationem evasit Vir SS. Ecclesiamque Mediolanensem, quam corruptissimam acceperat, squalore, ac situ hac ratione detergo, integerrimam, nitidissimamque moriens reliquit.

Adhæc verissimum est recentiorum Ecclesiæ disciplinam à veteri, tanquam rivulum à fonte dimanare: immo plura novissimæ disciplinæ capita non sunt, nisi veteris vestigia, ac veluti reliquiæ, uti observant modo indicati Auctores. Quare sine veteris disciplinæ notitia plerique Ecclesiæ ritus, qui ab antiquis originem ducunt, obscuri prorsus, et inanes adparebunt.

Denique ex ipsa pristinæ rei Canonice cognitione verus Ecclesiæ spiritus percipietur in iis, quæ præfert recentior disciplina. Exterior enim disciplinæ facies mutari nonnumquam videtur, atque adeo relaxari, spiritus tamen idem semper est, et immutabilis perseverat.

Exemplo esse possunt veteres Canones de promovendis ad ordines, sancientes, ut non nisi vitæ integri, criminisque puri, quique stolam in baptismo acceptam nullo gravi fœdaverint scelere, flagitiove, sacris initiarentur. Profecto secutis temporibus Ecclesia ab veteris hac in re disciplinæ severitate recessit, quum et occultos peccatores exceperit, nec omne publicorum criminum genus ab ordinatione arceat; adhuc tamen eodem veluti spiritu acta expetit, summoque exoptat opere, ut quantum temporum vicissitudines patiuntur, antiqua illa disciplina servetur, animique integri, præcipue olim requisiti, inveterata pœnitentia locum nunc temporis subeat: uti ex Syn. Trid. aliisque deinceps celebratis Conciliis manifestum est.

*Canonum* *Ensis* *finis*. Quum enim in id semper Ecclesia incubuerit, ut invalescentibus morum corruptelis congruas opponeret medicinas; adhuc aliquando prudenti quadam *οικονομία* *οικονομία* mala quaedam dissimularet, vel leviora duntaxat fomenta adhiberet, ut commodiori tempore facilius, felicisque illis mederi posset: hinc profecto nemo non videt conferre quam quod maxime in occasionem conditi Canonis inquirere, temporumque rimari *περιβάσεις* *circumstantias*, ut inde vel *γυθία* *genuina* Canonum sententia eruat, vel Ecclesiae in iis condendis spiritus agnoscatur. Verba quidem Canonis corticem representant, ratio vero conditi Canonis, Præsulumque in eo sanciendo *συνός* *finis* disciplinae spiritum aperiunt. Exemplo sit Canon Nicænus VIII. quo Catharis, sive Novatianis ex schismate in Ecclesiae sinum redeuntibus post acceptam tantummodo manuum impositionem in clero permanere datum est: quæ conditio Donatistis quoque, ubi vellent in Ecclesiae unitatem denuo coire, proposita est. Profecto qui horum Canonum corticem inspexerit, violatam conclamabit antiquissimam Ecclesiae regulam, qua non hæretici modo, et schismatici, verum et quicumque aliqua nominis macula laborantes *ἀλλοτριὰ τὰ κείρους* *alieni à canone*, sive Irregulares habebantur. Verum ubi in Canonum *συνόδου* *finem* animum intenderit, profecto perspiciet Ecclesiam prudenti quadam *οικονομία* *οικονομία* in gratiam multitudinis in sinum Ecclesiae redeuntis, atque adeo ut iis, qui in schismate supererant, ad amplectendam Ecclesiae unitatem calcaria adjicerentur, veteris disciplinae rigorem tantisper remisisse.

Præterea ex recte perspecto Canonum *συνόδου* *finem* facile patefient veterum Collectorum, ipsiusque Gratiani *αγάλλματα* *errores* qui haud raro Canones iis speciebus applicarunt, à quibus erant alieni. Res clarior est, quam quæ demonstratione indigeat.

Postremo eadem methodo proum est veteres Canones ad novos emergentes casus applicare: id quod quamutilissimum est, ne in novis emergentibus quæstionibus à veritate aberremus. Enimvero secutis temporibus, quum veteres Ecclesiae Canones neglecti sint, et sophistica ratiocinandi methodus, contentiosaque in utramque partem edisserendi ratio

tio ex Theologia in rem Canonicam inducta fuerit, tot tamque perniciosæ in re Morali opiniones emerferunt: scilicet recentiores quidam casuum arbitri id negotii sibi sumserunt, ut morum regulas non ex Canonum præscripto, sed ex portentosis quibusdam humanæ rationis principiis definirent. Ex quo factum est, ut disciplina morum adeo instaurata non sit, ut potius primo desederit, deinde magis magisque delapsa, tum præceptis nonnullis in locis ire cœperit, donec ad ea tempora perventum est, quibus vitiorum remedia vix pati possent hujus furfuris homines. Profecto si antiquis vacassent Canonibus, ac in eorundem *συνόνυ* animum intendissent, congruas sane quibuscunque, vel de novo existentibus speciebus sententias invenissent.

Quæ quum ita sint, in his nostris Canonicis adornandis Institutionibus, Canonum Historiam, *Σύνταξιν nexum*, *συνόνυ finem* pro virili ante oculos habere satagemus. Ac primo Juris Canonici Communis-Neapolitani historiam, qua majori potuimus adcuracione perscripsimus. Tum in Operis progressu haud raro Historici partes egimus, Canones eodem de capite diversis temporibus perlatos fideliter exhibentes, ut inde unicuique Canonum nexus in conspectu esset: ac demum in Canonum *συνόνυ finem* inquirentes, eorundem rationes, occasionesque, cur conderentur, exposuimus, ut inde et Ecclesiasticæ disciplinæ spiritus patefieret, et singulis Canonibus propria species aptaretur, et simul ad novos emergentes casus legitime applicari possent.

Verum hisce bene, vel male præstitis iterum moneo, cave putes, eam nobis fuisse mentem, ut novas Rei Canonice Institutiones evulgaremus. Eo enim tempore scribimus, quo tum alibi, tum vel maxime Neapoli Viri sapientia, doctrina, ac eruditione clarissimi, et egregia Juris Ecclesiastici Elementa, et doctas de peculiaribus quibusdam Canonicis Capitibus Diatribas edidere: unde et publicæ Rei literariæ plausum sibi conciliarunt, cum quibus ego, qui nec usu satis, et ingenio parum possum, minime sum comparandus.

Verum in id duntaxat intendimus animum, ut adolescentes nostros onere, ac labore excipiendi, exscribendique dictata, præsertim postmeridianis horis, liberaremus; et

commodæ studiosis institutiones traderentur, quæ nec ita breves essent, ac jejunæ, ut sufficientem Canonum saporem indere non possent, nec nimis amplæ, quæ ab rei Canonice studio abstererent. Haud tamen diffitemur ab recens editis Virorum Cl. doctis, et laboriosis in re Canonica Commentariis haud pauca, quæ ad rem nostram faciebant, hausisse. Quamobrem ne ingrati animi nomine accusemur, maximas his gratias me agere profiteor, majores etiam habiturus.

Illud denique benevolos Lectores etiam atque etiam rogo, ut dum ista qualiacunque versant, si aliquando in errata offendant, vel in capita non eo ordine, et adcuratione, qua par erat, discussa, ne fiant Aristarchi, nec nasute distringant omnia: sed potius, quod Christiani Philosophi, civisque honesti proprium est, errantem admoneant, præsertim quum monitionem non modo æqui boni facere sim paratus, verum etiam monitoris in me meritum omnibus officiis, et grati animi significationibus protestari.

# INDEX TITULORUM

## LIBRI PRIMI.


### Diatriba Isagogica.

Pars I. <i>De Juris Canonici statu primigenio, sive arcano.</i>	Pag. 2.
Pars II. <i>De Juris Canonici statu adulto, sive publico.</i>	14.
Pars III. <i>De Juris Canonici statu senescente, sive arido.</i>	33.
Pars IV. <i>De Juris Canonici statu restaurato, et reslorescente.</i>	42.
Pars V. <i>De Juris Canonici statu expolito, et ad primævum candorem, qua fieri potuit, restituto.</i>	62.

## LIBER I.


Titulus I. <i>De Jure Divino naturali, et positivo.</i>	73.
Titulus II. <i>De Jure Canonico, ejusque definitione.</i>	86.
Titulus III. <i>De Juris Canonici partitionibus.</i>	89.
Titulus IV. <i>De Conciliis.</i>	101.
Titulus V. <i>De promulgatione Legum Ecclesiasticarum.</i>	124.
Titulus VI. <i>De interpretatione, derogatione, et abrogatione Canonum.</i>	130.
Titulus VII. <i>De jure Personarum.</i>	138.
Titulus VIII. <i>De prærogativis, et privilegiis Clericorum.</i>	149.
Titulus IX. <i>De Summo Pontifice.</i>	166.
Titulus X. <i>De S. R. E. Cardinalibus.</i>	174.
Titulus XI. <i>De Legatis Ecclesiasticis.</i>	180.
Titulus XII. <i>De Patriarchis, Exarchis, et Primatibus.</i>	183.
Titulus XIII. <i>De Metropolitibus.</i>	193.
Titulus XIV. <i>De Pallio Metropolitico.</i>	206.
Titulus XV. <i>De Episcopis.</i>	209.
Titulus XVI. <i>De Chorepiscopis.</i>	223.
Titulus XVII. <i>De Coadjutoribus.</i>	225.
Titulus XVIII. <i>De Sacra Episcopali Visitatione.</i>	229.
	Ti-

Titulus XIX. De Electione , Confirmatione , et Consecratione Episcoporum.	237.
Titulus XX. De Translatione , Renuntiatione , et Depositione.	263.
Titulus XXI. De Presbyteris , et Parochis.	270.
Titulus XXII. De Diaconis , et Diaconissis.	279.
Titulus XXIII. De Subdiaconis , aliisque inferioribus Ordinibus.	283.
Titulus XXIV. De Jure promovendi ad Ordines.	292.
Titulus XXV. De Canonicis , et Vicario Capitulari.	312.
Titulus XXVI. De Dignitatibus , Personatibus , et Officiis.	322.
Titulus XXVII. De Vicario Generali Episcopi.	339.
Titulus XXVIII. De Vita , et honestate Clericorum.	343.
Titulus XXIX. De Cœlibatu Clericorum.	366.
Titulus XXX. De Irregularitatibus.	370.
Titulus XXXI. De Ascetis , Monachis , et Regularibus.	382.



Titulus VI. De interpretatione , derogatione , et abrogatione Canonum.	130.
Titulus VII. De Jure Personarum.	138.
<b>ERRATA SIC CORRIGE.</b>	

Pagin. 2. lin. 5. scientiarium , lege scientiarum.	140.
Ead. pagin. lin. 6. pene , lege pœne.	140.
Pagin. 6. §. X. n. 2. lin. 2. utimodo , leg. uti modo.	174.
Pagin. 8. n. 3. lin. 7. Constantinopolit. lege Constantinopolit.	180.
Eod. num. lin. 10. quæ num. IX. lege quæ num. X.	183.
Pagin. 14. lin. 17. Bihtynia , lege Bithynia.	198.
Titulus IX. De Jure Divino naturali , et positivo.	73.
Titulus II. De Jure Canonico , ejusque definitione.	86.
Titulus III. De Jure Canonico partitionibus.	89.
Titulus IV. De Jure Canonico personarum.	101.
Titulus V. De Jure Canonico personarum.	101.
Titulus XIV. De Pallio Metropolitico.	200.
Titulus XV. De Episcopis.	200.
Titulus XVI. De Chorëpiscopis.	223.
Titulus XVII. De Conquistatoribus.	225.
Titulus XVIII. De Sacra Episcopali Visitatione.	229.



**DE JURIS CANONICI**  
**ORTU, ET INCREMENTO.**

---

**DIATRIBA ISAGOGICA.**

I. **Q**uemadmodum fluminis cujuscunque inundantes aquas longo in cursu dirigere, et ad libellam componere, iis tantummodo datum est, qui fontes, occultasque scatebras, unde in flumen rivulus exerescit, liquido pernoscunt; ita prorsus rectam Juris Canonici intelligentiam habere, ejusque callere auctoritatem, is tantum poterit, qui partes omnes, quibus idem jus constat, et tempora, quibus eadem partes vel in unum coaluerunt, vel nova in dies sumserunt incrementa, vel quandam quasi rubiginem contraxerunt, vel denique ad pristinum pervenere nitorem, oculis veluti in tabula explicata subjiciet. Idcirco mihi Juris ejusdem elementa tradituro illud præcipuum videtur, ipso in limine subsistere aliquantulum, et Canonici Juris universi fontes omnes, ac recessus intento veluti digito præmonstrare, ut scaturientes ab initio, ac subinde decurrentes aquas Canonicæ disciplinæ diligenter haurire, et puras à lutulentis, fluvios à torrentibus discernere facillime quisque possit.

II. Ut autem institutum hoc nostrum ordine exigatur, et in brevitate claritas fulgeat, integram Juris Canonici historiam per octodecim ferme sæcula digestam ad quinque *chronologicas periodos*, sive status redigemus; adeo ut Juris Canonici statum veluti per ætates distinguamus: 1. alium *Primigenium*, sive *Arcaenum*, dum Ecclesia persecutionibus undique quateretur, viguit-

que per tria post Christum sæcula ad annum usque CCC. Alium 2. *Adultum*, sive *Publicum*, dum Ecclesia pace per Christianos Principes frueretur, et per quatuor sequentia sæcula adolevit, scilicet ad annum usque DCC. Alium 3. *Senescentem*, et *Aridum*, quum scientiarum, optimarumque artium fontes barbaries densa caligine obduxerat, viguitque per quatuor quæ pene secuta sunt sæcula, scilicet ad annum usque MC. Alium 4. *Restauratum*, et *Reflorescentem*, quum nempe barbariei pulsa caligine novus litterarum dies eluxit, excrevitque quatuor aliis, quæ deinceps effluxere sæculis, scilicet ad annum usque MD. Ultimum denique 5. *Expolitum*, *Ornatumque*, et *ad primævum, qua fieri potuit, candorem restitutum*, dum litterarum felicitas longe, lateque per Europam penitioris sapientiæ studio propagato occupavit, perque tria sequentia sæcula floruit ad currentem scilicet usque annum MDCCLXX.

III. Hac igitur posita temporum vicissitudine, pronum est intelligere illam Canonum intemeratam puritatem, illam Ecclesiasticæ Disciplinæ in nonnullis varietatem, illam Canoniarum Collectionum non semper æquam diligentiam, illam denique in Ecclesiasticis viris studii Canonici necessitatem. *Nulli Sacerdotum ad Episcopos per Apuliam, et Calabriam constitutos scribit Cælestinus Papa, liceat sacros Canones ignorare.* Et Syn. Tolet IV. Can. xxv. edicit: *Sciunt Sacerdotes Scripturas Sanctas, et Canones, ut omne opus eorum in doctrina, et in prædicatione consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.*

## P A R S I.

### De Juris Canonici Statu Primigenio, sive Arcano.

I. **S**i licet profanis sacra quandoque componere, ut inde lux aliqua rebus ipsis Ecclesiasticis adfulgeat, dicendum profecto est, simili quadam ratione, diversa longe licet origine, et Jus Civile, et Jus Canonicum ortum habuisse suum. Constat enim Romanum Populum conditæ Urbis initio *sine lege certa, sine jure certo egisse.* Pomponius, *Leg. 2. §. 1. Dig. de Orig. Jur.* Id quod non eo sensu intelligendum, quasi nulla actionum norma tunc temporis usi sint Romani. Quomodo enim illa latronum, et à patriis penatibus extorrium colluvies poterat ulla sine lege in societatem coales-



cere? Sed quod nondum apud Romanos *in scriptura relata erant jura*, ut adposite ait Dionysius Halicarn. *Antiqu. Lib. X.* Pomponio enim Jus certum est, *Jus scriptum, lex suffragiis lata*. Unde idem est dicere, *sine lege certa, sine certo jure egisse primum Romanos, ac sine lata lege, sine jure scripto vixisse*. Hæc Rom. Populus initia cum gentibus plerisque communia habuit, uti Tacitus *Annal. Lib. III. cap. 26.* Trogus Pompejus *in Justini Breviar. Lib. I. cap. 1. et Lib. IX. cap. 7.* Porphirius *περί ἀποχῆς Lib. III.* luculentissime docent.

II. Verum quum in nova potissimum civitate permulta inciderent, quæ regulis indigebant, ut apte componerentur, qui fieri potuit, ut recens condita Urbs sine legibus pacem coheret, sociosque haberet concordēs? Pomponius, qui nodum protulit, ipse solvit: ibidem enim subdit: *apud Romanos omnia initio manu à Regibus gubernata esse*; seu ut Dionysius Halicarn. *ibid.* clarius rem aperit: *Jus à Regibus constitutum pro lege erat*. Nam quoties nova, ac inopinata inciderent, toties Reges ipsi erant *νόμος ἑμφύλιος viva, ac spirans lex*, uti loquitur Philo de *Vita Mos. Lib. II.*

III. Quæ quum ita sint profecto facile cuique erit videre similia prope fuisse Canonici Juris initia. Et sane Christus Dominus, uti suo loco observabimus, neque leges scripsit ulla, neque præcepta, quæ suæ tradidit Ecclesiæ, ut in scripturam redigerentur, unquam præcepit. Tum Apostoli nonnisi pluribus ab Christi *ὑψώσασαι* *adscensione* annis, atque adeo peculiariibus quibusdam datis occasionibus, quas Eusebius *Lib. II. cap. 3.* recenset, sacros novi foederis libros conscripserunt. Igitur principio fideles veluti manu ab Apostolis, Apostolicisque viris regebantur. Atqui 1. id patiebatur primævus Doctrinæ Evangelicæ candor, ac fervens Christianorum caritas: 2. id etiam ferebat primæva Christianæ Ecclesiæ conditio: graves enim, quibus exagitabantur, tyrannorum persecutiones in causa erant, cur Episcoporum cœtus *σύνδοσι* græce, latine *Concilia* dicti, ad canones condendos rarius cogerentur: 3. id tandem postulabat ipsa cogendorum conventuum ratio; qui enim sive ad disciplinam excolendam, sive ad ipsam Sacram Synaxim celebrandam agebantur, ipsos nonnisi noctu clam secreto, ac plerumque sub cryptis, sub antris, sub locis subterraneis subductos oculis hominum, subtractos lumini solis Christianos habere oportebat; et quidem ad intentatam sibi capitalem poenam devitan-

tandam. Quamobrem non abs re Juris Canonici statum, qui per tria priora sæcula mansit, *Primigenium*, sive *Arcanum* nominare lubet.

### De Synodis Apostolicis.

IV. Jam vero hoc haud ita intelligas velim, ac si nunquam per illud temporis, vel controversiæ in Ecclesia excitatæ fuerint, vel Episcopi ad illas sedandas, ubi opportuna sese offerret occasio, in unum convenerint. Apostolos enim ipsos ad res Ecclesiæ pertractandas ter Hierosolymis conventus egisse in Actis Apostolorum legimus: 1. quidem statim ut Christus in cælum ascendit, quo duobus communi suffragio delectis, constitutisque discipulis, alter præ altero in locum Judæ proditoris divino indicio electus est: *Act. I.* 2. quo septem Diaconi ab Apostolis electi sunt: *Act. VI.* 3. denique, quo gentilibus indultum est, ut à circumcissione, Mosaicisque ceremoniis neutiquam obstringerentur.

V. Franciscus Turrianus Jesuita Synodum quandam nobis exhibet Antiochiæ ab Apostolis habitam, in qua novem canones perlati sint. Atqui Synodus hæc, quippe quæ veteribus omnibus ignota, adhæc plurima complectatur ab Apostolica ætate, atque adeo à prioribus Ecclesiæ sæculis prorsus aliena, tanquam *ψευδηνύστατος supposititia* omnino rejicienda.

VI. Qui Apostolis successere Episcopi christianam plebem suæ curæ commissam nonnisi sacrarum litterarum auctoritate, apostolicisque institutis moderabantur. Apostoli enim Episcopis, ac Presbyteris à se ordinatis non modo haud pauca fidei dogmata tradiderunt, quæ scriptis non consignaverant, verum et nonnullas præceptiones curam animarum, Ecclesiæque politiam spectantes docuerunt, quæ longo tempore hominum memoria conservatæ sunt. Unde in controversia de Paschatæ utraque pars traditionibus apostolicis, altera Petri, et Pauli, altera Joannis, et Philippi ad sententiam adstruendam suam utebantur.

(\*\*) VII. His quoque litteris instituebantur Hispaniarum Episcopi, et Presbyteri; his doctrinis Populum instituebant. Subortas, si quando controversias, vel ipsi cum Presbyteris Episcopi, vel in unum collecti Comprovinciales dirimebant, expetito nonnunquam à celebriori ex vicinioribus Episcopis consilio.

Id nobis aperte indicat, quod in causa Basilidis, et Martialis evenisse, refert Cyprianus *Epist. LXVIII.* qui de ordinationibus Episcoporum ab Hispaniarum Ecclesia interrogatus, respondet, non se ad scriptas canonum sanctiones conferens, sed ad illud, *quod traditione divina, et Apostolica observatione tenebatur.* (\*)

*De Canonibus sic dictis Apostolicis.*

VIII. **C**anones vulgo dicti Apostolici diu quidem à plerisque tributi Apostolis; hodie vero ex communi pæne eruditorum sententia Apostolis abjudicati sunt. Id quod cum pleraque, tum hæc maxime produnt argumenta.

1 Si Apostolorum essent genuini in Sacrorum Librorum Canonem relati fuissent; id quod neutiquam factum invenitur.

2 De iis Eusebius, Hieronymus, et quotquot veterum Scriptorum, maxime qui Apostolorum opera diligenter percensent, nunquam meminerunt.

3 Multa illis continentur adeo perspicue, dilucideque explicata, ut ambigi de eorum sententia nequeat, quæ tamen tertio, quartoque sæculo magna animorum contentione disceptata sunt. Speciminis loco hic proferi possunt Canones XLV. et XLVI. quibus baptisma ab hæreticis collatum irritum decernitur; Canon VII. quo poenæ iis edicuntur, qui Pascha cum Judæis celebrant: Canones demum XXI. XXII. XXIII. quibus in eos, qui seipsos evirant, severe animadvertendum præcipitur. Porro prioribus Ecclesiæ sæculis his de capitibus quantæ, quamque graves in Ecclesia exarserint controversiæ, neminem latere arbitror.

4 Demum veteribus qua græcis, qua latinis sublestæ fidei fuere. De ipsis Photius in Præfat. Nomocanonis hæc habet: *Etiamsi nonnulli quibusdam causis moti eos pro dubiis habuerunt.* Tum ipse Photius: *Canones, qui dicuntur Apostolorum.* Tum Dionysius Exiguus *Præf. Collect.* Hincmarus Remensis in *opusc. advers. Hino. Laud.* Leo IV. *Epist. ad Episcop. Britann.* ac demum Isidorus ipse Mercator *Præf. suæ Collect.* eosdem à nonnullis tanquam rejectos aperte indicant. Diserte vero Ratherius Veronensis *ad Hubertum Parm. Spicil Dacher. tom. II. pag. 171.* In *Canonibus Apostolorum*, inquit, *si tamen eos, ut apocryphos non respuis.*

IX. Jam vero ambigendum non est, ejusmodi Canones licet Apostolis falso tributos, ab Apostolicis tamen, Catholicisque Episcopis in Synodis per tria priora sæcula habitis fuisse conditos. Profecto disciplinam tunc temporis in Ecclesiis præsertim Orientalibus obtinentem exhibent; id quod ex toto Canonum corpore manifesto evincitur.

Et sane 1 Can. vii. sancitur, ne quis sanctum Paschæ diem ante vernale equinoctium cum Judæis celebret: atqui istud, ut mox observabimus, altero Ecclesiæ sæculo pluribus in Synodis statutum est; uti in Cæsariensi, Osdroena, Corinthiaca, aliisque.

2 Canonibus xxi. xxii. xxiii. vetantur æque Clerici, ac laici sibi virilia amputare: profecto occasione Origenis hac de re in Episcoporum cœtibus actum fuisse sat probabile est.

3 Canonibus xlv. et xlvi. reprobatur, ut invalidus, baptis- mus ab hæreticis collatus: at hoc in Synodis Asianis sub Firmiliano statutum nullus ignorat.

4 Canones l. et liii. præcipiunt, ne quis carne, vel vino propter abominationem abstineat. Hi dubio procul adversus Manichæos conditi sunt, aliosque hæreticos, qui vino, et carne abstinendum docebant, quippe quæ à Principe malo creata essent. Plura adferri possent; at hæc speciminis loco satis sunt.

X. Quorsum igitur Apostolis tributi? quæret fortasse quispiam. Fortasse primum *Apostolici Canones* dicti sunt, vel ab antiquitate, vel potius quod ab Apostolorum successoribus statuti, qui teste Tertull. de Præscriptionibus, cap. 32. *Apostolici viri* nominabantur. Deinde nonnullorum latinorum oscitantia aliquot litterarum detractio *Apostolorum* dicti. Adhæc neuti- quam ambigendum eosdem auctos postea fuisse, atque anti- quis recentiores adjunctos, eodemque volumine comprehensos, quod quidem confirmari tribus maxime rationibus potest.

1 Quod iis, qui eorum meminerunt, auctoribus non unus aliquis constans Canonum numerus sit, sed quinquaginta nonnunquam, plures alias, aut pauciores censeantur.

2 Ex ipsa Canonum serie manifesto adparet alios aliis sæculis factos esse, quod, utimodo vidimus, controversias dirimant eas, quæ variis sæculis contigere. Adhæc Canon de admittendis ad pœnitentiam lapsis ante Cyprianum sancitus esse non potuit, quum alius esset Ecclesiæ usus, et in illa demum

tem-

tempestate admittendos esse lapsos indultum sit. Demum aliquot ex consequentibus è Gangrensi, aliisque iv. sæculo habitis Synodis desumptos esse, ex ipsa lectione liquet.

3 Denique ratio ex eo desumitur, quod Græcis mox fuerit uno, eodemque quasi titulo, et volumine, tum antiquos Canones complecti, tum recentes, nulla Concilii, temporis, auctororumque mentione facta; quique præcedentibus addebantur, tacito ordine, numeroque, quem in Conciliis, unde decerpebantur, habebant, ab iis ordinem, numerumque accipiebant, quibus in illa collectione adjiciebantur. Ita Vir cl. Gabriel Albasp. *Lib. I. Observ. 13.*

XI. Eosdem Canones respexisse videntur Concilia Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Antiochenum, Alexander Episcopus Alex. Athanasius, aliique veteres, ubi antiquos Canones τὰς παλαιὰς κανόνας ἀρχαίως κανόνας, et antiquas leges τὰς παλαιὰς θεσμίς memorant.

Et sane 1 Canon v. Nicænus, quo statuitur, ne quis sive Clericus, sive laicus ab uno quodam Episcopo excommunicatus, recipiatur alio, et quidem κατὰ τὴν κενύνα secundum Canonem profecto concors est Canonì Apostolico xxxi.

2 Canones Nicæni ix. et x. quibus lapsis ad Clerum aditus præcluditur, quod istud κανὸν ἐκκλησιαστικὸς Canon Ecclesiasticus præscribat, prorsus consonant cum Apostolicis xviii. xxi. et lx.

3 Canonibus xv. Nicæno, et xxi. Antiocheno reprobatur consuetudo παρὰ τὴν κενύνα præter Canonem aliquibus in locis admissa; nimirum ut Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi de una in aliam migrent Parœciam. Atqui idem exhibent Canones Apostolici xiii. et xiv. Eosdem etiam spectare videtur κανὸν Ἀποστολικὸς Canon Apostolicus Alexandro Episcop. Alex. *Epist. ad Alexandrum Constantinopolit.* et Constantino M. *Ep. ad Eusebium Cæsareensem* memoratus.

4 Denique Canon ix. Antioch. quo statuitur convenire, ut Episcopi per singulas regiones noscant Episcopum Metropolitanum solitudinem gerere totius Provinciæ, et quidem secundum antiquam à Patribus constitutam regulam κανὸνα, profecto adeo convenit cum Apostolico xxxiii. ut eundem transcripsisse videatur.

XII. Porro non desunt ex eruditis, qui censeant dictos Patres non Canones sic dictos *Apostolicos*, sed antiquos duntaxat Ecclesiarum mores spectasse. Id quod non levibus adstruunt conjecturis. Præcipuæ sunt.

1 Veteribus mos fuit non minus regulas scriptas, quam Ecclesiastica tantummodo consuetudine obtinentes Canonis nomine adpellare.

2 Non semper ac in monumentis iv. sæculi confirmantur, et laudantur antiquæ regulæ, ex adverso Apostolici Canones respondent eandem doctrinam continentes. Id constat ex Canonibus Nicæno xiii. et Ancyrano xxi.

3 Demum nonnulli ex Canonibus sic dictis *Apostolicis* putam iv. sæculi doctrinam produunt. Uti e. g. Canon XLIX. quo trinæ immersionis ritus in Baptismate præcipitur. Non enim alii in Ecclesiastica historia occurrunt hæretici, qui non trina, sed unica immersione baptizarent in Christi mortem, quam Eunomiani. Socrates *Lib. I. cap. 14.* Theodor. *Lib. IV. hæretic. fabular. cap. 3.* Synodus Constantinopolit. *I. Can. VII.* At Eunomiani nonnisi post annum 337. exorti sunt. Verum ejusmodi conjecturas tanti non esse, ut à nostra sententia recedamus, facile demonstrant, quæ num. IX. cum Alasp. observavimus. Nam consuetudines ipsas Canonum nomine decoratas adfirmari potest, probari non potest: tum quos præ oculis Patres in Synodis habuere, non omnes præ manibus, non hodie habemus, ut singulos singulis respondere facile videamus; denique trinæ immersionis Canon Canonibus Apostolicis serius quidem quarto sæculo insertum se prodit; at consuetudinem eo nomine vocitatum non docet.

XIII In definiendo quo primum tempore, atque auctore Apostolici Canones in unum collecti fuerint, mirum quantum inter se discrepant eruditi. In hoc capite excutiendo non vacat immorari; duntaxat veri quod similis est juvat efferre. Profecto iv. exeunte sæculo illa *συλλογή Collectio* adornata videtur, et Canones in ea comprehensi tunc primum ut Apostolici laudati. Ea namque ætate Nectarius Patriarcha Constantinopolit. in Synodo Constantinopolitana an. 394. ad Canonem Apostolicum LXXIV. respiciens ait: *Sicut etiam Canones Apostolici definire.* (\*\*). De his quales quales sint, neque vel hiscunt Concilia nostra; quocirca eos nunquam tanquam authenticos Hispaniam agnovisse putamus. (\*)

## De Constitutionibus sic dictis Apostolicis.

XIV. **A**d Constitutiones sic dictas *Apostolicas*, quod at-  
tinet, brevius me expediam. Has enim falso Apostolis tri-  
butas eadem pæne demonstrant argumenta, quæ Canones  
sic dictos *Apostolicos* *ἁποστολικὰς* probant. Quibus addes

1 Sabbati solemnem celebrationem constituunt æque, ac  
diei dominicæ: VIII. 33. quum contra Justinus M. diserte  
testetur *Apologia II.* Sabbati religionem passione dominica  
fuisse abolitam, nec christianorum conventus alio die fieri,  
quam die solis, sive dominica.

2 Jacobum Zebedæi filium Concilii Hierosolymitani his-  
toriam narrantem inducunt, Constitutionesque ipsas cum  
Apostolis condentem: VI. 14. et 27. At Jacobus ante Con-  
cilii Hierosolym. tempora ab Herodis gladio interfectus est:  
*Act. XII.*

3 Inter libros in Ecclesia legendos S. Joannis Evange-  
lium recensent. At quando Evangelium à Joanne scriptum  
est, Apostoli jam mortem obierant.

4 Demum plura in Constitutionibus statuta leguntur,  
quæ nonnisi sola traditione primis sæculis fuisse in Eccle-  
sia servata aperte testantur Tertullian. *Lib. de præscrip-  
tion.* et Basil. *Lib. de Sp. S. cap. 27.*

XV. Auctorem quod spectat, ac tempus, quo primum  
prodierint, non una est eruditorum sententia. Jam vero fa-  
cile illis adsentior, qui censent Constitutionum *συλλογὴν Col-  
lectionem* ex legibus, moribus, ritibus, ac liturgiis, qui-  
bus prioribus sæculis sub Ethnicis Imperatoribus diversæ  
Orientis Ecclesiæ regebantur, fuisse compactam, quibus  
deinceps haud pauca quarto sæculo accesserint.

Et sane 1. Lib. I. cap. 14. et 15. plura legere licet ad-  
versus eos, qui pœnitentibus veniam denegandam blas-  
phemant. Hæc profecto adversus Novatianos, aut Monta-  
nistas fuisse sancita vero simile est.

2 Quæ Lib. V. cap. 6. de Carminibus Sibyllinis, et Ave  
Phœnice referuntur, ad certiore, et augustiorem resur-  
rectionis propter Ethnicos demonstrationem producta non  
abs re dici possunt.

3 Ejusdem Lib. cap. 16. Christiani non amplius cum Judæis Paschatis festum agitare jubentur : at hoc nonnisi exeunte sæculo II. proculdubio constitui cœptum est.

4 Ibidem etiam scribitur Judæos in Paschatis celebratione uti *calculo*, quem *putant se recte ponere*. Id quod nonnisi post Judæos tota Judæa expulsos contingere potuit: quoad enim ipsis licuit in Judæa habitare non ex cyclo- rum calculo, sed juxta vulgatissimum apud ipsos axioma Pascha ex visione lunæ celebrandum erat.

5 Lib. II. cap. 57. habetur descriptio Ecclesiæ cum Pas- toporphoriis ex utraque parte, navis instar cum Episcopi solio, presbyterio, &c. At constat nonnisi quarto sæculo, vel me- dio tertio ad summum, quando Ecclesia sub Gordiano, et Philippo pace fruebatur, ejusmodi ædificia construi cœ- pisse.

6 Demum duplex in Constitutionibus exstat Liturgia, una brevior *Lib. II.* prolixior altera *Lib. VIII.* At una ab altera plurimum differt : tum utriusque partes conveniunt cum fragmentis Liturgiæ, quæ supersunt apud Pa- tres III. et IV. sæculi, præsertim Justinum, Cyprianum, Ba- silium, Chrysostomum, Cyrillum Hierosolym. &c. uti plu- ribus demonstrat Petrus le Brun *Tom. II. Diss. I.*

XVI Postremo illud hic omnino animadvertendum Aposto- licas Constitutiones, ubi primum adparuerunt, nihil adver- sus fidem habuisse; id ex Epiphaniæ loco *Hæres. LXX. n. 10.* perspicuum est. Verum deinceps pluribus mendis foedatæ sunt; id quod tum ex veteribus Auctor Synopsis Athanasianæ, Patres Trullani, et Zonaras, tum ex re- centioribus Lupus, Natalis Alexander, Perronius, aliique notarunt.

### *Diversa Synodorum genera.*

XVII. **A**ntequam de Synodis prioribus Ecclesiæ sæculis ce- lebratis sermo instituatur, juvat hic paucis in antecessum diversa Synodorum genera explicare de iisdem suo loco fu- sius acturos.

XVIII. Synodi igitur vel sunt Œcumenicæ, sive Genera- les, vel Nationales, vel Provinciales, vel Diœcesanæ.



Generales sunt, in quas totius Catholici Orbis Episcopi Roman. Pontificis auctoritate conveniunt.

Nationales, quæ à Patriarcha, vel Primate accitis Archiepiscopis, et Episcopis suæ ditioni subjectis celebrantur. Hæ aliquando *Universales*, et *Plenariæ* dictæ sunt.

Provinciales, quæ à Metropolitans convocatis suæ provinciæ Episcopis, et Abbatibus fiunt. Diocesanæ demum, in quibus Episcopus cum Presbyteris, aliisque suæ Dioceseos Clericis, quæ ad christianæ plebis regimen pertinent, collatis consiliis decernunt.

*De Synodis II. ac III. Ecclesiæ sæculo celebratis.*

XIX. **A**ltero exeunte Ecclesiæ sæculo nonnulla unius duntaxat Provinciæ, vel Nationis Concilia habita sunt: uti Romanum sub Victore, Gallicum sive Lugdunense sub Irenæo, Ponticum, Osroenum, et Achaicum. In his teste Eusebio *Lib. V. cap. 22.* Romana consuetudo celebrandi Paschatis Dominica ad Martii plenilunium sequente comprobata est. At contra Asiana Synodus sub Polycrate Paschâ more hebraico celebrandum decrevit: Euseb. *ib. cap. 23.* Ad idem fere tempus celebrata quoque sunt Concilia Hieropolitanum adversus Montanum, et ex Baluzii sententia Pergamense adversus hæresim Colorbasii.

XX Tum tertio sæculo plura habita sunt Concilia. Præter nonnulla adversus hæreses, præsertim Berylli, Privati, et Pauli Samosatensis præcipua sunt.

1 In quæstione de *Baptismo hæreticorum* Africanum sub Agrippino, Iconiense in Phrygia, Synadense in Asia, et tria Carthaginensia sub Cypriano. In his Rebaptizantium error probatus. At contra in Romano sub Stephano Apostolica traditio confirmata est.

2 In quæstione de *Lapsis* quatuor Romæ habita sunt sub Aniceto, bina Carthagine, et unum totius Africæ plenarium; in his æque adversus Libellaticos, ac Novatianos statutum est, lapsos tempore persecutionis nonnisi post peractam pœnitentiam recipiendos.

3 Demum de *instituenda, reparandaque Ecclesiæ disciplina*

*plina* actum est in Synodis Romana sub Cornelio, Carthaginensibus sub Cypriano Cæsareensi, aliisque. Verum Synodorum hactenus recensitarum non supersunt nobis, nisi fragmenta: quod et aliis pluribus venerandæ antiquitatis monumentis fere accidit.

XXI. Prima Synodus, cujus Canones ad nos pervenere, est Illiberitana Regni Granatensis quarto ineunte sæculo habita, præsentibus Episcopis Ossio Cordubensi, et Valerio Cæsaraugustano. Verum non desunt, qui suspicantur dictos Canones *συλλήθην* Collectionem potius esse Canonum, qui in Conciliis Hispanicis per ea tempora habitis conditi fuerunt. Videsis Carolum Berardi in *Grat. Decret. Part. I. cap. 2.* (\*\*). Quin et Ossium, et Valerium Illiberi non præeedisse, sed tantum inter alios Episcopos adfuisse, eruditi non pauci gravioribus fortase rationum momentis adfirmant. (\*)

(\*\*) XXII. Varia fuit de hac Synodo Illiberitana doctissimorum hominum opinio. Eam vero multiplici eruditionis copia præclarissimus Ferdinandus de Mendoza ab illegitimitatis, et superstitionis nota vendicavit. Quantum vero ad illegitimitatis argumenta, quæ excogitarunt recentiores, pauca hic lubet adjicere. (\*)

(\*\*) XXIII. Profecto Berardus in *Gratian. Part. I. cap. 2.* licet Canones xxxiv. et xxxvi. ab hæresis, et superstitionis notis vendicarit, alia sibi blanditur invenisse *graviora rationum momenta, ex quibus vir prudens de eorundem Canonum fide, atque integritate hæsitabit.* 1. *Quod nemo ex Collectoribus antiquissimis, ne unum quidem Illiberitani Concilii Canonem Codicibus suis inseruerit; imo neque Martinus Bracarenensis, licet gente Hispanus, quique res saltem patriæ suæ Collectioni adjicere debuisset.* 2. *Quod tempore Iconoclastarum hæresis, nullus ex hæreticis meminisset Canon. XXXVI. quem tamen potuissent in propriam sententiam quoquomodo detorquere.* (\*)

(\*\*) XXIV. Verum quis jam (bone Deus!) vel accuratissimo scriptori fidat, quum Berardus ipse, qui paulo ante in Præfatione *Observat. V.* Martinum Bracarensem dixerit Pannonem, mox ipsum et gente, et patria Hispanum reddiderit? At hæc levissima quidem sunt. Ad primum quod spectat rationis momentum cedo. Quisnam ex vetustissimis

Collectoribus vel unum ex Hispanis Canonibus Codicibus suis inseruit, præter Martinum Bracarensem? Nullus plane. Non ergo mirari est, quod nemo ex Collectoribus antiquissimis ne unum quidem Illiberitani Concilii Canonem Codicibus suis inseruerit. Quod neque Martinus inseruerit, quamvis in Hispania suam efformaverit Collectionem, quid? Nonne Martinus plurimum etiam Synodorum tum Græcarum, tum Hispanarum non meminit, qui non Collector egisse videtur, sed aliquarum, ut ita dicamus, sententiarum selector, et Græcarum præsertim versionis emendator? (\*)

(\*\*) XXV. Accedit, quod Martinus nullum licet Illiberitanum Canonem in suam retulerit Collectionem, eos tamen agnovisse ex eo colligere est, quod caput 77. efformaverit ex Canone xx. Synodi Ancyranæ, qui quidem non in alium quam in Canonem lxxiii. Illiberitanum intendit his verbis *antiqua definitio*. Quod quod Arelatenses Canones magna ex parte ex Illiberitanis videantur desumpti; videlicet Canon iv. et v. Arelatensis I. ex Canone lxxii. Illiberitano: Canon vi. ex Canone xxxix: Canon ix. ex Canone xxv: Canon xi. ex Canone xv: Canon xiv. ex Canone lxxv. Canon ii. Arelatensis II. ex Canone xxxiii. ejusdem Illiberitani Concilii: Canon viii. ex Canone liii. Insuper ad quod se retulit immortalis memoriæ Osius Canone xiv. Synodi Sardicensis dum dixit: *Memini autem superiori Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis laicus in ea in qua commoratur civitate tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrasset conventum, communionem privaretur; nisi ad Illiberitanum, qui Canone xxi. eandem prorsus ediderat Constitutionem?* Quodnam est ergo silentium illud antiquarum vel Collectionum, vel Conciliorum, ut de Illiberitanorum Canonum fide dubitandum sit? (\*)

(\*\*) XXVI. Ad secundum quod attinet, probe noverant Iconomachi, nihil sibi præsidii ex Canone xxxvi. Illiberitano ducturos, quum non quemlibet imaginum usum, sed depictas tantum in parietibus imagines interdixerit, ea de causa quæ in ipso indicatur Canone, ne infideles, quorum imminebat persecutio, eas pro ludibrio haberent. (\*)

## P A R S I I.

## De Juris Canonici Statu Adulto, sive Publico.

I. **R**eddita à Constantino M. Ecclesiæ pace, tum Christiana Religio veluti adolevit, uberioresque expandit palmites, tum Ecclesiæ politia ampliolem veluti ordinem accepit, ac splendorem, tum denique vel maxime licuit Episcopis quam sæpissime, ac pro lubito in unum convenire. Quamobrem plura deinceps habita sunt Concilia, præsertim in Oriente, ubi frequentiora, et ordinatiora fuerunt; quorum acta pæne integra nobis supersunt. Ut igitur via, et ordine nostra procedat Diatriba, de Ecclesia Orientali primum sermonem instituemus, mox de Ecclesiis Occidentalibus acturi.

## De Juris Canonici Statu Adulto, sive Publico Ecclesiæ Orientalis.

II. **I**gitur Constantino imperante celebrata sunt an. 314. Concilia Ancyranum in Galatia, et Neocæsareense in Ponto. Ejusdem auspiciis coactum fuit an. 325. Nicææ in Bithynia Concilium Œcumenicum I. ab totius Orbis Christiani Episcopis frequentatum. Secuta sunt tria particularia; videlicet an. 341. Antiochenum, an. 370. Laodicenum in Phrygia, an. 375. Gangrense in Paphlagonia. Deinde an. 381. celebratum fuit Constantinopoli Œcumenicum Concilium II. Atque hinc prior Canonum Collectio omnium fortasse vetustissima in Oriente confecta est, dicta *Codex Canonum Ecclesiæ universalis*, cujus auctor eruditus adhuc ignotus. Hæc autem Collectio primum Canones complexa est Nicænos 20. Neocæsareenses 14. Gangrenses 20. Ancyranos 24. *al.* 25. Antiochenos 25. Laodicenos 59. et Constantinopolitanos 3. quibus postea an privata, an publica auctoritate accessere tres priores Canones Constantinopolitani, Canones Conciliorum generalium Ephesini an. 431. et Chalcedonensis

an. 451. tum et Canones Apostolici 85. ac demum Canones Synodi Sardicensis, quam an. 347. celebratam plures Ecclesiæ pro continuatione Synodi Nicænæ habuerunt.

III. Hujusce Codicis prima occurrit mentio in Concilio Chalcedonensi, ubi *Act. IV.* quum quæstio incidisset de Monachis, qui Dioscoro adhærebant, decretumque esset, ut sacri Canones legerentur, sumto libro Aetius legit: *Canon octogesimus tertius: Si quis Episcopus &c.* deinde legit; *Alius Canon octogesimus quartus: De his qui seipsos &c.* at hi Canones sunt iv. et v. Antiocheni.

IV. Tum Actione xi. exorta quæstione inter Bassianum, et Stephanum de Episcopatu Ephesiorum, *Leontius relegit regulam nonagesimam quintam: Si quis Episcopus vacans &c.* ex eodem Codice legit regulam nonagesimam sextam: *Si quis Episcopus ordinationem &c.* hi Canones sunt xvi. et xvii. Antiocheni.

V. Præterea in eadem Synodo Actione iv. et xvi. ex eodem Codice lecti sunt bini Canones sub num. 4. et 6. qui sunt iv. et vi. Nicæni.

VI. Constat igitur græcam Ecclesiam medio sæculo v. Codicem habuisse Canones Synodorum Orientalium complectentem perpetua serie digestos, tanquam si unius essent Concilii.

VII. Codex iste quo tempore, et quo auctore primum prodierit, incertum. At illud dubio caret sæculo v. ineunte non adhuc apud græcos generatim fuisse receptum: id quod probat rejectus à Chrysostomo et ab iis, qui cum eo faciebant, Canon xii. Antiochenus, tanquam conditus ab hæreticis.

VIII. Quid vero quod hujusmodi Codex idem ipse est, ac ille, quem Dionysius Exiguus latinitate donatum suæ Collectioni inseruit? In utroque enim 1. Orientalium Synodorum Canones eadem numerorum consequentia conjunguntur, nec unius Synodi Canones ab alterius Synodi Canonibus novis numeris disjunguntur. 2. Canones Nicæni primum habent locum. 3. Canones Antioch. iv. v. xvi. xvii. respondent numeris 83. 84. 95. et 96. 4. Tandem Dionysius ipse in Præf. expresse fatetur se Orientalium Canonum Codicem *sub ordine numerorum, id est à 1. cap. usque ad 165.*

sicut habetur in græca auctoritate digessisse. Profecto græcam hanc auctoritatem non nisi Codicem illum esse, ex quo Canones in Synodo Chalcedonensi lecti sunt, nemo non videt.

IX. Quanta maxima hujusce Codicis fuerit auctoritas patet 1. ex eo quod Canonibus eo contentis jam pridem in controversiis disciplinæ usa fuerit dicta Synodus Œcumenica; atque adeo 2. una cum Evangeliorum Codice in medio collocaverit. Adhæc 3. Canones in eundem relati, vel in Conciliis generalibus conditi sunt, vel in Synodis, quo *plures Episcopi fide præditi*, ut verbis utar S. Abogardi, *sapientia illustres, vita clari, sanctitate reverendi, signis, et prodigiis formidandi in nomine Christi pro reformanda Ecclesiæ disciplina convenerunt.*

X. Postremo eundem Codicem ex antiquissimo Ms. Ecclesiæ Hilarianæ Pictaviensis primus edidit Joannes Tilius, deinde additis pereruditis notis Christophorus Justellus evulgavit præfixo titulo *Codicis Canonum Ecclesiæ universæ*; quem postea recudendum curarunt Henricus Justellus, et Guilielmus Voellus.

XI. Jam vero ex antiquissimo hoc Codice additis nonnullis S. Basilii Canonibus suam adornavit Collectionem Joannes cognomento Scholasticus primum Antiochiæ Presbyter, dein sub Justiniano Constantinopolitanus Patriarcha, quam non per numerorum consequentiam, sed per materias digestam, et in quinquaginta titulos tributam *Συναγωγή κανόνων* Collectionem Canonum adpellavit.

XII. Idem postea Joannes Scholasticus primus omnium Nomo-canonem composuit quinquaginta pariter titulis digestum, ac methodo priori Collectioni respondente, leges præsertim ex Justiniani Codice depromptas cum Canonibus conferendo.

XIII. Tandem in Trullana Synodo confirmati sunt omnes Canones à Scholastico congesti: item nonnulli adjecti; nimirum 1. Canones in eadem Synodo conditi, ut vicem sustinerent Canonum Conciliorum Œcumenicorum V. et VI. quibus nulli Canones fuerant proditi: unde *Synodus Quinisepta* dici consuevit. 2. Canones Africani græce redditi. 3. Canones Concilii Constantinopolitani sub Nectario Pa-

triar-

triarcha, et Theophilo Alex. 4. Demum permulta Patrum græcorum opuscula, quæ omnia Canon. xi. recensentur.

*De Juris Canonici Statu Adulto, sive Publico Ecclesiæ Romanæ.*

XIV. **E**cclēsia Romana ad Nicænum usque Concilium moribus potius, et consuetudine, quam constitutis Canonibus usa est. Veteres namque Romani Pontifices avita instituta quam diligentissime custodienda curarunt. Verum iv. exeunte sæculo Canones Nicænos latinitate donatos, et cum Sardicensibus perpetua serie sub solo Nicæni Concilii nomine digestos Romanum Codicem composuisse tum plura demonstrant, tum vel maxime Innocentii I. auctoritas, qui dum testatur alios Canones, quam Nicænos, Romanam Ecclesiam non admittere, pluries Sardicensibus utitur.

XV. Huic Codici temporis successu plures factæ sunt accessiones; id quod ex eo potissimum licet evincere quod Dionysius Exiguus ad novam Canonum Versionem adornandam se adactum scribat *quorundam hortatione, qui pristini Romani Codicis confusione offenduntur.*

XVI. Atque hic Henricus Justellus Codicem quandam nobis exhibet tanquam pristinam ante-Dionysianam Romanæ Ecclesiæ Collectionem. Atque hac in re eruditus aliquin Auctor fallitur. Et sane 1. stupenda Collectionis barbaries in illam ætatem haud quadrat. 2. Plura in ea occurrunt toti antiquitati ignota. 3. Canon xxviii. Chalcedonensis, et Canones Constantinopolitani illi Collectioni inserti sunt, quos Ecclesia Romana non recepit. Profecto Codicem Justellianum græculi alicujus opus esse non abs re suspicatur Paschasius Quesnellus.

XVII. Tum ipse Quesnellus ælium Codicem ex tribus Mss. Atrebatensi, Oxoniensi, et Thuaneo erutum profert, quo Romanam Ecclesiam ante Dionysii Exigui ætatem usam fuisse contendit. Atqui hac in re præ Justello felicior videtur fuisse Quesnellus. Et sane Quesnelliani Codicis veritatem demonstrant 1. Trium antiquissimorum Manuscriptorum concordia. 2. Canon vi. Nicænus, qui hoc in Codice legitur, prout à Legatis Sedis Apostolicæ in Synodo Chalce-

donensi prolatus est; nimirum cum additamento: *Ecclesia Romana habeat, aut habuit primatum.* 3. Canones Sardicenses Nicænis sub uno titulo, ac numerorum serie adnexi. 4. Confusio, qua Romanum Codicem laborasse scribit Exiguus, nec huic Codici deest. 5. Dubio procul Romana Collectio Dionysii ætate præter Nicænos, et Sardicenses, alios quoque Canones complectebatur. Id sane indicat Exiguus, ubi fatetur se novam adcuratioremque adgredi græcorum canonum Collectionem, quod vetus obscuritate, et confusione laboraret. Jam vero Dionysianam Collectionem cum Codice Quesnelliano conferenti manifesto patebit eosdem pæne Canones utrobique exhiberi, eodemque fere ordine; nisi quod Dionysiana Canonum græcorum versio sit fidelior, et adcuratior, atque adeo tota Collectio elegantior, et ordinatior. Plura quidem in Codice Quesnelliano reperiuntur, quæ in ætatem ante-Dionysianam non quadrant: verum ejusmodi additamenta post Gregorii M. tempora suum Codicem auxisse pluribus demonstrat Quesnellus.

XVIII. Ergo Dionysius Exiguus natione Scytha, domicilio moribusque Romanus auctor novi Cycli Paschalis, quem an. 525. edidit hortatu potissimum Stephani Episcopi Salnitani novam fidelio rem, et ordinatiorem instituit canonum græcorum Collectionem. In ea primum quinquaginta priores sic dictos Apostolicos, ceteros dein Codicis Orientalis græcos Canones à se latine redditos, scilicet Regulas Nicænae Synodi, et deinceps omnium Conciliorum sive quæ præcessere, sive quæ eam sunt subsecuta usque ad Constantinopolitanum recensuit, digessitque *sub ordine numerorum*, ut modo observavimus, *id est à i. capite usque ad 165. sicut habetur in græca auctoritate.* His subdidit Canones Chalcædonenses 27. quos græcorum Canonum veluti agmen claudere ipsemet testatur Dionysius. Tum ex latinis Canones Sardicenses addidit, et Africanos 138. in Synodo Carthaginensi VI. partim primum conditos, partim vero ex veteribus Africanis Synodis collectos, confirmatosque.

XIX. Idem Dionysius ad preces Juliani Romani Presbyteri Decretalium Romanorum Pontificum *συλλογὴν Collectionem* concinnavit, scilicet à Siricio ad Anastasium, in qua



elaboranda fatetur se nihil prorsus eorum, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, omisisse inquirere præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum constituta, qua valuit cura, diligentiaque collegisse. De hujusmodi Romanorum Pontificum Epistolis sic dictis Decretalibus alibi opportunior redibit sermo.

XX. Dionysianam *Συνταγματῶν* Collectionem studio licet privato confectam, usu celeberrimo Ecclesiam Romanam fuisse complexam testatur Dionysii æqualis Cassiodorus. Quod tamen haud ita intelligas, quasi universos Canones, totamque in eis expositam disciplinam pro sua receperit. Constat enim plures ejus Codicis Canones, quia Romanæ ejus temporis Ecclesiasticæ disciplinæ haud convenirent, vel nunquam, vel multo post tempore pro suis usam esse.

### De Juris Canonici Statu Adulto, sive Publico Ecclesiæ Gallicanæ.

XXI. Gallicanam Ecclesiam Dionysii Collectionem amplexatam fuisse contendunt Petrus de Marca *Lib. III. Conc. cap. 3.* et Natalis Alex. *Diss. XXI. in Hist. Ecclesiast. Sæc. I.* Quod tum ex eo evincunt, quod statim apud Sedem Apostolicam viguerit, suoque nitore præ squalore veteris commendaretur; tum vel maxime ex eo, quod Episcopi Gallicani in Judiciis Ecclesiasticis auctoritatem æque Sedis Apostolicæ, ac Orientalium Canonum urgere consueverint. *Syn. Aurel. III. an. 538. Can. III.* Cæsarius Arelat. in causa Contumeliosi. Verum hæc tanti non sunt, ut nos in suam sententiam trahant. Illud enim tantummodo demonstrant, Sedis Apostolicæ decreta in Galliis obtinuisse. Atqui jam inde ab Synodi Agathensis I. an. 506. tempore, quum non adhuc Dionysiana Collectio prodisset, R. Pontificum Decreta in Galliis vigeant; uti constat ex ejusdem Synodi *Canone VIII.* quo adversus Presbyteros, et Diaconos conjugatos urgentur Innocentii I. et Siricii Decreta.

XXII. Igitur pronior sum in Justelli, Quesnelli, aliorumque sententiam, qui contendunt rem ad VIII. usque sæculum pertrahendam. Et sane *x.* veri simile haud est, Gallicanos

Antistites tam cito in Judiciis Ecclesiasticis veteri rejecto Codice Dionysianum adhibuisse: Cæsarius enim Arelatensis floruit circiter an. 530, quo tempore Dionysiana Collectio vix prodierat.

2 Quando causa Prætextati in Synodo Parisiensi acta est, nimirum an. 580. Codex Dionysianus Ecclesiæ Gallicanæ adhuc erat incognitus. Tunc enim primum Canones Apostolici Gallicanis Episcopis innotuere, quos novo quæstione conclusos, ac veteri Gallicano Codici adjectos primus eadem in Synodo ad opprimendum Prætextatum exhibuit Rex Chilpericus. Atqui Canones Apostolici in Dionysii Collectione primum locum habebant: Greg. Turon. *Lib. V. Hist. Reg. Franc. cap. 19.*

3 Exeunte sæculo viii. Carolus M. ab Hadriano Papa dono accepit Dionysii Collectionem, ut eam in Gallias inferret; id quod ex voto accidisse scribit Anastasius Bibliothecarius. Sensim enim Ecclesia Gallicana, non prorsus spreto veteri Codice Episcopis familiari, Dionysianum recepit.

XXIII. Porro ex dictis tria colligimus: 1. Gallicanam Ecclesiam vi. sæculo proprium Codicem habuisse, et quidem à Dionysiano diversum. 2. Dionysianam Collectionem non nisi viii. exeunte sæculo Gallias pervasisse. 3. Veterem Gallicanum Codicem complexum fuisse cum Canonibus græcis etiam R. Pontificum Decretales; adhæc et Canones Gallicanos. Id quod patet tum ex Agobardo Lugdunensi Episcopo *Ep. ad Ludovicum*, ubi expresse statuit; *Gallicanis Canonibus pro causis necessariis, quarum definitiones ex Conciliis Generalibus non inveniuntur, fidem congrua devotione, ac religione debita adhibendam.* Tum quoque ex eodem Cæsario Arelat. qui pariter in Contumeliosi Regiensi Episcopi causa Canonibus Gallicanis seorsim prolatis, eisdemque recensitis depositionis pœnam Contumelioso infligit.

### *De Juris Canonici Statu Adulto, sive Publico Ecclesiæ Hispaniensis.*

XXIV. **J**am vero Hispaniensis Ecclesia ipso vi. sæculo Dionysianam Collectionem agnovit. Codex enim Canonum, quo

Concilia Hispanica Bracarense II. an. 563. et Toletanum IV. an. 633. usa sunt, eundem pæne ordinem præsefert, quem Dionysius in sua adornanda *Συλλογή Collectione* servavit.

XXV. Verum Martinus è Pannonia oriundus primum Dumiensis Cœnobii in Gallæcia Abbas, dein Archiep. Bracarenensis circiter an. 570. suam interim edidit Canonum Collectionem per materias digestam, et in capita 84. tributam; quorum priora 19. Episcopos; quæ sequuntur 49. Clericos; reliqua 16. Populum spectant. In hanc Collectionem Martinus conjecit tum græcos Canones à se latine redditos, tum etiam regulas ex Conciliis Hispaniensibus petitas, necnon et ex Gallicanis usu in Hispania receptis.

XXVI. Quid quod Martinus græcos Canones non semper fideliter vertit; quin subinde ex pluribus unum capitulum confecit insertis etiam nonnullis ex Synodis nationalibus; uti patet ex capitulo 32. quod ex Can. III. Conc. Nicæni, ex Can. xv. Concilii Bracarenensis, et ex Can. VI. Concilii Tollet. I. conflatum est; interdum etiam quædam addidit, detraxit, immutavitque; ac nonnumquam etiam Canones in contrariam sententiam torsit, uti ex cap. 39. liquet.

XXVII. Cardinalius Aquirrius *Diss. II. Tom. I. præfixa* Collectioni maximæ Conciliorum Hispaniæ, scribit in Ecclesia Urgellensi Codicem antiquissimum exstare in tres partes divisum; quarum *prima exhibet quatuor Concilia Generalia, et Synodos Nationales ab iis confirmatas, ac præterea eas, quæ in Africa coactæ sunt. Secunda continet Concilia Gallicana inchoando ab Arelatensi I. Tertia tandem Concilia Hispanica, quorum initium ducit ab Illiberitano.* Tum subdit: *Eundem ordinem servabat Codex ille vetustissimus Bibliothecæ Toletanæ memoratus ab Archipræsule Loaisa.*

XXVIII. Non desunt, qui contendant hujus Codicis auctorem fuisse S. Isidorum Hispalensem. Porro ab S. Isidoro abjudicandum tum plura demonstrant, tum vel maxime, quod S. Braulio Cæsaraugustanus Episc. et S. Ildephonsus Archiep. Toletanus ejus operum catalogum pertextentes, de nullo tanquam ab Isidoro confecto Codice meminerint. Videtur Dominicum Lopesium *de Antiquo Canonum Codice Eccl. Hispanæ.*

(\*\*) XXIX. Verum Hispaniensem Ecclesiam ab ipso sæcu-

lo iv. proprium Canonum Codicem efformari cœpisse, comperimus. ꝫ Ecquis enim credat Sanctissimos Episcopos, clarissimum præcipue Ossium, Illiberitanos Canones, Nicænos, Sardicenses, cujus præsertim opera conditi sunt, profundæ tradituros esse oblivioni? ꝫ Quis dubitet eundem Cordubensem Episcopum ipsos Illiberitanos Canones Nicænae Synodi celebrandæ attulisse, ac Canonem xxvii. Illiberitanum uti exemplar Canoni iii. Nicæno constituendo obtulisse? ꝫ Quis neget Illiberitanos Canones in Synodo Arelatensi I. et II. recitados esse, quum iisdem condendis Canonibus exemplum videantur fuisse Illiberitani? ꝫ Quis ignoret Synodum Toletanam I. Nicænam tanquam normam ordinationibus celebrandis agnovisse? Insuper vero simile est, Episcopos Castulonensem, Cæsaraugustanum, Emeritensem, Cordubensem, Barcinonensem, qui Concilio Sardicensi interfuere, ipsius Canones in patriam redeuntes attulisse, præsertim quum Syn. Valentina Can. vi. ad Canonem xix. Sardicensem, et Bracarensem I. cap. 20. alias Canone xxxviii. ad Canonem xiii. ejusdem Sardicensis respexisse videantur. Inde prono alveo fluit, Hispaniarum Ecclesiam habuisse jam sæculo iv. Canones Nicænos, Illiberitanos, Sardicenses. An essent seorsim positi, vel una tria hæc collecta Concilia, non moramur. (\*)

(\*\*) XXX. Huic nascenti Codici accessisse videntur sæculo vi. Galli Canones, quorum memorat Syn. Tarraconensis Can. xi. atque inter hos Synodi Regiensis, cujus numero 5. retulit Synodus Valentina Can. ii. et Agathensis cujus numero 26. et Aurelianensis I. cujus numero 9. retulit quoque Synodus Ilerdensis Can. iii. Adjiciebantur fortassis semel, ac condebantur et Hispani; nam eadem Synodus Ilerdensis Can. xvi. non ad alium videtur respicere Canonem, quam ad xii. Tarraconensem; ac nisi fallamur, adjuncti quoque sunt Cpolitani, Ephesini, et Chalcedonensis: Canones, quippe ejusdem Chalcedonensis quæ postremo celebrata est, renovavit Syn. Barcinonensis an. 540. Can. x. *De Monachis id observari præcipimus, quæ Synodus Chalcedonensis constituit.* (\*)

(\*\*) XXXI. Hucusque ex conjecturis, at non levibus, Canonum Codicem in Hispania deprehendimus; verum medium

dium jam sæculum vi. ingressi nullam nobis relinquit hæ-  
sitationem Syn. Bracarensis I. in qua quidem post Cano-  
nem xvii. agente Metropolita Lucretio, *relecti sunt ex Co-  
dice coram Concilio, tam Generalium Synodorum Canones,  
quam Localium*; quorum observantia indicta est capite 22.  
alias Can. xl. *Item placuit, ut quæcumque præcepta antiquo-  
rum Canonum modo in Concilio recitata sunt, nullus audeat  
præterire.* (\*)

(\*\*) XXXII. Itaque per id temporis exstabat in Hispania  
Codex ex quatuor Conciliis generalibus, Nicæno, Cpolitano,  
Ephesino, Chalcedonensi, ac Provincialibus conflatus. Id  
apertius indicat Syn. Bracarensis II. in Præf. §. 3. *Sancti  
enim Patres, ac prædecessores nostri aut Generales Synodos  
undique collecti pro unitate rectæ fidei fecerunt, sicut in Ni-  
cæna contra Arium, et in Constantinopoli contra Macedo-  
nium, et in Epheso contra Nestorium, et in Chalcedonensi  
contra Eutychetem, ac certe speciales Synodos per suas unus-  
quisque Provincias pro secundis contentionibus....per singu-  
las quoque definitas Canonum sententias, mediante inter eos  
Dei spiritu conscripserunt, quas oportet nos legere, intel-  
ligere, et tenere.* (\*)

(\*\*) XXXIII. Quænam autem forent Localia Concilia  
hæc, quibus Hispanus constaret Codex, comperta res est;  
nam præter Gallica, de quibus jam supra, adjecta quoque  
erant Græca ante Chalcedonense habita, Africana item,  
et Hispana quamplura. Parentes enim nostri, quibus so-  
lemne erat, antiquatas improbitate hominum sanctiones  
iterata firmare constitutione, ut colligitur ex Synodo Toletana II. in Exordio, quum in Synodis per id temporis coactis  
( ipsa præsertim Bracarensis I. ) ad prisca Canonum statuta  
nos provocant, non ad alia videntur respicere, quam ad  
quatuor Generalia, ad Orientalia Chalcedonensi antiquiora,  
ad Africana, et Hispana; quod ut patefiat, visum est, hanc  
subjicere tabellam.

*Synodus Bracar. I. an. 563.*

Capite XIII.....	ad Laodicænum Can. XLIV.
Capite VIII.....	ad Valentinum Can. VI.
Capite XV.....	ad Nicænum Can. V.
Capite XIX.....	ad Carthagin. II. Can. III. et Toletanum I. Can. XX.
Capite XX.....	ad Sardicense Can. XIII.

*Syn. Bracar. II. an. 572.*

Canon II.....	ad Tarraconense Can. VIII.
Canon III.....	ad Aurelianum II. Can. III. et Turonen. I. Can. XXVIII.

*Syn. Toletana III. an. 585.*

Canon II.....	ad Cpolit. in Symb. Fidei.
Canon III.....	ad Carthag. IV. Can. XXXII. et Agathense Can. VII.
Canon VI.....	ad Agathense Can. VII.
Canon XI.....	ad Illiberit. Can. III. VII. et XLVIII.
Canon XI.....	ad Nicænum Can. XI.
Canon XIX.....	ad Carthag. IV. Can. XXXI.

*Syn. Hispalen. I. an. 590.*

Canon I.....	ad Agathense Can. XXXIII.
Canon I. et II.....	ad Toletanum III. Can. III. (*)

(\*\*) XXXIV. Et sane Martinus Bracarenſis qui labente eodem ſæculo VI. Collectionem concinnavit, Africanos ſimul et Gallicanos Canones in Hispaniam inductos inveniffe videtur, ac græcos quoque tametsi corruptos, ut in ipſa indicat Præfatione. Quo pacto advecti fuerint in Hispaniam Gallicani Canones, nemo inquiret, qui Hispanos Epifcopos celebrando Concilio Arelatensi II. conſeſſos aspiciat. Græcos autem ſuſpicamur miſſos eſſe ad Galliarum Epifcopos à

Leone M. quum eisdem de gestis Concilii Chalcedonensis in quo adprobati sunt, certiores reddidit: *Epist. novo ord. CIII.* atque inde in Hispaniam advectos; id quod innuere videtur Idatius in *Chron. Olimpiad.* 307. 3. Africanos demum Donatus forsitan una cum Monachorum regula in Hispaniam adduxit, uti colligitur ex S. Ildephonso *de Viris Illustrib. cap. 10.* (\*)

(\*\*) XXXV. Interea Martinus à Pannonia, quæ nunc Ungaria dicitur oriundus, ex Oriente quo se jam dudum diverterat, in Hispaniam profectus, Gallæciam venit, ibique primum Dumiensis à se erecti Monasterii, dein vero Bra-caren-sis Episcopus renuntiatus est. Hic ut erat græci sermonis peritissimus, græcos Canones græcæ fidei reddere, et puriore latinitate donare cupiens, propriam ex his, et Africanis, Gallis, ac Hispaniensibus Conciliis Collectionem edidit an.circiter 570. per materias digestam, et in 84. Capitula tributam, quorum 19. priora Episcopos, 49. quæ sequuntur Clericos, 16. reliqua Populum spectant. Eam Nitigesio et universo Concilio Lucensi obtulit, quod aliquod fuisse ex haberi solitis in eadem Civitate non negat Floretius *Hispan. Sacræ Tom. IV. Tract. III. cap. 3. num. 77.* Non omnes omnium Conciliorum Canones ad suam efformadam Collectionem adsumsit, sed eos duntaxat, qui sibi visi sunt utiliores; et græcos non stricta, et verbo verbo respondente versione transtulit, sed libera qua non voces, sed sententias exciperet, eadem ferme ratione qua in latinis transcribendis se gessit. (\*)

(\*\*) XXXVI. Verum mirari subest, quam acriter in Martinum Berardus in Præfat. *ad Grat. Canon. Observ. V.* et ex eo fortassis Selvagijs invehantur. Ajunt 1. in contrariam detorsisse sententiam Canonem ix. Concilii Ancyranæ, ex quo caput 39. suæ Collectionis confecit. At si hujusmodi Canon transcriptus fuisset à Martino prout in vulgata versione exstat, turbas excitasset apud latinos, ubi contraria semper viguit disciplina: prudenti igitur consilio græcum Canonem latinum fecit, sive ad Hispaniæ consuetudinis indolem jure optimo accomodavit. Adhæc: quis adserere audeat vulgatam Canonis Ancyranæ versionem adcuratiorem esse Martini versione, in qua Canones sibi duxit ad pristi-

nam lectionem revocare? ; Martini inquam, qui utriusque idiomatis peritissimus audiebat, et teste Gregorio Turonen. *Hist. Franc. Lib. IV. cap. 38. nulli secundus suo tempore habebatur?* Profecto non omnes hujus Canonis lectiones cum Martini versione pugnant.

Ajunt 2. quod plures ex diversis Conciliis Canones simul adnexerit, videlicet Canonem III. ex Nicæno, VI. ex Toletano I. et XV. ex Bracarenſi I. et ex his caput 32. suæ Collectionis efformaverit; sed perperam; quantumcumque quippe est præfatum caput 32. ex solo Canone Nicæno desumptum videtur; si quod autem vocabulum Collector addidit, non ex aliis binis Canonibus, sed ex propria addidit sententia ad planiorem Canonis enuntiationem. Quod vero sit juxta sententias etiam Toletani, et Bracarenſis; ; quid? Omnia ferme terrarum orbis Concilia eandem plus minus disciplinam tradidere ac Nicænum Canon. VI. Quæ cum ita sint, non est cur condonemus Berardo, quod dixerit: *Ego meliores simplicioresve interpretes tutius exoptaverim. Gloriarer quidem Martinum Bracarensem institutorem rerum sacrerarum habere, non autem uterer eo tanquam Canonum Collectore, in quo non tantum doctrina spectanda est, quam simplicitas, et probata fides.* ; Quis putaret unquam prudentissimi alioqui ingenii virum tam acriter, tanquæ extra æquitatis limites in præclarum Martini nomen invecturum quasi in insignem Canonum artificem? At temperantius videtur egisse cum eo in *Institution. Juris Eccles. Part. I. Tit. IX. §. 6. (\*)*

(\*\*) XXXVII. Itaque binæ aderant in Hispania Collectiones; brevis alia Martini velut epitome ad expeditiorem caussarum discussionem, et qua nonnunquam etiam utebatur Ecclesia, ut videre est in fragm. Codicis Wigiliani *De ordine celebrandi Concilii*, quod suæ inseruit *Collect. Max. Tom. I. Part. III. Appar. Card. de Aguirre*; fusior alia quæ omnes amplecteretur Canones, nullis demtis, vel immutatis vocibus, quæ quidem à singulis quibusque Conciliis pedetentim excrescebat. Unde Syn. Tolet. IX. in Præfat. id communi deliberatione decrevit; *ut capitula quæ in prisicis Canonibus minime habeantur inserta, pari promulgentur sententia, et antiquis jungerentur Regulis perenni ju-*



gitate mansura, et omni reverentia observanda. (\*)

(\*\*) XXXVIII. Hic Codex ille fortassis est, cujus meminit Reccaredus, cum Synodi Toletanæ III. sanctiones, quantum in se esset, ratas habere decerneret, ad eas se refert sicut plenius in Canone, hoc est in Codice continebantur: ille inquam Codex, cui se conferunt Patres Syn. Hispalens. I. qui quum Canonum statuta consulissent, quid tunc esset decernendum, in Canone compererunt, desumpto ex Concilio Agathen. Can. xxxiii. atque ille demum, quem profert Synodus Toletana IV. quæ methodum habendis Conciliis præscribens Can. iv. post plures recensitas cæremonias, hæc subdit: *Diaconus Alba indutus, Codicem Canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronuntiet.* (\*)

(\*\*) XXXIX. Porro Hispanus iste Codex sæculo VII. non potuit non jam esse prægrandis, quippe qui permultos in se comprehenderet eo usque in Hispania constitutos Canones; id quod testatur Synodus Toletana VII. in cujus Exordio: *Nam licet tantæ, ait, Constitutiones Canonum exstent, quæ ad omnem possent correptionem sufficere, si quis eas dignetur libenter attendere, tamen quia luminis claritas tanto amplius emicat, quanto fuerit studiosius sæpissime contrectata, non parum proficit ad emendationem multorum, si dum ea quæ constituta sunt, per fraternam collationem ad memoriam reducantur, et illa magis adjiciantur, quæ aut deesse videntur, aut omnino constituenda competenter existimantur.* (\*)

(\*\*) XL. Profecto Hispanus iste Codex idem videtur esse, aut saltem non absimilis illi, quem in Ecclesia Urgellensi exstare ait Aguirrius *Tom. I. Dissert. II. Excurs. I. §. 15.* qui præfert Concilia quatuor generalia, Orientalia usque ad Chalcedonense, Africana, et Hispana. Sed ineditum hunc Codicem, sicut et germanam S. Isidori Hispalensis Collectionem quam in Archivis delitescere ajunt, nobis datum non est vel aspiceré. (\*)

(\*\*) XLI. Nec vero Conciliorum tantum Canonibus conflata erat Collectio hæc, sed continebat quoque Synodicas Romanorum Pontificum Epistolas, eas vel maxime quæ ad Hispaniarum Episcopos mittebantur. Id innuit Synodus Toletana III. Can. i. *Permaneant in suo vigore Conciliorum*

*omnium constituta, simul et Synodicae Sanctorum Præsulorum Romanorum Epistolæ.* Inter quas si Canonis sententias perpendimus, recensendæ sunt, Epistola Siricii ad Hicmarum Tarraconensem, binæ Hilarii ad Tarraconenses, et altera Hormisdæ ad Episcopos per Hispaniam. Continebat forsitan et alias Epistolas, videlicet Vigilius Pap. ad Profuturum Bracarensem. cujus meminit Synodus Bracar. I. post Canonem xvii. Innocentii I. ad Exuperium Tolosanum, et Decretum Gelasii de Canonicis Sacræ Scripturæ libris, quibus sibi adherere duxit Synodus Toletana IV. Canon xvii. alias XVI. Epistolam itidem Leonis M. ad Rusticum Narbonensem, cujus auctoritate nixa Synodus Toletana VI. Canonem viii. condidit. Epistolam etiam ejusdem Leonis nunc CVIII. ad cujus caput 4. respexit Synodus Toletana XI. Canone xii. Alteram Gelasii ad universos Episcopos per Lucan. ad cujus caput 7. videtur intendere Synodus Hispalensis II. Can. vi. aliasque complures. (\*)

(\*\*) XLII. Hujus amplissimæ Collectionis Index, vel si mavis *Repertorium* sæculo fortassis vii. labente confectum et in libros duodecim tributum, quod suo præfixit Tomo IV. *Collectionis* Card. de Aguirre, et Tomo I. *de Antiquitatib. Ecclesie Hispanæ* Cajetanus Cennius, plane demonstrat Codicem tunc in Hispania viguisse ex Conciliis generalibus, Orientalibus ante Chalcedonense, Africanis, Gallis, et Hispanis, atque ex Epistolis Romanorum Pontificum à Damaso usque ad Gregorium M. conflatum, uti evincitur ex analissi Indicis ejusdem quam præfatus Cennius tradidit *ibid.* in Præfat. à §. 12. (\*)

(\*\*) XLIII. Quisnam vero fuerit hujus Collectionis auctor, haud facile erit demonstrare. Idem Cennius S. Isidoro Hispalensi adjudicandam acerrime contendit; nos tamen vero simile tantum putamus, eoque verosimilius quo leviora adparent momenta, quæ in contrarium objiciuntur. Et revera nihil nos movet, quod Braulius et Ildephonsus qui ejus operum censum intexuerunt, nullius ab Isidoro compacti Codicis meminerint; non enim hi cuncta S. Doctoris opera recensere sibi in animum induxerunt; non Ildephonsus, siquidem aliquarum meminit Braulio, quæ ille prætermisit; non Braulio, quippe qui enumeratis aliquot Egregii Doctoris

libris, hæc subdit: *Sunt et alia ejus Viri multa opuscula, et in Ecclesia Dei multo cum ornamento inscripta*: quibus sub verbis nemo non novit Collectionis opus comprehendere potuisse. Quod autem noluerit illud nominatim exprimere, id potuit esse in causa, vel quia Isidorus Collectionem non invenit, sed confectam vel auxit, vel expolivit, seu quia inusitatum, immo frequentissimum fuit, ut Episcopi peculiarem Canonum Codicem efformarent. Reponent non pauci: recensentur ibi Concilia Toletana à v. ad xvi. S. Isidori ævo posteriora, esto; sed Collectio secundas operas post S. Doctoris obitum persensit, eique successu temporis aliæ atque aliæ manus accessere. (\*)

(\*\*) XLIV. Inde colligere est minime fuisse hanc Dionysianam Collectionem, quum in hac tot distinguantur capita quot Canones, non ita in nostra, quæ in tot tribuitur capita quot Concilia. Immo neque in animum inducere possumus, ut credamus, Dionysii Collectionem in Hispania viguisse, maxime tempore Concilii Bracarenis an. 563. Id excogitatum primo videtur à Natali Alexandro *Sæculo I. Dissert. XXI.* qui hanc Synodum secundam vocans, in errorem à rerum Ecclesiasticarum Dissertatore alienum impexit; siquidem Synodus Bracarenis, quam primam forsân putat Natalis, et quam ex abditis nescimus quibus scriniis eruisse se, mentitus est Britus, inter apertas nebulonum fabellas jure merito enumeratur. A Natali simul cum errore hoc, sententiam illam exorbuit Selvagiùs, ea motus de causa, quod utraque Synodus Bracarenis, et Toletana IV. eandem servaverint methodum quam in sua Collectione Dionysius. Verum nos, qui in hac investiganda adfinitate otii nonnihil impendimus, non potuimus parem utriusque Synodi cum Dionysiana Collectione methodum expiscari. (\*)

(\*\*) XLV. Adhæc quatuor sunt adhuc, quæ Selvagiùs opinioni adhærere non sinunt. 1. Si Hispani usi essent Dionysiana Collectione in Synodo Bracarenis laudata, hæc profecto non latuisset Martinum, quippe qui eidem qua Episcopus Dumiensis interfuit; at illam neque conspexisse ex eo colligitur quod Martinus græcos Canones repererit subobscuros, et non legitime conversos, *quia difficile est*, ut ipse ait in Præfatione, *ut simplicius aliquid ex alia lingua trans-*

*transferatur in alteram.* Nunc igitur. Quis sibi persuasum habebit græcos Canones vitiose translatos esse à Dionysio Abbate Scytha, qui teste Cassiodoro *Divinarum Lectionum* cap. 23. *tantæ Latinitatis, et Græcitatæ peritia fungebatur, ut quoscunque libros Græcos in manibus acciperet, Latine sine offensione transcurreret, iterumque Latinos Attico sermone legeret?* 2. Si eandem Hispani Collectionem exceperissent, vero simile excepturos esse quoque Eram Christianam, qua tamen usitati non sumus nisi post annum 1000. 3. Ex eo etiam evincitur, ignotam fuisse apud nos Collectionem hanc, quod Canones ita dicti Apostolorum, quibus prima hujus Codicis inscribitur pagina, nunquam receptos, probatos nunquam, nunquam recensitos invenimus. 4. Quod Concilia nostra, quum ad præteritos se conferunt Canones, nunquam eos, nequidem Græcos ejusdem numeris designatos referant, quibus in Dionysiana Collectione, sed eo tantum numerorum ordine notatos, quem primi eorundem Canonum conditores ipsis præscripsere, uti adparet in Synodo Toletana XII. Canone iv. et in fragmento Codic. Wigilianii supra memorati §. *Finita autem.* (\*)

(\*\*) XLVI. Ad hanc ipsam epocham originis nempe Juris Ecclesiastici Hispani adscribendæ sunt Imperatorum leges, Codicis scilicet Theodosiani, qui Tolosæ promulgatus est an. 506. Non enim dedignabatur Ecclesia nostra suos sæcularium Principum legibus Canones accomodare, earumque non semel auctoritate confirmatos statuere. Id perspicue in sequenti tabella:

Syn. Bracar. I. cap. xviii... respicit ad Leg. VI. Tit. XVII.

Lib. IX. Cod. Theod.

Syn. Hispal. II. Can. i..... ad Leg. II. Tit. V. Lib. V. Cod.

Theodos.

Eadem Synodus Can. iii.. ad Leg. I. Tit. IX. Lib. V. Cod.

Theodos.

Syn. Tolet. IV. Can. xxxiv. ad Leg. unic. Tit. VIII. Lib. II.

Novell.

Eadem Syn. Can. xlvii..... ad Leg. unic. Tit. V. Lib. II.

Novell. (\*)

(\*\*) XLVII. Verum peracta à Reccesvintho anno II. Imperii Leovigildii, Reccaredi, Sisebuti, Sisenandi, Chindasvindi, et ab ipso Iatarum legum compilatione, uti colligitur ex *Leg. V. Tit. I. Lib. II. Fori Judic.* quæ quidem in peculiarem exiit juris dicendi regulam, et cujus *reveren- dis Sanctionibus*, ut verbis utamur Synodi Toletanæ IX. Can. xiii. nedum populus, sed et Clerus etiam cogebatur, *Leg. II. Tit. I. Lib. II. Fori Judic.* abolitis prorsus Romanis constitutionibus *Leg. VIII. Tit. I. Lib. II. ejusdem*, jam tunc Hispaniarum Patres suos secundum Gotthorum Leges, Canones constituere cœperunt. Id factum est in Syn. Toletana IX. Can. xiii. in quo ad Leges *Libri III. Tit. I. Fori Judicium* respexerunt; in Toletana XII. in qua Canone vii. Legem Wambani Regis ab Ervigio temperatam, et Canone ix. ab ipso Ervigio contra Judæos editam confirmarunt; et insuper in Toletana XIII. Canone iv. in quo ad Leges *Libri IX. Tit. I. ejusdem* intenderunt. (\*)

(\*\*) XLVIII. In Hispania igitur, præter Cathalauniæ Regnum in quo modificatæ sunt Gotthorum leges, et aliæ suffixæ in Synodo Barcinonensi, an. 1064. sub Hugone Legato, *Forum Judicium* obtinebat, et usque ad *Forum Regale* obtinuit. At non deerant privati alii Codices, videlicet *Septempublicensis*, ac *Vetus Castellæ* à Sanctio Garcia traditi; alique vulgo *Chartæ Populationum* adpellatæ, quibus recens expugnatis urbibus nonnulla indulgebantur privilegia, scilicet *Vetus Legionis* ab Alphonso V. datus in Syn. Legionensi an. 1012. et in Cojacensi an. 1050. Canone xiii. à Ferdinando I. confirmatus; *Suprarviensis* item an. 1050. et *facensis*, quibus Aragonum, et Navarræ populi regebantur. (\*)

### De Juris Canonici Statu Adulto, sive Publico Ecclesie Africanæ.

XLIX. Africanam Ecclesiam quod spectat, ipsa quidem nullam habuit Canonum Collectionem ante Concillii Carthagin. VI. tempora. At in hac Synodo occasione cujusdam Presbyteri nomine Apiarii, qui à suo Episcopo depositus ad Romanam Sedem adpellaverat, adsidentibus Sedis Apos-

tolicæ Legatis, Episcopi Africani 217. convenientes post recitatum Symbolum Nicænum, ejusdemque Synodi Canones 20. Africanos Canones variis temporibus, diversisque in Synodis conditos relegunt; tum non sine additamentis, et detractionibus probant, aliosque de novo condunt, et omnia in Acta redigunt. Ex his sane Actis videtur confectus *Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ*, quem suo Codici inseruit Dionysius Exiguus, uti supra innuimus.

L. Eadem ferme ætate, qua Dionysius Romæ, in Africa Ferrandus Carthaginensis Diaconus floruit. Is Bonifacii sui Episcopi monitu *συλλογὴν Collectionem* adornavit; in qua protulit Canones veteris græcæ Collectionis latine redditos, tum et Conciliorum Africanorum, necnon Epistolam Siricii ad Patres Africanos. Præterea nonnullos Africanorum Conciliorum Canones adjecit quorum nulla alibi mentio; nempe Zellensis, Suffetulensis, aliorumque. Ipse vero Canones non per numerorum consequentiam, uti Dionysius Exiguus digressit, sed ad peculiare quosdam titulos universam Ecclesiasticam disciplinam redigens, singulis titulis Canonum aptiora fragmenta adscripsit. Hanc Breviationem, quam multis scaterere erroribus contendit Quesnellus *Dissert. XV. ad Opera S. Leonis M.* primus à Codice Mscripto Ecclesiæ Trecensis edidit Franciscus Pithœus; quam postea emendatorem, suis adnotationibus, et antiquo indiculo addito, recudendam curavit, Antonius Dadin. Alteserra.

LI. Tum annum circiter DCXC. Cresconius sive Crisconius Africanus Episcopus Ferrandi studium imitatus, uti ipsemet fatetur, novam *συλλογὴν Collectionem* confecit, quam *Breviarium Canonicum* inscriptam voluit. In ea disciplinam Ecclesiasticam in plura capita partitus, singulis capitibus Conciliorum Canones, Pontificumque decreta, quæ ipsis responderent, subjecit; quæ tamen indicat duntaxat, *κατὰ λέξιν ad verbum* refert. Eadem tamen integra exhibet in altera *συλλογῆ Collectione*, cui *concordia Canonum*, sive *Liber Canonum ἑπιγραφὴν titulum* præfixit. Porro non desunt, qui contendunt utramque hanc *συλλογὴν Collectionem* unum, idemque Ferrandi opus constituisse, cujus binæ fuerunt partes. Hactenus recensitos Canonum Codices maximam partem in suam Juris Canonici veteris Bibliothecam retulerunt Justellus, et Voellus.

LII. Postremo ad eandem Juris Canonici epocham referendæ plurimæ Imperatoriæ leges in utroque Codice Theodosiano, et Justinianæo adhuc exstantes, quibus piissimi Principes, vel Ecclesiam privilegiis exornarunt, vel quæ jam Canonibus sancita fuerant, adjectis temporalibus poenis, tanquam Fidei vindices, Religionisque custodes exsequi curarunt.

### P A R S III.

#### De Juris Canonici Statu Senescente, sive Arido.

I. Jam inde ab sæculo VIII. barbararum gentium irruptio, disciplinæ remissio, morum corruptio, Clericorum ambitio, litterarum squalor, schisma græcorum, atque adeo putidæ Isidori merces passim receptæ lugubrem reddidere Christianæ Ecclesiæ faciem. Merito igitur ab sæculo VIII. ad usque XI. Juris Canonici statum *Senescentem* fuisse, sive *Aridum* statuimus.

II. Tertiam hanc Juris Canonici epocham auspicatur in Oriente Photius vir singulari, præstantique ingenio præditus, ingentium vero perturbationum in Ecclesia auctor, atque origo. Hic circa an. 880. Codicem confecit *συνοδικὴ διατάξις ἰσαλοισχυρῶν Collectionem Constitutionum Ecclesiasticarum* inscriptum, in quam conjecit Canones Conciliorum Generalium, græcorumque Patrum scripta; ea scilicet ex quibus vetus Orientalium Codex componebatur; adjecit vero Canones Concilii Nicæni II. tum et Canones, quos duo Conciliabula ipso duce, et auspice Constantinopoli, alterum in Templo SS. Apostolorum, alterum in Templo S. Sophiæ habita ediderant. Igitur potius veterem Codicem auxit Photius, quam novum condidit. Uti è contrario à Catholicis antiquæ *συλλογῆ Collectioni* legitimæ Synodi VIII. Generalis Canones adjecti sunt. Photianam *συλλογὴν Collectionem* cum Comentariis Balsamonis, Zonaræ, et Aristini græce, ac latine, suis etiam additis observationibus, in lucem produxit Guilelmus Beveregius; alteram à Catholicis auctam in Codicibus quibusdam manu exaratis inveniri, auctor est Joannes Doujatius Prænotionum Canoniarum *Lib. III. cap. 8.*

III. Postremo idem Photius ad suum Canonum Codicem legum quoque Imperialium *σύνταγμα* *Syntagma* adjecit, condito Nomo-canone, quem exemplo Joannis Scholastici confecit, sed ordine diverso. Uti quoque leges non integras describit, quod à Joanne Scholastico factum fuerat, sed tantummodo indicat. Videsis Doujatium *ibidem* cap. 10.

IV. Verum in Oriente per amplius duo sæcula à *συνλογαίς* *Collectionibus* adornandis adquietum est. Namque nonnisi XI. exeunte sæculo Michael Psellus vir egregie cultus suam *Κανόνων Σύνοψιν* *Canonum Synopsim* versibus politicis conscripsit, quam duas in partes divisit. In priori Christianam Theologiam summam explicat, ac brevem Orientalium generalium Conciliorum historiam exponit; in posteriori vero Canones jam recepta veteri Collectione comprehensos exhibet. Hanc *σύνοψιν* *Synopsim* è Mss. Bibliothecæ Caroli de Montchal Archiep. Tolet. cum erudita Præfatione edidit Franciscus Bosquetus.

V. Jam vero ad Occidentalem Ecclesiam quod spectat, primus in scenam prodeat Isidorus *Mercator*, sive *Peccator* dictus, qui exeunte sæculo VIII. novam *συνλογὴν* *Collectionem* edidit multis, variisque supposititiis monumentis fœdatam, partim à se primum procusis, partim ab aliis antea confictis. Prioris generis sunt Epistolæ Decretales XCIX. nimirum XXXIII. R. Pontificibus ante Siricium falso tributæ, reliquæ posterioribus inter eorum genuinas adscriptæ usque ad Gregorium M. Item Acta Concilii Romani sub Julio I. et Concilii V. et VI. sub Symmacho. Posterioris generis sunt Epistolæ Clementis I. ad Jacobum, et excerpta Romanæ Synodi sub Sylvestro P. Seriem rerum genuinarum, et confictarum, quas Isidori complectitur Collectio, recenset vir Cl. Carolus Blascus *de Collectione Canonum Isidori Mercatoris* cap. 2.

VI. Isidorum, quem ejusmodi consarcinatio auctorem præsefert, haud quidem *Mercatorem*, sed *Peccatorem* inscribendum probant pæne omnes antiqui melioris notæ Codices. Profecto per illud temporis communis vigeat mos, ut Episcopi passim, et Monachi ad humilitatem se *Peccatores* adpellarent. Fortasse Codicis consarcinator *Peccatorem* se dicere voluit, ut facilius sub Hispalensi latitaret, quem



quem poenitentem summis gemitibus peccata sua deplorassee compererat.

VII. Jam vero 1. Isidoriana Collectio nonnisi in Germania primum adparuit, et quidem exeunte sæculo VIII. Eam enim tanquam ex Hispania illuc invectam sub Isidori Hispanensis nomine, teste Hincmaro Remensi *opusc. adversus Hincmarum Laudun.* primus evulgavit Rodolphus Episcopus Moguntinus, qui (si fides habenda quibusdam incerti Auctoris annalibus à Petro Pithæo editis) Lullo Episcopo Moguntino an. 786. successit.

2 E Germania in Gallias illata, tanquam genuinum Isidori Hispalensis opus admissa est, ac recepta; et quidem ab ipso Hincmaro Remensi *Epist. VII. cap. 12.* Verum quum postea hic idem Hincmarus in caussa, quam cum Hincmaro Laudunensi habebat Isidorianas Decretales sibi noxias cerne-ret, eas respuit quidem, at non alio nomine, quam quod quum in antiquis Collectionibus non reperirentur, essent obsoletæ. Eadem de caussa rejectæ quoque sunt ab Episcopis Gallicanis in caussa Rothadi Episcopi Suessionensis, qui in Synodo Provinciali depositus ad Sedem Apostolicam adpellaverat.

3 Nonnisi serius Romam pervasit. Etenim Leo IV. qui Pontificatum obtinuit ab an. 847. ad an. 855. ubi ad Episcoporum Britanniae consulta respondet in *Epist. quæ exstat apud Sirmondum Tom. III. Conc. Gall.* recensens Decessorum suorum Epistolas Decretales, quibus Romana tunc temporis in judiciis Ecclesiasticis utebatur Ecclesia, ab Siricio exorditur, nulla Epistolarum Clementis I. aliorumque ante Siricium R. Pontificum facta mentione.

4 Denique ad Orientem usque non perrexit, neque enim, opinor, fraus fugisset Photium accerrimi iudicii virum.

VIII. Porro ex dictis tria colligimus: 1. Isidorianas Decretales, licet tanquam apocryphas nunquam rejectas, at tamen non statim obtinuisse. Hoc sane de Ecclesia Gallicana, ubi primum ejusmodi merx pervagari cœpit, modo observavimus. Adhæc quum Nicolaus I. in caussa Rothadi easdem, tanquam tegmina totius Ecclesiæ Catholicæ, Gallicis objecisset, Gallicani Antistites adhuc tegmina illa, licet nondum agnita falsaria manu, respuere non dubitarunt.

2 Hincmari Remensis, aliorumque Galliae Episcoporum

exceptiones tanti non fuisse, quin sensim per totum Occidentem jus evaderent. Et sane ipsi Gallicani Antistites in Concilio Remensi an. 995. ubi caussa Arnulphi Archiepiscopi tractata est, ipsarum auctoritatem agnovere. Præterea tum in Conciliis per ea tempora etiam in Galliis habitis tum in Capitularibus Regum Francorum haud pauca ex earundem auctoritate Decreta fixa sunt.

3 Nullam, vel minimam R. Pontificibus notam inurendam, vel quod dolo malo hujusmodi falsa documenta produxerint, vel quod ex eis falsas doctrinas hauserint. Nam quod ad primum exeunte sæculo viii. per Riculphum evulgatæ jam fuerant: medio tamen sæculo ix. Romanæ Sedi adhuc erant ignotæ. Tum ad alterum quod attinet, licet multa in illis sint, quæ ab antiquitate abhorreant, nihil tamen, si à summo ad imum percurras, in illis reperies, quod aut fidem, aut mores vel minimum lædat: quippe quæ ut observat ipsarum infensissimus hostis Blondellus, vel à scriptis Romanorum Pontificum, Auctorumque ætate posteriorum haustæ sunt, vel ad illorum temporum consuetudines, moresque compositæ. Videsis Doujatium *ibid. Lib. 2. cap. 22.*

IX. De Collectionis Auctore non satis liquet.

1 Isidoro Hispalensi omnino tribuenda non est: id enim vetant: 1. ejus sanctimonia, et antiquitatum Ecclesiasticarum peritiâ. 2. Antiquissimi Codices Mss. qui Isidorum *Mercatorem*, vel *Peccatorem* Collectioni præfixum habent, nullus *Hispalensem*. 3. Denique quod nonnullæ ejus farraginis partes ex monumentis Isidoro Hispalensi integro sæculo recentioribus decerpæ sunt.

(\*\*) 4 Et sane plus debemus Selvagio Italo homini, quam Hispano Aguirrio. Hic enim religioni ducens Decretales omnes ante-Siricianis Pontificibus vulgo tributas à falsitatis nota vindicare, præcipuam illius Collectionis partem Sanctissimo Isidoro adserere non erubuit. Quantum in eo, sed infeliciter elaboraverit, vir alioqui omnigena eruditione refertus, Dissertationes quas Tom. I. suæ Collectionis inseruit, ostendunt. Sed malæ causæ bonus patronus. Instituti nostrî brevitatis non sinit, nos in discutiendis, simul et explodendis rationum momentis ab Aguirrio excogitatis, immorari; sed nemo non novit opus hoc Mercato-

ris purum, putumque redolere male feriatu hominis mendacium. Ebulliunt in eo nœniæ, fabellæ, anachronysmi, anti-logiæ. Patiemur igitur nos, Isidorum pietate, et scientia clarissimum hujus ita consarcinatae Collectionis auctorem audire? Probe novimus caput 2. Præfationis aliquantum sancti Doctoris stilo respondere; verum neque ignoramus, *versipellem*, et *personatum* Isidorum sub his verbis ex Lib. 8. Etymolog. S. Isidori decerptis voluisse se, quasi sub ovina pelle salacissime contegere. (\*)

2 Nec gente fuisse Hispanum veri simile est: etenim 1. Hispania Saracenorum jugo tunc temporis pressa ferme penitus exularunt meliores litteræ: (\*\*) Tametsi in hac misseranda Hispaniæ clade non defuerint sanctitate, et sapientia clarissimi, quos inter Eutherus, Beatus, Esperandus, Alvarus Paulus, et Eulogius, de quo non veretur dicere Baronius ad diem 24. Novemb. quod *in pixide Spiritus Sancti calamus intinxisse S. Eulogius videatur.* (\*) Nec 2. credere par est, Hispanum in comminiscendis tam venerandæ antiquitatis monumentis non majori patriæ celebrandæ studio flagrasse, quam ut in tota Epistolarum Collectione ad Hispanos datas nonnisi quinque protulisset. (\*\*) Fortasse eos, qui Isidorum peccatorem Hispanum credidere, nominis similitudo fefellit. Argumentum sane gravissimum. (\*)

3 Neque Isidoro Episcopo Setubensi adscribenda. In Chronico quidem sub nomine Juliani Toletani Parisiis edito legitur: *Isidorus Mercator Episcopus Setubensis Compilationem Canonum ope cujusdam monachi composuit, atque an. 805. decessit*: cum quo consonat etiam alterum Chronicon Luitprando tributum. Verum hujusmodi Chronica, tum ob plura, tum vel maxime quod *ἀναχρονισμοῦ anachronismis*, ac fabellis scateant, communi eruditorum calculo, ut supposititia rejiciuntur. (\*\*) Rejiciuntur itidem et ab Hispania, quæ conficto non indiget splendore, illa Pseudo-Dextri Chronica, Maximi, Helecæ, Luitprandi, Juliani Peretii, et Hauberti Hispalensis, quæ è quodam forte delirantis anus cerebro prodierunt. (\*)

4 At vero similius, vel ipse Riculphus, vel Benedictus Levita, vel alius quidam Germano-Francus Epistolas illas

aut confinxit, aut ab aliis confictas collegit. Id evincitur  
 1. ex Gallo-Francorum, et Langobardorum idiotismis passim in ipsis occurrentibus. 2. Ex eo, quod ex Ecclesiæ Moguntinæ scriniis, et quidem Riculphi cura, primum prodierint. (\*\*)

3. Ex eo, quod se peccatorem dicat, quem sibi adsciscere titulum Galli Episcopi consuevere, ut in Synodo Turonensi I. et II., et Parisiensi II. Hispani nunquam, uno excepto Joanne Gerundensi in Concilio Barcinonensi an. 599. (\*)

X. Quorsum autem Pseudo-Isidorus tot Epistolas, ac monumenta confinxit? Sunt, qui putant, ut sub fucatis primævæ antiquitatis testimoniis Romanæ Sedis amplitudinem speciosius tueretur. Profecto hæc videtur fuisse Christiani Lupi sententia, qui *Tom. III. Schol. in notis ad Can. III. Dictatus vulgo Gregorii VII. in hanc rem sic scribit: In Gallia tunc, ac Germania per Francos, in Hispania per Saracenos, in Italia, ac Illirico per Langobardos, et Græcos admodum vexata, ac depressa erat Apostolicæ Sedis Majestas, et omnis Ecclesiastica Jurisdictio: ideoque ad ipsas sublevandas nescio quis pius fidelis finxit sub antiquorum Romanorum Pontificum nomine Decretales istas Epistolas, quas passim vocamus Collectionem Isidori Mercatoris.* At contra, præter quamquod R. Pontifices non nisi serius, uti modo vidimus, illarum auctoritate usi sunt, profecto ex eodem Isidoro educi fas est, Auctoris *nonnulli scopum* præcipue in eo fuisse, ut Episcoporum indemnitati consuleret. Id ex pluribus earundem falsarum Decretalium capitibus fuse, ac erudite demonstrat in modo laudato opere *Cap. 8. vir egregie doctus Carolus Blascus.*

XI. Demum suppositio sæculo xiv. primum detegi cœpit. Etenim de aliquibus ante-Siricianis primum dubitarunt Marsilius Patavinus, et Gobellinus Persona. Tum nonnullas uti suspectas traduxerunt Nicolaus Card. Cusanus, Cæsar Card. Baronius, et Georgius Cassander: (\*\*)

ac Antonius Augustinus, qui quum esset emunctæ naris homo, plura in eo inspiciens ex Codice Theodosiano, et Aniano deprompta fragmenta, putridas, infectasque merces olfecit. Videsis *Dialog. de Emend. Grat. (\*)* Demum quum adversus Catholicos, qui in controversiis religionem spectantibus illa-

rum

rum auctoritate utebantur, exciperent hæretici, illas purum, putum esse Mercatoris figmentum ad augendam R. Pontificum potentiam excogitatum, diligentius in illas ab Antonio Contio, aliisque eruditis inquisitum est, atque adeo earundem impostura gravissimis argumentis firmata.

XII. Præcipua sunt: 1. Si genuinæ essent, profecto earum meminissent Eusebius, Hieronymus, Gennadius, R. Pontifices per octo priora Ecclesiæ sæcula, Concilia præsertim Occidentalia per illud temporis quam frequentissime celebrata; neque enim occasio defuit, quin immo et *περιστάσεις* *circumstantiæ* fuerunt, in quibus omnino producendæ fuissent.

2. Unde illas hausit Isidorus, quum Dionysius Exiguus R. Ecclesiæ scriniis diligentia quanta maxima lustratis, excussisque nullam illarum invenerit?

3. Sermo rudis, barbarus, et nimium est à priorum sæculorum nitore alienus.

4. Idem scribendi character, idemque stylus in tot diversorum Pontificum Epistolis eundem, recentioreque impostorem arguunt.

5. Tandem quamplurima in iis occurrunt tertio sæculo recentiora: uti sacrarum litterarum sententiæ secundum Vulgatam, Leges ex utroque Codice petitiæ, posteriorum Conciliorum, et R. Pontificum Canones, ac Decreta, aliaque his similia.

XIII. Statim ac in Gallias Isidori *συλλογὴ* *Collectio* illata est, alia statim prodiit in 80. Capitula tributa, bonam partem ex Isidoriana desumpta. Hujusmodi autem Hadriano Papæ falso tributa, ejusque nomine primum evulgata, eundem adhuc retinet *ἐπιγραφὴν* *titulum*.

XIV. Plures exinde secuti sunt Canonum Collectiones, et quidem diversis methodis pro uniuscujusque ingenio. Ac I. eodem sæculo IX. prodiit Collectio sub denominatione *Canonum Pœnitentialium* incerto auctore ex monumentis Collectionum Exigui, et Hispal. plerumque desumpta; quæ licet ejusmodi exhibeat *ἐπιγραφὴν* *titulum*, complectitur tamen omne Canonum genus. Etenim in tres libros tribuitur, quorum prior *de Pœnitentibus*, et *de Pœnitentiis*, alter *de Judiciis*, tertius demum *de Ordinationibus, Gradibus, et Officiis*.

*ciiis Clericorum*, atque *Episcoporum* disserit. Hunc Codicem quem manu exaratum viderat Joannes Morinus, Lucas Dacherius *Spicil. Patrum Tom. II.* primus typis vulgavit.

XV. Sequenti sæculo Regino Monachus Benedictinus jubente Rathbodo Trevirorum Archiepiscopo Collectionem sub titulo, *De Ecclesiastica Disciplina, et Religione Christiana* edidit. Ad bina hæc capita explicanda, ac roboranda Canonibus utitur Conciliorum, Pontificum Decretis, Sanctorumque Patrum, plerumque Orientalium, sententiis; nonnulla ex falsis Isidori mercibus interserit: denique haud raro Leges profert ex Codice Theodosiano secundum Aniani interpretationem, necnon et ex Capitularibus Regum Francorum.

XVI. *Capitularia Regum Francorum* dicuntur Collectio earum legum, quas Carolus M. et Ludovicus Pius in generalibus Comitibus suffragantibus Episcopis, ac Regni Proceribus sanxere, partim ad Ecclesiam, partim ad Rempublicam rite gubernandam spectantes. Studio Ansegisi Abbatis in unum corpus redacta sunt, et in quatuor Libros tributa; quorum I. et III. ad res Ecclesiasticas pertinent; II. et IV. ad civilem politiam. His Benedictus Levita tres alios adtexuit, tum ex capitibus, quæ Ansegisus præterierat, tum ex aliis post ejus mortem perlatis. Capitularia probavit Leo IV. à Gratiano relatus *Canon IX. Dist. 10.*

XVII. Sæculo XI. primus occurrit Burchardus Wormatiensis Episcopus, qui an. 1008. nova methodo *Magnum Decretorum Volumen* exornavit, vulgo dictum *Decretum*. Multa ex Reginone mutuatus est, cujus erroribus et suos addidit, præsertim ex *ἀποκρυφῶν apocryphis* Isidori monumentis; sententias quoque è Sacro Codice petitas intermiscet, tum et nonnulla ex Libris Pœnitentialibus.

XVIII. Variæ quoque per eadem tempora in Occidente prodire Canonum Pœnitentialium *συλλογῆς Collections*, sive *Libri Pœnitentiales*, vel *Pœnitentialia*: quibus scilicet agendæ publicæ pœnitentiæ Canones exhibebantur. Hujusmodi plurimæ identidem factitatæ sunt, quas longum esset hic recensere. Præcipuæ sunt I. illa Theodori Archiep. Cantuariensis inscripta *Pœnitentiale*, cujus summaria capita refert

Henricus Spelmanus in *Collect. Conc. Galliae* : 2. illa Bedæ, vel potius Egberti Archiep. Eboracensis in quatuor libros distincta, quæ Mss. exstat in Biblioth. Collegii S. Benedicti in Anglia : 3. illa Halitgarii Cameracensis Ep. edita in Biblioth. Vet. Patr. *Tom. V. column. 590. et 592.* : 4. demum illa Rabani Mauri Benedictini, quam simul cum aliis Rabani operibus evulgavit Georgius Colvenerius.

XIX. Ad eandem Juris Canonici epocham liceat quoque referre binas exæque Ivoni tributas Collectiones ; quarum prior ab Auctore inscripta, *Excerptiones Ecclesiasticarum Regularum Libris XVII.* non secus ac illa Burchardi *Decretum* dici consuevit : altera *Panormia*, vel *Pannormia* dicta, est veluti ejusdem Decreti compendium ordine paululum diverso digestum.

(\*\*) XX. Nullam prædictarum Collectionum excepit Hispania. Non Isidori Mercatoris, cujus argumentum est, quod Episcopi, etiam post hujusmodi evulgatam Collectionem, Synodos Provinciales coegerunt, non expetito prius à Romano Pontifice adsensu, quem necessario Pseudo-Isidorus expetebat, videlicet Synodum Legionensem an. 1012, Cojacensem an. 1050. Compostellanam an. 1056. Jaccensem an. 1063. &c. Fatemur tamen plures in Hispaniam inductas novitates ex eo, quod Ecclesia Romana eam Collectionem excepisset. Non reliquas ; Hispania etenim nostra tenacissima omnium fuisse videtur in avitis custodiendis moribus ; institit enim, quantum potuit, in Gothicis retinendis ritibus, et nonnisi post diuturnas contentiones amplexa est Romanam precandi formam. Adhæc in Historia, quam ex Mss. Ecclesiæ Toletanæ inseruit Tomo IV. *Collectionis pag. 373. edit. Rom.* Cardin. de Aguirre, refertur, missum à Joanne X. Zanellum Presbyterum in hæc Regna, et Ecclesiæ rebus diligenter inspectis, relectisque Canonibus, nihil quod non probaret, invenisse. Si ergo Canonum Codicem Zanellus legit, legit profecto quem non viderat ; neque enim vero simile est, Legatum ab Apostolica sede missum publicas canonum Collectiones latuisse. (\*)

XXI. Postremo quantum ad Jus Neap. attinet, animadvertere juvat Ecclesiam Neap. circa an. 980. in Archiepiscopalem Sedem fuisse erectam. Videsis eruditiss. Ma-

zochium de Eccles. Cathedr. Neapol. Anteloquii Part. III. n. XXVIII. et Clariss. Josephum Sparanum in suo recens evulgato opere *Memorie Istoriche &c. Lib. II. cap. 3.* Atque hic Juri Canonico *Senescenti*, et *Arido* finis esto.

## P A R S I V.

### De Juris Canonici Statu Restaurato, et Reflorescente.

I. Sæculo xi. nova Scholastica methodo ex Aristotele, vel potius ex ejus interpretibus in Ecclesiam inducta, novam plane faciem induere cœpit primum res Theologica, dein et Jus Canonicum. Utraque enim facultas ad Philosophicum, et Acroamaticum dicendi genus restricta, in plures, diversasque quæstiones distincta; rationibus in utramque partem expensis, nimis quidem curiose, et aliquando etiam usque ad ineptiam methodo nihilominus brevi, nec usquequaque inconcinna, et ad subtilem, argutamque disputandi rationem satis apte composita. Primus hujusce methodi in re Theologica veluti dux, ac parens fertur fuisse Petrus Lombardus Novariensis, *Magister Sententiarum* vulgo dictus. At in re Canonica idem pæne institutum imitatus est Gratianus; cujus opera Canonum disciplina *veluti revixit*, atque *in ordinem redacta est*.

II. In iv. igitur hac Juris Canonici epocha primus producendus est Gratianus, qui natione Tuscus, patria Clusinus, professione Monachus primus omnium *Concordantium discordantium Canonum confecit*, quæ deinde *Decretum* inscite dici cœpit.

III. Hoc opus ex Dionysio Exiguo, Isidoro, Ivone, Burchardo, aliisque decerptum constat i. ex locis S. Scripturæ: 2. ex prioribus 50. sic dictis Canonibus Apostolicis: 3. ex Conciliis æque Œcumenicis, ac particularibus: 4. ex Decretalibus R. Pontificum partim genuinis, partim dubiæ fidel, partim etiam *ἀποκρυφῆς apocryphis*: 5. ex operibus Patrum, et Auctorum Ecclesiasticorum: 6. ex libellis Pœnitentialibus: 7. ex Libris Juris Civilis Romanorum, Capitularibus Regum Francorum, Imperatorumque rescriptis:



tis : 8. tandem ex Historia Ecclesiastica, gestisque R. Pontificum, ex Libro Diurno, et ex Ordine Romano plerumque desumptis.

IV. Dividitur autem in tres partes, quarum prima de *Personis* præcipue agit, et in Distinctiones ci. partita est. Secunda, quæ de *Judiciis Ecclesiasticis* inscribitur, eorumque forma, habet Caussas xxxvi. quarum singulæ in Quæstiones dividuntur : Quæstio autem iii. Caussæ xxxiii. in vii. Distinctiones subdividitur, in quibus *quum res Pœnitentialis* tractetur, titulo de *Pœnitentia* insignitur. Tertia tandem, quæ de rebus sacris præcipit, unde *ἐπιγραφήν titulum de Consecratione* exhibet, in v. Distinctiones dispescitur.

V. Jam vero Gratianus, licet in sua Collectione adoranda plurimum studii, operæque adhibuerit, attamen quamplurima peccavit, quippe qui ob nimiam temporum infelicitatem Historiæ, Critices, omnisque litteraturæ præsidio destitutus. Porro Gratianeus Codicis menda primum ex parte observata à S. Antonino, deinde plenius excussa, et notata sunt non modo studiis privatorum, ac præcipue à tribus Antoniis *Demochare*, *Contio*, et *Augustino*, sed etiam jussu trium R. Pontificum Pii IV. Pii V. et Gregorii XIII. à viris doctis ad hoc opus selectis : plura quoque emendarunt Petrus, et Franciscus Pithœi, Zegerus Van-Espernius, ac tandem nostris hisce temporibus Carolus Sebastianus Berardus in Universitate Augustæ Taurinorum sacrorum Canonum Antecessor.

VI. Quid sibi vult vox *Palea*, quibusdam Canonibus apud Gratianum præfixa? Num res levioris momenti, et antiquatas? Haud sane. Plerique enim illorum, haud seculus, ac reliqui, res graves, nec antiquatas complectuntur. Verosimilius *Palea* nomen est Auctoris, qui Canones utilitate, et auctoritate præstantes Gratianæo Codici adjecit. Et sane in quodam antiquo Mss. Codice ad marginem prostat, et Cremonæ non ignobilis familia cognomine illo distinguitur : Antonius August. de *Emendat. Gratiani Lib. I. Dialogo 2.*

VII. Gratiani Collectio canonicam auctoritatem, quam principio non habuit, quippe quæ privata auctoritate confecta, ne accedente quidem R. Pontificum correctione, ad-

quisivit. Attamen ubi prodiit summo plausu recepta est; adeo ut ceteris Collectionibus neglectis ipsa tantummodo in usu esset. Id quod duobus potissimum de causis accidit: 1. quod Gratianus Scholastica fere methodo uteretur, quæ, uti modo observavimus, tunc primum disciplinis tradendis ad commodari cœperat: 2. quod in Bononiensi Academia traderetur, ad quam ex omnibus pæne mundi partibus confluebatur.

(\*\*) VIII. Non distulit Hispania nostra hanc ad se adducere Collectionem; quum enim primam aspexerit lucem an. circiter 1151, ea usus est Petrus Archiepiscopus Compostellanus, qui adversus Bracarensem disceptabat. Videsis Epistol. Innocent. III. ad eund. Petrum an. circiter 1199, apud Aguirre Tom. IV. ad calcem *Synodi Emerit.* et apud Floretium *Hispan. Sacr. Tom. IV. Tract. III. Append. II. §. 14.* (\*)

IX. Quid quod post Gratian. adornandis Canonum Collectionibus modus factus est? At vero colligendis Decretalibus R. Pontificum Epistolis manus admoveri cœpit. Nec mirum; quum enim tum ob intermissam Conciliorum frequentiam, tum ob admissas Isidori Pseudo-Decretales (quæ maximam partem antiquam disciplinam immutaverunt) omnia pæne negotia ad R. Pontifices deferrentur, frequentissimæ eorundem erant Litteræ Decretales, ex quibus identidem Collectiones confectæ, uti mox videbimus.

X. Prima igitur Decretalium Collectio est, quæ à Bernardo Circa Præposito Papiensi an. 1190. composita *Breviarium Extravagantium dicta*, sive Collectio monumentorum extra Gratiani Decretum vagantium. Et sane continet, tum quasdam R. Pontificum Decretales, quæ Gratiani diligentiam effugerunt, tum vel maxime eorum, qui post Gratiani ætatem incidere, nonnullis etiam adjectis Conciliorum Canonibus, Patrumque sententiis.

XI. Annis ferme duodecim elapsis Joannes Vallensis, sive Gallensis alteram Collectionem edidit in quinque Libros tributam, qua Epistolas R. Pontificum collegit; tum eas scilicet, quæ à Bernardo Circa relictæ fuerant, tum nonnullas Gratiani ætatem præcedentes.

XII. Tum Bernardus Major Compostellanus Archidjaco-

nus ex Decretalibus priorum annorum duodecim Innocentii III. aliam Collectionem confecit, quæ tamen usu recepta non est. Etenim ipse Innocentius opera usus Bernardi Diaconi Beneventani tertium Decretalium Librum evulgavit, cui plenissimum juris robur est impertitus. Atque hæc Innocentiana Collectio omnium prima juris vim nacta, Compostellana rejecta, tertia Decretalium Collectio adpellata est.

XIII. Paucos post annos quarta prodiit, qua Anonymus quidam Auctor posteriores Innocentii III. Decretales, necnon et Capitula LXXI. Synodi Lateranensis sub eodem Pontifice celebratæ complexus est. His adjiciendus videtur Honorius III. qui illud summopere curavit, ut quam diligentissime omnes suæ Decretales in unum volumen cogerentur. Hinc quinta habetur Decretalium Collectio. Utraque hæc Innocentii, et Honorii Sedis Apostolicæ auctoritate edita est. Atque hæc sunt quinque veteres Decretalium Collectiones quarum priores quatuor Antonius Augustinus, postremam quintam Innocentius Cironius adjectis adnotationibus edidit.

XIV. Demum quum ob ingentem Collectionum copiam, atque elucubratos in eas commentarios maxima in Ecclesiasticis Judiciis oboriretur confusio, Gregorius IX. opera usus S. Raymundi de Pennafort Barcinonensis, viri pietate, ac multiplici eruditione clarissimi *summi* Collectionem Decretalium adornavit, quas ex quinque prioribus jam editis deduxit; iisque et quamplurès à se conscriptas inseruit. At vero integras plerumque Decretales Raymundus non refert, sed ipsarum tantum initia cum ea parte, qua propositæ quæstionis definitio continetur. Quum igitur aliquando ea rescindat, quæ ad pleniorè rei notitiàm conferunt, hinc à priorum Collectionum lectione, et studio minime segregandam existimo.

(\*\*) XV. Anno 1230. edita est Gregorii IX. Compilatio atque an. 1250. quo elucubrari cœpit Partitarum Codex, proculdubio nota illa erat in Hispania, siquidem totam fere Partitarum primam à Gregorianis Decretalibus Alphonsus mutuavit, quorum quidem titulorum normam prima æmulata est Synodus Vallis-oletana an. 1322. (\*)

XVI. Ab an. 1230. quo Gregoriana prodiit Collectio, ad an. usque 1297. colligendis Decretalibus temperatum est, donec Bonifacius VIII. trium Jurisperitorum opera novam Decretalium Collectionem suo nomine, suaque auctoritate, tanquam supplementum Gregorianæ addidit, quam *VI. Decretalium Librum* adpellavit; eaque collectæ sunt Decretales tum ipsius Bonifacii, tum R. Pontificum, qui post Gregorium vixere; atque etiam Canones utriusque Lugdunensis Generalis Concilii, quorum alterum an. 1245. sub Innocentio IV. alterum an. 1247. sub Gregorio X. habitum fuerat.

(\*\*) XVII. Eodem anno quo Collectio hæc in lucem prodiit, si prodiit an. 1298. vel proxime sequenti si an. 1297. missa est à Bonifacio ipso, ut in publica Salmanticensi Academia legeretur, si fides adhibenda est Aguirrio in *Notitia Conciliorum*. Eam quoque aperte laudat Synodus Penna-fidelensis an. 1302. *Canone VI.* (\*)

XVIII. Accessit postea nova Clementinarum Collectio, qua continentur Constitutiones Clementis V. in Concilio Viennensi an. 1311. editæ, et à Joanne XXII. an. 1317. evulgatæ: (\*\*) quæ in præfata Synodo Vallis-oletana laudantur Cap. XII. et XXIV. (\*)

XIX. Reliquæ omnes Decretales, quæ Corpori Juris deinceps adjectæ sunt, *Extravagantes* adpellantur, quod veluti errarent, caderentque extra ceteras Compilationes. Porro Extravagantes sunt partim Joannis XXII. (\*\*) quarum memorat Guido Episcop. Helenen. in *Constitutionibus Synodalibus* an. 1335. (\*) partim communes non solum subsequentium R. Pontificum ad usque Sixtum IV. sed etiam nonnullorum, qui ipsum Innocentium III. præcesserunt.

XX. Atque hæc sunt sex Canonum, ac Decretalium Collectiones, quæ *Corpus Juris Canonici*, quo vulgo utimur, constituunt: nimirum *Decretum Gratiani*, *Collectio Gregoriana*, *Sextus Decretalium*, *Extravagantes Joannis XXII. et Communes*. Quæ enim à Sixti IV. tempore Pontificiæ prodierunt Constitutiones, eæ in Corpore Juris comprehensæ non censentur, etsi ipsarum variæ factæ sint Collectiones, quæ Bullaria dicuntur.

XXI. Bullæ igitur dictæ sunt R. Pontificum Constitutiones,

nes, nempe à sigillo vel plumbeo, vel aureo, quod exhibet hinc figuras SS. Apostolorum Petri, et Pauli, hinc nomen Pontificis, pendetque ex funiculo aut serico, si sint gratiosæ, aut canapis, si sint justitiæ. Bullæ aliæ sunt *Consistoriales*, nimirum quæ in Consistorio, advocato Cardinalium consilio, ac eorundem subscriptionibus munitæ expediuntur. Hæ alio novo ad crucis formam insuper adnexo sigillo distingui solent. Aliæ *non Consistoriales*, nimirum quæ extra Consistorium, non adhibito Cardinalium consilio, feruntur. Præterea, quæ à R. Pontifice ante consecrationem eduntur, *Bullæ dimidiæ* dicuntur, scilicet, quod in sigillo impressio nominis Pontificis desit.

(\*\*) XXII. Petrus Matthæus Lugdunensis novam ad præcedentium exemplum Collectionem labente sæculo xvi. concinnavit, quam adpellare voluit, *Septimum Decretalium Librum*, cui perinde novos titulos, novaque eam ac prolixiori Constitutionum tradendarum methodo adornandam cogitavit. Hæc inter Juris Canonici membra non habetur, tametsi eam Typographi post *Extravagantes Communes* adfigere consueverint. (\*)

XXIII. Bullæ à Brevibus differunt: 1. quod illæ pro gravioribus, ista pro levioribus negotiis expediri solent. 2. Pro Brevibus in usu sunt membranæ subtiles, et albæ; pro Bullis autem membranæ subfuscæ, et crassiores. 3. Brevia scribuntur caractere Latino nitido, et eleganti; Bullæ vero caractere Langobardico, seu Theotónico. 4. Bullæ sigillum exhibent aureum, vel plumbeum pro ratione personarum, ad quas diriguntur; contra vero Brevia sigillum tantummodo in rubra cera impressum cælatam habens figuram S. Petri in actu piscationis; unde expediri dicuntur *sub annulo Piscatoris*. 5. Demum Bullæ expediuntur in Cancellaria Apostolica; Brevia per Secretarium Brevium.

XXIV. Postremo neque in Corpore Juris comprehenduntur Concilia Provincialia ab Gregorii IX. ætate ad nostram hanc tempestatem, atque adeo nec ipsa Concilia Generalia post Viennense celebrata.

XXV. Huc quoque referri possunt regulæ Cancellariæ Apostolicæ, quarum primus auctor proclamatur Joannes XXII. At Cl. Muratorius Antiq. Ital. med. ævi *Lib. I. Diss.*

*Diss. XII.* testatur se vidisse quendam Codicem Manuscriptum ejusmodi Regularum, quibus *παύραφ* *inscriptio* Honorii III. inerat. Quare rectius adserendum videtur, ipsas cum eadem Cancellaria communem habuisse ortum, quæ deinceps à R. Pontificibus *κατάδικα* *pedetentim* incrementa accipientes, denique Innocentii X. cura collectæ in titulos 71. divisæ fuerunt. Porro R. Prætorum Edictis comparari posse videntur, quippe quæ vim juris, nisi vivente R. Pontifice, non habent; quo mortuo omne prorsus robur amittunt, nisi à Successore receptæ confirmentur.

XXVI. Postremo qui sine piaculo hic omittam, plures Neapoli per illius ætatis Archiepiscopos fuisse Ecclesiasticas Synodos celebratas, quarum Constitutiones in unum volumen collegit, firmavitque Jo. Ursinus Archiep. Neap. in Synodo à se habita circiter an. 1330. Easdem exeunte sæculo xv. vel ineunte xvi. Alexander Carafa Archiep. Neap. in altera à se convocata Synodo iterum firmavit, typisque excusas evulgandas curavit.

XXVII. Ad eandem Juris Canonici epocham pro Regno Neapolitano pertinent sex priora *Concordata* inter R. Pontifices, et Reges Neap. diversis temporibus inita.

1 Occurrunt articuli pacis, quos an. 1156. inter Regem Willelmum, et Adrianum IV. Beneventi obsessum pactos refert *Baronius Tom. II. Annalium ad an. 1156.* In his pro temporum ratione cautum est de causis Ecclesiasticis in gradu adpellationis ab Ecclesia Romana judicandis, de consecrationibus, et visitationibus Apostolicis Ecclesiarum Regni, legationibus Pontificiis, electionibus Ecclesiasticis, et Investitura Regni.

2 Capitula xxiv. à Clemente IV. præscripta in Bulla investituræ Regni utriusque Siciliæ ad Carolum Andegavensem data an. 1265. qui ea se observaturum juravit. Attinent potissimum ad Investituræ leges, privilegia, finesque status Beneventi, libertatem electionum Ecclesiasticarum salvo jure patronatus, immunitatem realem Ecclesiarum, et personalem Clericorum: Rainald. *Annalium Eccles. ad an. 1265.* Eadem deinde Ferdinandus I. Aragonensis innovavit, inseruitque an. 1649. in Prag. 2. de Clericis Selvaticis.

3 Capitula xlvj. Caroli I. Andegavensis in plano S. Marti-

tini apud Brutios convocato Episcoporum, Baronum, et Procerum cœtu condita, et promulgata an. 1283. quæ quum Honorius IV. an. 1285. quod attinet ad immunitates, et privilegia Clericorum confirmasset, Concordata Honorii passim dicta sunt. Ex his, quæ ad rem Ecclesiasticam spectant infra recensebimus: Summont. *Tom. II. Histor. Neap. Greg. Grimald. Lib. XII. Hist. leg. et magistr. n. 5. et sequent.*

4 Alia eodem an. 1285. Capitula edidit ipse Honorius de forma exigendi collectas, et vectigalia pro Baronibus, aliisque Regni utilitatibus à Card. de Parma Legato Pontificio publicata. At num vim legis aliquando in Regno haberint, adhuc lis est inter Rainaldum, et Auctorem *Hist. Civ. Neap. Greg. Grimald. ibidem.*

Eadem fere Andegavensium pacta conventa sunt in sequentibus Investiturarum litteris, quas deinceps à R. Pontificibus Reges Neap. accepere; præsertim Carolus Duracensis ab Urbano IV. an. 1380. Alphonsus Aragonensis ab Eugenio IV. an. 1445. Ferdinandus Catholicus ab Innocentio VIII. an. 1486. alique.

5 Sequenti an. 1487. idem Innocentius VIII. cum Ferdinando Rege pactus est, ut Episcopatus omnes, et Beneficia hujus Regni Papa conferret ad sui libitum: Rainald. *ad an. 1487. n. II.*

6 Tum vero Clemens VII. percusso fœdere cum Carolo V. Imper. die 29. Julii 1532. Regi Neapol. nominationem indulisit Prælatorum ad xxv. Cathedrales Ecclesias viii. scilicet Archiepiscopales, et xvii. Episcopales: reliquæ omnes liberæ Sedis Apostolicæ collationi permissæ sunt: Videsis Carolum Gagliardum *Inst. Canon. Lib. I. Tit. X.*

XXVIII. Postremo Concordatis ad censendam sunt Leges, Constitutiones, Capitula, sive Capitularia, et Pragmaticæ, quæ à Regibus Neap. Northmannis, Suevis, Andegavensibus, et Aragonensibus ad res Ecclesiasticas pertinentes diversis temporibus editæ sunt; quas si ego hic ex ordine summam recenseam operæ prætium me facturum censeo.

*Rogierus Rex Northmannus. 1130.*

1. Arbitrio Judicis Sacrilegorum pœnæ moderantor, ne  
Tom. I. G va-

vasa sacra abstulerint, Tempia destruxerint, vel perruperint, quo casu morte plectuntur: Const. *Multæ leges.* tit. *de Arbitr. Reg.*

2 Raptores Virginum Deo sacratarum item morte puniuntur: Const. *Si quis.* tit. *De Rapt. et Violat. Monial. illat.*

3 Servi, qui Romanis *adscriptitii* vocabantur, utpote persona adstricti à Clero arcentur; si vero vi beneficii serviant, resignato beneficio ad Clerum admittuntur: Const. *Errores.* tit. *De his qui deb. acced. ad Ord. Cler.*

4 Post sponsalia, sollemnitate debita, et benedictione sacerdotali præmissis, sollemniter, et publice matrimonia contrahuntur; quod si clam inita, nec dos, nec soboles legitima censentur: Const. *Sancimus.* tit. *De Matrim. contrah.*

5 Tribus ex vidua Ecclesia sapientioribus personis administratio rerum Ecclesiasticarum, usque dum novus constituatur Prælati, demandator, quum Bajuli Regii hoc jure abuterentur: Const. *Perrexit ad audient.* tit. *De Administr. Reb. Eccles.*

6 Mariti ab uxoribus adulteris accusandis arcentur, si cum aliis coram se cum ganeis luxuriari permisserint: Const. *Qui coram,* tit. *De Pœna adult.*

7 Viri, si adulteria permittant, præter infamiam, qua inuruntur, graviter puniuntur: Const. *Quamvis uxorem,* tit. *De probib. quæst. fæmin.*

8 Mulieres honestæ à prostituerarum conversatione prohibentur: Const. *Quæ passim,* tit. *De summota convers.*

9 Uxores, si adulteræ sint, repudiari jus esto: Const. *Repudium,* tit. *De Repudiis conced.*

10 Iisdem pœnis lenæ puniuntur, ac adulteræ: Const. *Lenas sollicit.* tit. *De Lenis.*

11 Matres, si filias prostituant, præter pœnas lenocinii, naso amputato plectuntur: Const. *Matres,* tit. *De Matribus filias prostit.*

12 Actu adulterum adulteramve impune occidi fas esto; minime vero si intervallum aliquod excurrat: Const. *Si maritus,* tit. *De pœna uxor. in adult. depreh.*



*Willelmus Malus Rex Northmannus. 1154.*

1 Clericos in quantum ad bona non ab Ecclesia, sed aliunde sibi profecta coram Judicibus laicis conveniri jus esto: persona vero minime capitor, vel noxæ deditor: Const. *Si quis*, tit. *De Cler. conven.*

2 Caussas decrevit, ob quas Prælati feuda tenentes possint adjutoria ab vasallis exigere: scilicet 1. *pro consecratione sua*: 2. *quum ad Concilium à D. Papa fuerint vocati*: 3. *pro servitio exercitus, siquidem in exercitu nostro fuerint*: 4. *vel si vocemus eos*, 5. *vel miserimus eos pro servitiis nostris*; 6. *vel conredo nostro, quum in terris eorum hospitari, vel conredum ab eis recipere contigerit*. In his casibus moderate adjutoria requiruntur: Const. *Quamplurimum*, tit. *De adjut. exigend.*

*Willelmus Bonus Rex Northmannus. 1166.*

1 Usurarum causæ ad Curiam laicalem adductæ ibidem terminantur juxta Decretum Pontificis, nempe Alexandri II. in Concil. Later. promulgatum: Const. *Statuimus*, tit. *De Usurariis puniendis*.

2 De Adulteriis ab Episcopis judicator: de illata vero vi ab judicibus laicis: id quod ab Archiep. Panormitano postulatum fuerat: Const. *Majestati nostræ*, tit. *De Adulteriis cognoscendis*.

Régum Northmannorum Tancredi, et Willelmi III. Constitutiones nec circa sacra, nec circa profana habentur: uti neque Henrici Suevi Imper.

*Rex, et Imper. Fridericus Suevus. 1197.*

1 Multa constituit pro libertate Ecclesiæ, et Clericorum in Const. August. Romæ an. MCCXX. promulgata.

2 Patareni, aliique hæretici tanquam rei perduellionis puniuntur: Const. *Inconsutilem*, tit. *De Hæreticis, et Patarenis*.

3 Patarenorum receptatores relegatione perpetua, bonorum publicatione, aliisque pœnis plectuntur: Const. *Pat-*

*renorum receptatores*, tit. *De Patar. recept.*

4 Apostatæ à fide exhæredationi, aliisque pœnis addi-  
cuntur: Const. *Apostatantes*, tit. *De Apostatis.*

5 Usurarii bonorum publicatione damnantur: Const. *Usur-  
rariorum*, tit. *De Usurariis puniend.*

6 Decimæ Ecclesiis præstantur: Const. *Quanto ceteris*,  
tit. *De Decim. præst.*

7 In Petitorio, vel quolibet Possessorio de Burgensaticis  
clericum pecuniaria actione coram Judice laico recte con-  
veniri jus esto: Const. nova *De Burgensaticis*, tit. *De Sa-  
crament. præst. à Bajulis.*

8 Virginum Deo sacratarum raptores capitali pœna fe-  
riuntur: Const. *Si quis*, tit. *De raptu, et viol. Monialibus  
illata.*

9 Virginum, vel viduarum, sponsarum, vel etiam jam  
nuptarum raptores; tum et horum complices, vel fautores  
capitali quoque pœna plectuntur: Const. *Capitalem pœnam*,  
tit. *De raptor. virg. vel viduar.*

10 Clerici Bajuli munus ne obeunto: Const. *Clerici quo-  
que*, tit. *Ut Clerici, vel Judices.*

11 De crimine per ferri candentis, vel aquæ frigidæ pro-  
bationem ne inquiritor: Const. *Leges quæ*, tit. *De legibus  
parib. subl.*

12 Servi adscriptitii, nonnisi accedente adsensu Domi-  
norum, ordinantur: Const. *Adscriptitios*, tit. *De Vasallis*,  
al. *de Villanis.*

13 Filii Clericorum ob defectum natalium jure successio-  
nis privantur: Const. *Sicut accepimus*, tit. *De filiis Clericor.*

14 Bona stabilia in Ecclesias non transferuntur, nisi ex  
æqualis permutationis causa: Const. *Prædecess. nostr.* tit.  
*De rebus stabil. Eccles.*

15 Lenæ legitime convictæ pro prima vice flagro cædun-  
tur, ac in fronte signantur: in idem crimen iterum relaben-  
tes pœna à Rogerio statuta puniuntur: Const. *Lenas sollici-  
tantes*, tit. *De Lenonibus.*

16 Blasphemantes Deum, vel Virginem linguæ mutilatio-  
ne plectuntur: Const. *Blasphemantes*, tit. *De blasphemantibus.*

17 Perjurus sive in judicio, sive extra judicium manum de-

de truncator: Const. *Eos, qui scienter*, tit. *De perjuris*.

18 Sepulcrorum violatores pœnis antiquis legibus constitutis addicuntur: Const. *Si quis aliquem*, tit. *Qui hominem occisum spoliaverit*.

19 Comites, Barones, aliique feuda possidentes, nisi petita Regis venia, neque ipsi uxores ducunt, nec filios, filias, aut neptes nuptui tradunt: Const. *Honorem nostri Diadem.* tit. *De Uxore non ducenda*.

Conradi, et Manfredi nullæ exstant Constitutiones. Sub Regina Constantia tantum habemus abrogationem quatuor Capitulorum, scilicet de Electionibus, Legationibus, Adpellationibus, et Conciliis, quæ Regi Willelmo I, Hadrianus R. Pontifex jam concesserat.

### *Carolus I. Rex Andegavensis. 1266.*

Ante Siciliæ defectionem libertati Ecclesiæ prospexit luculenter; præsertim 1. in Investitura Regni, de qua supra XXVII. 2.

2 Universæ Regni Ecclesiæ à Tyrannorum violentiis levantur, antiquis libertatibus donantur, suis juribus ne turbantur: Const. *Universis Ecclesiis*, Rubr. *de Restit. Eccles. Libert.*

3 Vectigalia, tributa, et cujusvis generis indictiones Clerici solvere ne coguntur: Tribus regiis rescriptis apud *Chioccar.* Tom. X. tit. 2. *de Immunit. Cleric.*

Post Siciliæ defectionem multa Ecclesiæ indulsit privilegia, quæ viginti Capitulis continentur sub tit. *de privilegiis, et immunitatibus Ecclesiarum et Ecclesiasticarum personarum*. Quibus

1 Decimis Ecclesiæ ne defraudantur.

2 Barones quoque ac Balii ad decimas solvendas à Justitiariis coguntur.

3 Clerici, nisi ob causas feudales, ad forum laicale ne trahuntur.

4 Rei ad Ecclesias confugientes inde inviti, nisi in casibus à jure permissis, ne extrahuntur.

5 Ecclesiastici inviti hospitii causa ab Officialibus ne turbantur; tunc nec etiam ipsis consentientibus in eorum do-

mibus criminalia judicia exagitantor.

6 Magistratus, Barones, aliæque personæ laicales electionibus Prælatorum, vel collationibus beneficiorum, nisi jure patronatus, alioque fruuntur privilegio, haud intro-mittuntor.

7 Clerici clericaliter viventes, in quantum ad bona Ecclesiastica, atque etiam patrimonialia ad se spectantia, à regiis contributionibus eximuntor.

8 Jus cuique esto bona Ecclesiis legandi, vel donandi, ni Curia sin obligata bona hujusmodi.

9 Vasalli Ecclesiarum, qui personales præstationes debent, neque à Curia, neque à Baronibus ad munia personalia adiguntor.

10 Indulta ab Antecessoribus Regibus Ecclesiasticis privilegia observantor: de illis vero in quorum possessione non sunt, iidem sine difficultate in foro competenti judicantor.

11 Post annum excommunicati Curia denuntiantor, ut pœnas luant.

12 Possessiones Ecclesie per Curiam neque turbantor, neque auferuntor.

13 De Delictis Ecclesiasticis ne Magistratum cognitio esto, nec Ecclesiastici impediuntor, quominus illa persequantur.

14 Ecclesiasticorum prædiorum fructus absque aliqua præstatione transvehuntor; modo tamen ad portus permisos, et parvis cymbis exportentur; quæ vero Ecclesiastici emunt Dohanæ subjiciuntor.

15 Vassalli Ecclesiarum, nonnisi ob caussas criminales, ad civile forum adstringuntor.

16 Ecclesiis, ceterisque Ecclesiasticis personis suos debitores, juris ordine servato, ad satisfaciendum compellere jus esto.

17 Vassalli Ecclesiarum personalibus præstationibus addicti, fugientes ad glebam redire compelluntor.

18 Judæis Ecclesiarum Vassallis, nec munia committuntor, nec gravamina inferuntor.

19 Baronibus, et Comitibus, nulla impetrata venia, matrimonia, inire fas esto; dummodo feuda in dotem non

constituantur, vel contrahentes non sint suspectæ fidei.

20 Præsulibus ratione Ecclesiarum feuda possidentibus æque, ac ceteris feudatariis adjutoria exigere jus esto.

Viginti hæc Capitula una cum aliis viginti sex edita fuere à Carolo II. in Plano S. Martini Brutiorum, dum sui Patris Caroli I. Vicarium ageret, quæ uti supra indicavimus, Concordata Honorii P. dicta sunt. Porro et ipse Carolus II. Regni possessionem jam nactus an. 1285. plura itidem edidit Capitula, ex quibus ad rem Ecclesiasticam pertinent.

1 In criminibus læsæ majestatis, hæresis, et latrociniis publicis jus Rom. servantor: Cap. *De Accusatis*, tit. *Quod servetur jus Rom.*

2 Ecclesiasticis, Religiosis, Viduis, Pupillis injuria adfectis, deficientibus accusatoribus, ex officio in injuriosos hujusmodi homines inquiritor: Cap. *De injuriis*, tit. *De defens. viol. et injur. illatis*.

3 De vi in rebus pupillorum, viduarum, Ecclesiarumque illata sine strepitu judiciario, sed summarie cognoscitor, ut possessione ejecti quam citissime in possessionem restituantur: Cap. *De violent. illatis*, tit. *ibidem*.

4 Forojudicatorum filias, filiosque sine regio adsensu matrimonia inire fas esto, etiamsi bona feudalia possideant; exceptis criminibus læsæ majestatis, et hæresis: Cap. *Humanitatem quoque*, tit. *De filiis banditorum*.

5 Clerici, quippe qui sunt à jurisdictione civili exempti, ab omni civili munere arcentor: Comitibus, et Baronibus contra facientibus pro qualibet vice 20. unciarum auri multæ pœna imponitor: Cap. *Et quum nihil habeant*, tit. *De non statuendis Clericis*.

6 A Comitibus, et Baronibus, licet absentibus, Decimæ Ecclesiis per suos Officiales solvuntor: Cap. *Officiales Comitum*, tit. *De solvendis Decimis*.

7 Excommunicati post annum multam subeunto. Si Comites fuerint, unciarum 23. si Barones 12. si simplex miles 6. si burgensis 3. si rusticus 1. et dimidiæ; adhæc dupli, tripli, et amplius in singulos annos pœna augetor: Cap. *Si quis in excommunicatione*, tit. *De morantibus in excommunicatione*.

8 Capitula edita in Plano S. Martini inviolate servantor:

Carol. II. tit. *Confirm. Capitul.*

Sub Northmannis, et Suevis, qui Panormi suam sedem fixere, ibi erat Regius Capellanus, qui simul erat Regis Confessarius, et Eleemosynarius. At sub Andegavensibus, qui Neapolim regiam sedem transtulerunt, primum Neapoli Capellanus Major audiri cœpit; qui sub Carolo II. magis enituit, quique *Magister Regiæ Capellæ*, vel *sacratæ Capellæ*, vel *Proto-capellanus* dictus præerat omnibus Clericis Regii Oratorii tam Neapolitani, quam Bariensis, et Altamurani. His deinde omnes Castellorum Ecclesiæ adjectæ sunt. Hic Capellanus Major primum sub Austriacis Studiorum Universitatis præfecturam sibi vindicavit.

*Robertus Rex Andegavensis. 1309.*

1 Privilegia Clericalia iis denegantur, qui fraude habitum alicujus Religionis deferant, cui aliquam bonorum partem obtulerint, ut à personalibus muneribus, et à realibus præstationibus eximerentur: Cap. *Privilegia*, tit. *De Oblationibus privilegio Clericorum.*

2 Judicium criminale ob exceptionem excommunicationis ne impeditur: Cap. *Judiciorum vigor*, tit. *De exceptione excommunicationis.*

3 Sententia lata per falsos testes, æque ac ex falsis instrumentis, falsive testibus lata esset, retractator: Cap. *Ne per exemptionis*, tit. *Quod testes excommunicati.*

4 In causis criminalibus Procuratorem constitui jus esto, si plures quam decem sint accusati; exceptis delictis hæresis, et læsæ majestatis: Cap. *Eodem studio*, tit. *Quod in causis criminalibus.*

5 Ecclesiasticis, Viduis, Pupillis, Pauperibus in causis civilibus actores ad Justitiarum Tribunal deducere jus esto: Cap. *Quia nulla*, tit. *Quod Justitarius.*

6 Etiam diebus festis in graviorum criminum reos animadvertere fas esto: Cap. *Provisa juris sanctio*, tit. *Quod Iatrones.*

7 De crimine capitali ex officio inquiritor, si flagitium à potentioribus illatum sit debilioribus, uti pupillis, viduis, Ecclesiasticis: Cap. *Ut delatos*, tit. *De non procedendo ex officio.*

8 Foeneratores ante vel post tempus messis victualia in-  
tempestive ne emunto, et horreis caritatem exspectantes  
recludunt: secus pœnis usurariis canonico, ac civili jure  
præscriptis puniuntur: Cap. *Curam habentes*, tit. *De inde-  
bitatoribus*.

9 Capitula Caroli II. Andegavensis omnino servantor:  
Cap. *Salubrem*, tit. *Hoc Capitulum*.

10 Virgines, Viduas, vel alienas Uxores, ne quis ra-  
pitor, vel furator, aut deosculator; quod si facere quis au-  
deat, etiam nulla accusatione instituta, in eum inquiri fas  
esto. Si contumax, elapso biennio foro judicator. Si Pater-  
familias, bonorum publicatione punitor. Si Filiusfamilias,  
paternæ, maternæque successionis spe privator. Recepta-  
tores iisdem pœnis subjiciuntur. Mulieres si consenserint  
ab utriusque parentis successione arcentor, et dotis amisionem  
plectuntur. Supplices à Regis clementia repelluntur;  
adhæc et multantor: scilicet Universitates unciis ducentis,  
Comites centum, Barones quinquaginta, Burgenses decem.  
Si è Consilio fuerint, à Consilio repelluntur: et si restitui  
contigerit, id in quantum ad dignitatem, non ad bona intel-  
ligito: Cap. *Universis*, tit. *Statutum contra Neapolitanos*.

11 Collectæ à Clericis conjugatis solvuntur: Cap. *Non  
exigit*, tit. *Clerici conjugati*.

12 Clerici deferentes arma prohibita post trinam moni-  
tionem armis exspoliantor: Pragm. 6. *De Clericis Selvaticis*.

13 De gravaminibus illatis Vasallis Ecclesiæ per Præla-  
tos, vel alias Ecclesiasticas personas Justitiario cognoscere  
jus esto: Cap. *Ad Regale fastigium*, tit. *Quod Justitia-  
rius possit*.

14 Conservatorium pro Laico contra Clericum.

15 Conservatorium pro Clerico contra Clericum.

16 De Spoliatis pro Laico contra Clericum.

Quatuor hæc postrema Capitula Canonistas graviter  
torserant, tanquam lædentia libertatem Ecclesiasticam. Ve-  
rum de his opportunus redibit sermo *Lib. III*.

*Joannæ I. Aragon.* unicum habemus Capitulum, quo sanc-  
citur, ut ad animadvertendum in usurarios sufficiant tres  
testes, licet hi sint singulares, et in caussis propriis depo-  
nant. Pragm. 1. *De Usurariis*.

Caroli III. Duracensis nulla habemus Capitula, nec etiam Margaritæ ejus Uxoris, nec VII. Virorum, qui in minoritate Ladislai Regnum administrarunt, nec Ladislai Regis, nec Reginæ Joannæ II. nec Isabellæ Aragonensis.

De Joanna II. tantummodo habemus, quod Collegium Theologorum Neapoli instituêrit.

Alphonsus I. Aragonensis. 1443.

Bullam Nicolai V. pro censibus regundis confirmavit an. 1446. Pragm. inscripta: Pragm. Regis Alphonsi I. cum insertione Bullæ Papæ Nicolai V. super censibus.

Ferdinandus I. Aragonensis. 1458.

1 Confirmat Capitulum Roberti n. 111. recensitum: Pragmat. 2. De Clericis, sive Diaconis Selvaticis.

2 Clerici clericaliter non viventes trina monitione præcedente ad functiones locales, et ad collectas pro bonis quibuscunque tenentor: Pragm. 2. tit. *ibid.*

3 Capitula Caroli II. ab Honorio firmata inviolate custodiuntor: Prag. Ferdinand. Dei gratia, tit. Quibus immunitatibus.

4 Ecclesiastici pro bonis à laicis obvenientibus titulo alienationis solvere collecta, tributa &c. adiguntor: Pragm. 3. tit. *ibid.*

5 Clerici primæ tonsuræ quum Ecclesiæ inserviant, privilegii clericalibus ne privantor; privantor, si secus: Prag. 4. tit. *ibid.*

6 Adversus usurarios summarie simpliciter de plano, ac etiam ex officio inquirito: Pragm. De Usurariis.

7 Blasphemantes Deum, B. M. V. vel Sanctos linguæ abscissione, tertiæ partis bonorum amissione, ac publici muneris privatione puniuntor: Pragm. 1. 2. et 3. De Blasphem.

Regum Alphonsi II. Ferdinandi II. et Friderici II. nullas circa rem Ecclesiasticam habemus Pragmaticas.



*Ferdinandus III. vulgò dictus Catholicus. 1504.*

In nefandum crimen inquirito etiam ex officio: tum ejusmodi crimina plectuntur poena ignis: Pragm. 1. *De Sodom.*

(\*\*) XXIX. Denique non hic fas est, silentio premere complures, quæ per id temporis Synodi in Hispania celebratæ sunt, tum ob communem Reipublicæ tranquillitatem, tum Ecclesiarum, aut Monasteriorum dedicationis causa, tum etiam ad reparandam collapsam Ecclesiæ disciplinam; præsertim Legionensem an. 1091. in qua præter alia, id statutum esse traditur, ut secundum B. Isidori Regulam Ecclesiastica Officia regerentur; et alias quas quidem numero quindecim confirmavit Synodus Compostellana an. 1114. secundum Aguirrii Chronologiam, quam nos in toto nostro opere sequi decrevimus. (\*)

(\*\*) XXX. Verum celebriora sunt Concilia deinceps celebrata. Ovetense an. 1115. in quo poenæ constitutæ sunt in Ecclesiarum immunitatis violatores in Decreto, cui subscripserunt Regina Domina Urraca, et ejus Fratres, Ingenique Viri Castellæ, et Legionis.

Palentinum an. 1129. sub Alphonso VII. in quo duodeviginti stabilita sunt Decreta ad Ecclesiæ disciplinam, communeque totius Regni bonum spectantia.

Ilerdense an. 1229. sub Joanne Episcopo Sabinensi Apostolicæ Sedis Legato, cujus Decreta Asparragus Barca Gallus promulgavit in Conc. an. 1230. ac dein Collectioni Tarraconensi, de qua infra, inserta sunt.

Tarraconense an. 1242. cui interfuit Decretalium Compiler Raymundus Pennafortius, adversus Waldenses, ubi forma præscripta est eos perquirendi, et puniendi, ac revertentes reconciliandi.

Penna-fidense an. 1302. sub Ægidio Archiepiscopo Toletano. In eo quindecim condita sunt Capita, et præter alia poenæ in Clericos Horas Canonicas omittentes, in infringentes Confessionis sigillum, ac in Concubinarios, indictæ sunt, et sollemnis S. Ildephonso constitutus est dies.

Vallis-oletanum an. 1322. sub Guilelmo Apostolicæ Sedis

dis Legato, in quo duodetriginta efformati sunt Canones purissimam spirantes Ecclesiasticam, et Monasticam disciplinam. (\*)

(\*\*) XXXI. Tum plures et Diœcesanæ, et Provinciales Synodi Toletanæ ab an. 1323. ad 1333. Tum etiam Cæsar-Augustanæ bene multæ ab an. 1328. ad an. 1495. nedum Diœcesanæ, sed etiam Provinciales, quarum Collectionem Cardinalis de Aguirre bis dono acceptam, bisque amissam edere non potuit: exstat tamen in lucem edita ab Alphonso de Aragonia perpetuo ejusdem Ecclesiæ Administratore an. 1542. Salmanticensis quoque Prov. Compostellanæ an. 1335. in qua inter alia id statutum est, ut SS. Isidori, et Ildephonsi perpetuo collerentur festivitates. (\*)

(\*\*) XXXII. Qui hic sine piaculo prætereamus præclarissimas Ecclesiæ Helenensis Constitutiones Synodales? Profecto Guido Episcopus quatuor edidit an. 1335. sex an. 1337. duas an. 1338. unam an. 1339. duasque an. 1340. in quarum secunda Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Mysterio festum duplex constitutum est, eoque celebrando adsignatus est dies 8. Decembris. Petrus octo condidit an. 1375. Raymundus viginti quinque an. 1380. (\*)

(\*\*) XXXIII. Adhæc quatuor habita sunt Concilia, et quidem præstantissima, nempe Palentinum totius Castellæ Joanni I. subjectæ ditionis an. 1388. sub Petro de Luna Apostolicæ Sedis Legato pro Antipapa Clemente VII. Neque proinde contemnendæ sunt, quæ ad sartam tectam servandam Cleri disciplinam septem Capitibus sunt constituta.

Dertusanum totius Prov. Tarracon. an. 1429. sub Petro Card. de Fuxo Martini V. Legato, ubi extincto funesto, et diuturno schismate quod adhuc in his partibus perdurabat, ac jurata Martino V. obedientia viginti Capita ad Ecclesiastici ordinis promovendam dignitatem admodum utilia stabilita sunt, quæ deinceps Collectioni Tarraconensi inserta sunt, de quo infra.

Arandense ad Durium Prov. Toletanæ sub Archiepiscopo Alphonso Carrillo an. 1473. in quo undetriginta Capita exarata sunt, eaque selectissima ad reformandos Cleri, populique mores.

Hispalense Prov. Bæticæ sub Archiepiscopo Cl. Vir. Dida-

didaco Deza an. 1512. In eo præter sexaginta tria constituta Capita, Constitutiones à prædecessore Didaco Card. Hurtado de Mendoza elucubratae, adprobatae sunt postremo capite. (\*)

(\*\*) XXXIV. Ad Hispaniæ insuper Tarraconensis gloriam adjicere oportet plures per id temporis in hac Provincia habitas esse Synodos; nam præter memoratas jam, Sub Petro Albalato octo habitae sunt, scilicet an. 1239. 1240. 1242. 1243. 1244. 1246. 1247. et 1248.

Sub Benedicto Rocabertino tria an. 1253. 1256. et 1266.

Sub Bernardo Olivella tria an. 1273. 1277. et 1282.

Sub Roderico Tellio tria an. 1291. 1292. et 1294.

Sub Joanne Jacobi minoris filio tria an. 1329. 1331. et 1334.

Sub Sanctio Ajerbio quatuor an. 1354. 1355. 1356. et 1357. iisdem quibus Pontificatum tenuit.

Sub Petro Clasquerino tria an. 1364. 1367. et 1369.

Sub Enneco Valterra tria an. 1391. 1395. et 1406.

Sub Petro Sagarriga unum an. 1414.

Sub Dalmatio Mur bina an. 1429. et 1431.

Sub Petro Cardona bina an. 1517. et 1529.

Sub Hieronymo ab Auria Card. bina an. 1543. et 1556. (\*)

(\*\*) XXXV. Quin et solertissimam impenderunt curam in his colligendis Conciliorum Canonibus. Hoc opus primo adgressus est præfatus Joannes ab Aragonia, Patriarcha Alexandrinus, Archiepiscopus Toletanus, et Tarraconensis Administrator, qui veterum Antistitum Decreta in unum redegit volumen in primo Concilio Provinciali an. 1329. Quod quidem quia temporum, non rerum ordinem servaret, Vicarii Auriæ Cardinalis ad Juris Pontificii titulos adcommodarunt in mox cit. Conc. an. 1556. eandem Collectionem ipse Hieronymus publici juris fecit, et ut ab omnibus Provinciæ Clericis emeretur, et legeretur præcepit.

Mexicanum itidem I. in nova Hispania an. 1555. sub Alphonso de Montufar, quod nonaginta sex Capitibus, sermone vernaculo conscriptis digestum est. (\*)

(\*\*) XXXVI. Ad eandem Juris Ecclesiastici Hispani epocham referendus est Codex, quem sub titulo *Libri Legum*, in quatuor libros tributum edidit Alphonsus Sapiens an. 1255.

qui

qui quidem deinceps *Forum Regium* generatim dictum est. His quoque explicandis Legibus adjectæ sunt auctoritate ejusdem Alphonsi, Sanctii IV. et Ferdinandi IV. Leges, quæ vocantur de *Stylo*. (\*)

(\*\*) XXXVII. Alphonsus idem, qui an. 1251. præclarissimum *Septem Partitarum* Corpus inchoaverat, edidit tandem an. 1258. totis septem annis, ut fertur in eo concinnando insumtis. Quod quidem Alphonsus XI. emendatum promulgavit, omnemque ei veræ legislationis rationem tribuit in Comitii Complutensibus an 1348. *Leg. I. cap. 28. Ordin. Complut.* In hoc Codice ex Decretalibus Epistolis Gregorii IX. et ex Romanis legibus congesto, sive ordinem, sive leges ipsas spectes, Imperatorem vere sapientem miraberis. Sed nostrum non est, de nostris dijudicare. (\*)

(\*\*) XXXVIII. Ad eandem etiam adscribenda est illa Legum Compilatio, paucis tamen probata, quam sub nomine *Regalis Ordinamenti* efformavit, et in lucem edidit Montalvus an. 1492. Tum et alia, quæ sub titulo *Legum Tauri* edita est à Ferdinando, et Joanna an. 1505. (\*)

## P A R S V.

*De Juris Canonici Statu expolito, et ad primævum candorem qua fieri potuit restituto.*

I. **A**d ceteras calamitates quibus Ecclesia adfligebatur, ob corruptos, depravatosque Clericorum, ac Laicorum mores, sæculo XVI. fere ineunte accessit ab Luthero, ejusque ad seclis intestina pestis, qui obtentu repurgandæ Ecclesiæ eam miseris modis dilaniarunt. Verum ab his nobis secessionibus id utilitatis in Ecclesiam redundavit, quod omnium animi, licet sero, serio tamen conversi sunt, non ad fidei quidem, quæ variari nequit, sed morum, et Disciplinæ Ecclesiasticæ emendationem. Resumptum est studium antiquitatum Ecclesiasticarum, veteresque Canones longa oblivione sepulti, nocturna, diurna que manu versati sunt à viris Ecclesiasticis; atque adeo penitioris sapientiæ

studium longe, lateque per Europam vigere, litterarumque felicitas solum occupare cœpit.

II. Ex Tridentino igitur Concilio, quod à Paulo III. indictum, sub Julio III. continuatum, demum sub Pio IV. absolutum est, tum novarum hæreseum damnatio, tum sancta illa, ac saluberrima abusuum sequioris ævi reformatio manavit, qua plerique antiquorum Canonum redintegrati, dispensationes, et privilegia restricta, Episcopalis auctoritas exaltata.

III. Tridentinorum ad disciplinam pertinentium Decretorum interpretationi Pius IV. Cardinalium Congregationem præposuit; cujus instar Sixtus V. et Urbanus VIII. alias pro aliis negotiis destinarunt.

IV. Ad postremam igitur Juris Canonici epocham pertinent, I. Synodus ipsa Tridentina, et quæ post habita sunt Concilia Provincialia, inter quæ eminent sex Mediolanensia per S. Carolum Borromæum, et bina Neap. per Archiepiscopos Marium Carafam an. 1576. et Jacobum Card. Cantelmum an. 1699. Tum plures Neapoli identidem celebratæ Synodi Diœcesanæ, quarum pleræque typis excusæ evulgatæ sunt: nonnullæ vero, scilicet illæ Hannibalis de Capua, Octavii Card. Aquaviva, Decii Card. Carafæ, et Francisci Card. Boncompagno huc illucque dispersæ in Archivis latebant: usque dum Vir Cl. Josephus Sparanus diligentia quanta maxima conquisitas in unum collegerit, atque in tuto collocaverit: excepta duntaxat I. Synodo Card. Boncompagno, cujus Acta, vel omnino perierunt, vel in aliquo pluteo delitescunt. Earundem specimina ipsemet Vir Cl. exhibet in suo recens evulgato egregio opere: *Memorie Istoriche della S. Napolet. Chiesa*. Quarum syllabum duntaxat chronologicum hic adferre non abs re me facturum puto. Sunt igitur:

I. Sub Alphonso Card. Carafa an. 1565. quam Marius Carafa ejus succesor Neap. typis an. 1568. excudi curavit: Chioccar. *de Episc. Neap. in Alphons. Carafa*.

II. Sub eodem Mario Carafa an. 1567.

III. Sub Hannibale de Capua an. 1595.

IV. Sub Octavio Card. Aquaviva an. 1607.

V. Sub eodem an. 1611.

- VI. Sub eodem an. 1612.
- VII. Sub Decio Card. Carafa an. 1619.
- VIII. Sub eodem an. 1622.
- IX. Sub eodem an. 1623.
- X. Sub Francisco Card. Boncompagno an. 1627.
- XI. Sub eodem an. 1628.
- XII. Sub eodem an. 1632.
- XIII. Sub Ascanio Card. Philamarino an. 1642.
- XIV. Sub eodem an. 1644.
- XV. Sub eodem an. 1646.
- XVI. Sub eodem an. 1649.
- XVII. Sub eodem an. 1652.
- XVIII. Sub eodem an. 1658.
- XIX. Sub eodem an. 1662.
- XX. Sub Innico Card. Caracciolo an. 1669.
- XXI. Sub eodem an. 1672.
- XXII. Sub eodem an. 1676.
- XXIII. Sub eodem an. 1680.
- XXIV. Sub Jacobo Card. Cantelmo an. 1694.
- XXV. Sub Francisco Card. Pignatello an. 1725.

2 Subsecutæ sunt Romanorum Pontificum Constitutiones ab Pio IV. ad nostram hanc ætatem; inter quas plurim faciendæ illæ, quas Summus Pontifex post hominum memoriam sapientissimus Benedictus XIV. ad Ecclesiæ disciplinam confirmandam, et instaurandam pertulit; quæ in plura volumina collectæ veluti novam Decretalium Collectionem exhibent.

3 Demum pro Regno Neapolitano Concordatum inter Sedem Apostolicam, et Carolum Borbonium olim Regem nostrum, nunc Hispaniarum Monarcam Pium, Felicem, Augustum initum, quo varia ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia pacto fœdere constituta sunt novem Capitulis. 1. De immunitate reali. 2. De immunitate locali. 3. De immunitate personali. 4. De requisitis ordinandorum. 5. De administratione Exstauritarum, aliorumque locorum piorum. 6. De caussis fori Ecclesiastici. 7. De librorum introductione. 8. De beneficiis, et pensionibus. 9. De Tribunali Mixto. Præterea sex articuli uno eodemque tempore secreto constituti sunt. 1. De privilegiis Beneventanorum. 2. De Regio

placito. 3. De recursu ad Principem. 4. De pensionibus. 5. et 6. De unione, ac suppressione egenarum Cathedralium, Ecclesiarumque nullius Diocesis.

Hic adnecti possunt plures Regum, vel Pro-regum Neapolit. Sanctiones Pragmaticæ, quas hic pro suscepta instituti nostri ratione juvat paucis ex ordine recensere.

*Carolus V. Rex Austriacus. 1516.*

1 Matrimonia Barones nullatenus impediunt: Pragm. 9. *De Baronibus.*

2 Constitutiones, Capitula, et Pragmaticæ jam olim sanctæ contra blasphemias, falsitates, et vitium nefandum inviolabiliter observantur: Pragm. 4. *De Bonis proditorum.*

*D. Petrus de Toledo Pro-rex. 1532.*

1 Ad duellum qui lacessiverit capite plectitur: provocato recusare dedecori ne esto: Pragm. 1. *De Duello.*

2 Libros Theologicos Capellano Majore inconsulto ne quis edito: neque per fraudem clanculum editos retinet: Pragm. 1. *De Impress. librorum.*

3 Libros quoscunque sine Regis venia typis cudere, aut venales habere nulli jus esto: Pragm. 2. *ibid.*

4 Pro causis suspicionis officialium laicorum non Ecclesiasticas, sed Regias Curias adito: Pragm. 3. *de Suspicionibus Officialium.*

*Philippus II. Rex Austriacus. 1555.*

1 Mandata vulgo *liberatoria*, nisi pro dote Ecclesiis, vel aliis locis piis, ne quis vendito, neve eis cedito: Pragm. 1. *De Empt. et vendit.*

2 Adensus regii, sive præstiti, sive præstandi super bonis Feudalibus in Ecclesiæ beneficium non ad quintumdecimum annum, sed perpetui censentur: Pragm. 28. *De Feudis.*

3 Scelera, blasphemiarum, lenociniorum, et alia nefaria nulla intercedente compositione puniuntur: Pragm. 7. *de Meretricibus.*

*Ferdinandus Alvarez Dux Albæ Pro-rex. 1556.*

1 Kalendarium reformavit, sanxitque dies festos: Pragm. 2. *de Feriis.*

*D. Parafan de Ribera Dux Alcananorum Pro-rex. 1559.*

1 Parochi commentarium baptizatorum habent: Pragm. 1. de *Parochis*.

2 Blasphemi in quatuor annos triremium remigio ad dicuntur: Pragm. 5. de *Blasphemantibus*.

3 In caussis ad regiam potestatem spectantibus Judices Ecclesiastici jus ne dicunt: Pragm. 3. de *Juribus, et exactionibus*.

4 Sine Ordinarii venia ad Monialium monasteria ne quis adito: Pragm. 1. et 6. de *Monialibus*.

5 Clerici ne militare coguntur: Pragm. 1. et 6. de *Militibus*.

6 Mulierem per vim osculari capitale esto: Pragm. un. de *Oscul. mulier.*

7 Bulla Pii V. de confugientibus in Regnum Neap. pro immunitate, patrato in Rom. ditione scelere, sancte observator: Pragm. 3. de *Perseq. malefact.*

8 Rescripta Apostolica, nisi prius petito, et impetrato regio *exsequatur*, executioni ne mandantur: Pragm. 5. de *Citationibus*.

*Card. de Granvela Pro-rex. 1571.*

1 Aleæ lusibus modus esto: neque nisi certis legibus tolerantur: Pragm. 1. de *Aleatoribus, et Lusoribus*.

2 Civilia munia ne quis Clericus obito: Pragm. 1. de *Eccles. Personis*.

3 Nefandum crimen Barones ne transigunt: Pragm. 3. de *Sodom.*

4 Ex Mahumetano-Christianus post baptismum à Turcarum consortio arcetor: Pragm. un. de *Commercio inter Turcas*.

5 Homicidæ ex proposito, Sacrilegi, Interrumpentes divina, Raptores, aliique hebdomada Majori sic peccantes cognita causa etiam diebus festis puniuntur: Pragm. 4. de *Exulibus*.

6 Legata locis piis intra dies quindecim Notarius denunciato: Pragm. un. de *Legatis piis*.

7 Fenestræ in monasteria Monialium<sup>n</sup>, sive *lumina immissa*, de quibus lis vertatur, intra mensem clauduntur: Pragm. 2. de *Monialibus*.



8 Ecclesiastici nulla Regni munia habent: Pragm. un. *de Personis Eccles.*

9 Qui edito in ditione Pontificia scelere in Regnum Neap. perfugerit, Sedis Apostolicæ ministris traditor. Contra qui in Regno Neap. scelus admiserint, ad Ecclesiasticas Provincias confugientes Regiis ministris traduntur: Pragm. 7. *de Exulibus ex Bullis Pii V. et Sixti V.*

10 Circulatores, vulgo *Ciarlatani* diebus Quadrag. et festivis, nisi post horam decimam nonam, in publicum ne prodeunto: Pragm. 2. *Ne quid in loco publico.*

*Innicus de Mendoza Pro-rex. 1575.*

1 Judices spirituales cognationem ne contrahunt: Pragm. 8. *de Officialibus.*

*Joannes Zunica Pro-rex. 1579.*

1 Eucharistia dum per Civitatem defertur, quisquis occurrens equo descendat, genuque flectat, tum SS. Sacramentum comitetur: Pragm. un. *de Cultu SS. Euchar. exhib.*

2 Sponsiones ni Pontifex vixerit, vel ni obierit, aut ni mas in utero sit, vel contra foemina, fieri prohibentur: Pragm. 2. et 3. *de Sponsionibus.*

*Comes de Miranda Pro-rex. 1587.*

1 Pontificii Interregni tempore sortes ne quis consulito, neve sponsionibus certato: Pragm. 4. *de Sponsionibus.*

2 Ecclesiastici facinorosos homines, eorumque fautores publicis Judicibus detegere ne vetanto: Pragm. 4. *de Persequendis malefact. ex Bulla Sixti V.*

*D. Enricus de Guzman Comes Olivar. 1596.*

1 Clerici à patrocínio caussarum abstinento, nec eorum patrocinia recipiuntur: Pragm. 2. *de Postulando.*

*Philippus III. Rex Austriacus. 1598.*

1 Ministris, et Officialibus Regni inconsulto Rege nec Beneficia, nec aliud à Sede Apostolica petere, aut consequi fas esto: Pragm. 19. *de Officialibus.*

*Comes de Lemos Senior Pro-rex. 1599.*

1 Infantes à parentibus destituti, amissive Incurabiliū

Valetudinario traduntur: Pragm. un. *de Infantibus.*

2 Qui in laico carcere conclusus clericatum obtenderit, quo sit ad Ecclesiasticum deducendus, ejus causa diebus festis profestis agitor: Pragm. 2. *de Visit. seu Remiss. Captiv.*

*Comes de Benevento Pro-rex. 1603.*

1 Frumenta, ut quamplurimo in caritate veneant, in sacris ædibus monasteriisve ne reconduuntur: Pragm. 23. *de Armona.*

*Comes de Lemos Junior. 1610.*

1 Sponsalia, aut Matrimonium cum puero, puellave, quam educat, neque per se quis, neque per sequestrum sine Judicis auctoritate celebrato: Pragm. 1. *de Educat. puellarum.*

*Dux Alcalanorum Pro-rex. 1629.*

1 Conventus civiles, vulgo *Universitates* ad donationes constituendas, etiam in Ecclesiæ commodum, sine regio ad-sensu ne habentur: Pragm. 12. *de Administratoribus.*

*D. Emmanuel de Guzman Dux Montis Regii Pro-rex. 1621.*

1 Pragmatica D. Petri de Toledo de Duello rata, et firma esto: graviores tum in provocantes, tum in acceptantes duellum poenæ decernuntur: Pragm. 2. *de Duello.*

*Carolus II. Rex Austriacus. 1665.*

*Comes S. Stephani Pro-rex. 1688.*

1 Pragmaticæ Ferdinandi I. contra Blasphemos etiam in blasphemantes S. Fidem D. N. J. C. accurate observantur: Pragm. 6. *de Blasphem.*

2 Flagello circum sacras ædes, et claustra Religiosorum ne quis insonato: Pragm. 12. *Ne quid in loco publico.*

*Philippus V. 1700.*

Nulla habemus monumenta egregia circa rem Ecclesiasticam: tantummodo Hebræos quod fideles inficerent, sub poena confiscationis bonorum Regno excedere jussit: Extrav. 1. *de Expuls. Hebræorum.*

*Carolus VI. 1707.*

Rescripsit ne Beneficia Ecclesiastica, Episcopatus, Abbatia &c. Regni Neap. externis conferrentur in posterum privilegio Regni incolis impertito: 6. Augusti 1713.

*Dux Acherunt. C. V. Regens. 1707.*

1 Hominem diebus festis ob causam civilem ad carcerem trahere ne jus esto.

*Wirricus de Daun Pro-rex. 1718.*

1 Sine sollemnitatibus ab Ecclesia institutis matrimonium ne quis facito.

*Michael Card. Fridericus. 1726.*

1 Blasphemiae poena in personam esto. Nobiles ad quatuor annos relegantur, plebeji triremibus in annos totidem addicuntur.

*Carolus Rex Borbonius. 1744.*

1 Anno 1741 initum Concordatum, de quo supra.

2 Ex ejusdem petitione Bulla Benedicti XIV. imminutus in Regno Neap. festorum dierum numerus.

3 Ex ejusdem Regis Pragm. edita an. 1748. sancitus, et auctus dierum festorum cultus, prohibito omnino quocunque actu servili.

4 Tempore Quadragesimae, singulisque diebus festis Circulatores, vulgo *Ciarlatani*, nisi post horam vicesimam secundam in publicum ne prodeunto: *ibid.*

5 Praefecti Regionarii, vulgo *Capitani di Strada*, uti pueri ad Parochias imbuendi fidei rudimentis adeant, curanto: Pragm. *ibid.*

6 Artifices nonnisi post suam Christianae doctrinae cognitionem dato specimine probatam, in album, seu artis matriculam referunt: Prag. *ibid.*

7 Clandestini eorum conventus, qui *Liberi Muratores*, seu *Franc-Masons* vocitantur, tolluntur: ipsi ceu publicae tranquillitatis perturbatores puniuntur: Pragm. an. 1751.

8 Funebres expensae, exsequiarum pompa, ac luctus tempus, et apparatus, moderantur: Pragm. 26. Apr. 1754.

9 Militibus, ac praesertim Officialibus neque matrimonia

nia inire, neque sponsalia facere, nisi regiam ante veniam obtinuerint, jus esto: Ordinat. Milit. P. IX. §. 44. et 45.

Hactenus indicatas Regum Neap. Sanctiones, Historici tantum partes agentes, recensuimus; ex quibus quæ ad Jus Canonicum spectant, suis in locis ad Canonum normam exigemus. In quo Cl. Virorum vestigia nos secutos fateri non dubitamus; ac præcipue Viri Clarissimi Caroli Gagliardi olim in Reg. Neap. Archigymnasio Sac. Canonum Antecessoris, modo meritissimi Episcopi Murani: ex cujus Canonicis Institutionibus, Neapoli jam editis, atque æterna memoria dignissimo R. Pontifici Benedicto XIV. nuncupatis, quæ ad Jus Neap. pertinent, hauriemus.

(\*\*) V. Atqui hic silentio tradere audebit, Patrum, Regumve nostrorum cura, ut Jus Canonicum, Ecclesiæque disciplina ad primævum sui candorem, qua fieri posset restituerentur? Ad hanc ergo juris epocham pertinent plura Hispaniensia Concilia Synodi Tridentini promulgationis occasione celebrata, inter quæ Tarraconense an. 1564. sub Ferdinando de Loaces. Sex an. 1565. scilicet Toletanum sub Christophoro Roxas Sandoval, Episcopo Conchensi, qui Sede Archiepiscopali vacante, reliquis Comprovincialibus antiquior erat; quod quidem tribus absolutum est Actionibus.

Valentinum sub Cl. Viro Martino Perez de Ayala, in quo quinque habitæ sunt Sessiones.

Compostellanum sub Gaspare de Zuñiga, et Avellaneda, quod tribus digestum est Actionibus; II. et III. an. 1566. Actiones vero in Decreta tribuuntur. Cæsaraugustanum sub Alphonso de Aragon, in quo plura secundum Tridentini Decreta constituta esse refert Aguirrius Tom. V. *Collect. Max.*

Granatense sub Petro de Guerrero, uti refert Aguirrius *ibidem.*

Mexicanum II. sub eodem Alphonso de Montufar, et viginti octo Capitibus sermone etiam vulgari exaratis, constat.

Tarraconense aliud an. 1572. sub Gaspare de Cervantes, cujus et Ferdinandi de Loazes Constitutiones Antonius Augustinus, Archiepiscopus itidem Tarraconensis, ut erat immensæ eruditionis Vir anteactæ Hieronymi ab Auria Collectioni inseruit. Videsisejus Præfat. ad Conc. Tarracon. an. 1591.

Ad hæc Toletanum aliud an. 1582. sub Gaspare Cardinali

de Quiroga, cujus tres sunt Actiones, et Actionum Decreta.

Limanium I. in Regno Peruviano sub S. Turibio, in quo quinque habitæ sunt Actiones, prima an. 1582. reliquæ an. 1583.

Tarraconense aliud an. 1587. sub Joanne Terès.

Mexicanum III. sub Petro Moya de Contreras an. 1585. quod quinque constat libris; librique in titulos, et tituli in paragrafos tribuuntur.

Limanium II. indictum an. 1591. sub eodem S. Turibio.

Tarraconense an. 1591. sub eodem Joanne Terés. In hoc Concilio Collectionem Antonii Augustini Joannes editurus, antiquatos, ac fere non utiles Canones detraxit; pluresque à se sancitos, ac quasdam etiam Romanorum Pontificum Constitutiones adjecit. (\*)

(\*\*) VI. Quanti habenda sit Collectio hæc ad Gregorianæ Collectionis exemplum adornata, aliorum esto judicium. Nos si ingenue fateamur, cumulatissimam in ea reperimus fidei et disciplinæ officinam, ita ut parem ex suo penu conflata Collectionem nulla Orbis terrarum Ecclesia vel habuerit unquam, vel habere aliquando posse videatur. (\*)

(\*) VII. Complura denique Tarraconensia Concilia ad nostra usque tempora celebrata, scilicet

I. Sub eod. Joanne Terès an. 1602.

II. Sub Joanne Vich et Manrique an. circiter 1607.

III. Sub Joanne de Moncada an. 1613.

IV. Sub eodem an. 1618.

V. Sub Joanne de Guzman an. 1630.

VI. Sub Antonio Perez an. 1636.

VII. Sub Francisco Roxas an. 1654.

VIII. Sub eodem an. 1659.

IX. Sub Emmanuele de Espinosa an. 1664.

X. Sub eodem an. incerto.

XI. Sub eodem an. incerto.

XII. Sub Josepho Sanchiz an. 1683.

XIII. Sub eodem an. incerto.

XIV. Sub Josepho Llinàs Montano an. 1700.

XV. Sub Petro Copons an. 1731.

XVI. Sub eodem an. 1741.

XVII. Sub Jacobo Cortada an. 1757. (\*)

(\*\*) VIII. Nonnulla data opera prætermisimus, ne plus æquomorosi videamur. Hoc vero Conciliorum Hispaniæ specimen tradidisse libuit, ut nostræ ætatis adolescentes in obliteratum eorum studium excitentur. (\*)

(\*\*) IX. Subsequentæ sunt Romanorum Pontificum Constitutiones à Pio IV. inter quas plurimi facienda Bulla *Apostolici Ministerii*, quam precibus Cardinalis de Belluga motus Innocentius XIII. edidit 13. Maii an. 1723. in qua plura ad reformandam utriusque Cleri disciplinam vel confirmantur, vel constituuntur. Necnon novissima Clementis XIV. vere Maximi, qua jus Asylis in Hispania ad unam, vel summum duas, si Civitas populosissima sit, restrinxit Ecclesias: 12. Septemb. an. 1772. (\*)

(\*\*) X. Ad eandem Juris nostri Ecclesiastici tempora spectant Concordata, quæ Apostolicam Sedem inter et Catholicos Reges inita sunt an. 1735. 1737. 1753. Horum postremum celeberrimum profecto est, quippe quod diuturnas extinxit simultates; quum Benedictus XIV. Ferdinando VI. et Successoribus concessit, ut deinceps Rex Catholicus nominaret ad omnia prorsus Beneficia, ad quæ eo usque Sedes Apostolica eligebat in Hispania; quinquaginta duobus duntaxat exceptis. Videsis *Tit. VI. Lib. I. Novæ Recopilat.* (\*)

(\*\*) XI. Huc insuper accedit immensa antiquarum Legum Collectio, quæ primo proposita est peragenda in Comitibus Matritensibus an. 1534. ita ut non chronologicam legum conditarum, sed rerum per titulos seriem servaret. Munus hoc demandatum est primo Petro Lopetio de Alcocer, dein Escudero, tum Arrieta, postremo Bartholomæo Atienza, qui eam publicæ luci donavit an. 1567. sub titulo: *Novæ Recopilationis*. Ipsam Philippus II. die 14. Martii ejusdem an. et Philippus III. die 29. Decemb. an. 1610. uti *Corpus Juris Hispani universalis* habendam decrevere; quæ quidem non semel edita, una cum à Supremo Castellæ Senatu latis Sanctionibus, adjectis his, quæ ad annum usque 1745. constituta sunt, prælo demum donata est an. 1772. tribus prægrandis voluminibus, iterum an. 1775. ac demum undecim Tomis tributa an. 1777. Ne plura. (\*)



# INSTITUTIONUM CANONICARUM

---

## LIBER PRIMUS.

**Q**uoniam Sacri Ecclesiæ Canones plerumque Jus Divinum æque Naturale, ac Positivum vel involutum evolvunt, vel adversus ingruentes morum corruptelas in integrum restitunt, poenisque sepiunt gravioribus, vel denique ex alterutro, aut ambobus consecraria deducunt: hinc nemo sane non videt ad penitioem Juris Canonici cognitionem adsequendam conferre plurimum utriusque illius Divini Juris, scilicet Naturalis, ac Positivi indolem, et proprietates propius rimari, ac veluti in nucleo exhibere. Facilius enim fluminum cursus diriget, qui fontes, unde fluviales aquæ emanant, perspectos habebit.

## TITULUS PRIMUS.

### *De Jure Divino Naturali, ac Positivo.*

**I.** Vocabulum Jus à *δίκον* originem habere sibi persuasit Menagius *Amæn. juris c. XXXIX.* à *Jove* Scipio Gentilis: *Origin.* et Grotius: *Prolegom. Jur. B. et P. §. XII.* Verum hi durius *δτυμολογῶν* mihi videntur: nam prona est, et cuivis

patens vocis hujus originatio à *jubendo*. Veteres enim , ut apud Festum legitur *jura* dicebant *Jusa* , et *Jussa* ; quod ea nempe continerent quæ jussisset Populus.

II. *Jus* vocabulum est maxime *πρωτευου* *significatione varium* : *Leg. XI. et XII. Digest. de Justitia , et Jure*. Potest enim minus proprie pro eo accipi , quod æquum , ac bonum est , quodque rationi consonum : unde Terent. Heaut. IV. 1. *Quid cum illis agas , qui neque jus , neque bonum , neque æquum sciunt*. Similiter et intelligi solet pro legitima facultate , quæ cuique à natura , à ratione , à lege datur ad aliquid agendum , vel omittendum , adsequendum , vel retinendum. Hinc idem Terent. Adelph. I. 1. 27. *Non necesse habeo omnia pro meo jure agere*. At vero princeps hujus vocis notio est , ut Principium , seu Regulam designet , quæ aut actiones hominum , vel ratione , vel lege pœnam minante præmiumve proponente ad id , quod bonum , æquum , ac justum est dirigat , aut ab eo avertat , quod malum est , iniquum , atque injustum.

III. Jam vero *Jus* tertia hac notione acceptum recte definitur : *Complexio legum omnium unius , ejusdemque generis*. Quamobrem videt quisque quales sunt leges , tale inde *Jus* , *Jurisprudentiam* , *Justitiam* emergere. Quum igitur leges vel *Divinæ* sint , vel *Humanæ* ; videlicet vel Deum ipsum humani generis *Conditor* , vel hominem cieant auctorem ; hinc , *Jus* vel *Divinum* erit , vel *Humanum*.

IV. Porro Deus voluntatem suam æternam æqui , et justæ Regulam , vel per rectam rationem , vel per sacras litteras hominibus promulgavit. *Jus* igitur *Divinum* , vel *Naturale* , et *Gentium* est : vel *Positivum*. Duplex quoque est et *Jus* humanum ; nimirum *Civile* , quod Populus , Optimates , vel Summus Imperator constituit , et *Canonicum* , *Ecclesiasticum* , *Pontificium* , quod Ecclesiarum Pastores , et Pastorum Princeps , et Caput pro recto commissi sibi gregis regimine sanxerunt. Adhæc utrumque tam *Civile* , quam *Canonicum* *Jus* in *Expressum* *ἔγγραφον* *scriptum* , et *Tacitum* *ἄγγραφον* *non scriptum* dispesci solet , quod jam viderat Aristoteles , qui *Jus* vocat *τὸ κατὰ γράμματα* , καὶ τὸ κατὰ ἦθος : *secundum scripta* , et *secundum mores* , sive *consuetudines*.



## De Jure Divino Naturali.

V. Jus Naturæ est *Legum complexio à Deo per rectam rationem universo generi humano promulgatarum circa ea, quæ facienda, vel omittenda sunt.* Recta igitur ratio medium illud est, quo leges nobis suas Suprema Ratio aperit. Unde quæ jure naturæ hominibus, vel præcipiuntur, vel vetantur, sunt ad legem comparata per se bona, vel mala; scilicet vel ad hominis conservationem, perfectionemque suapte natura prosunt, vel eundem destruunt, deterioremq; reddunt. Ac proinde contingere nequaquam potest, ut quæ bona sunt, mali, et quæ mala sunt, boni unquam induant naturam.

VI. Et sane 1. scriptæ sunt in Archetypis Supremæ rationis ideis, in immutabilibus Divinæ voluntatis Regulis præceptiones eæ, quas proinde necessario Suprema ratio dictat, necessario Summa voluntas jubet, ne sibi ipsi adversari videatur. Adhæc 2. jus naturæ quum Deum habeat Auctorem, et Deus sit Sapientissimus æque ac Sanctissimus, et in sua Sapientia, et Sanctitate immutabilis; plane nequit, quæ sapienter, et sancte jussit optima, justa, et æqua unquam in mala, injusta, et iniqua commutare.

VII. Hinc elegantissime, et si unquam aliud egregie Cicero in Lib. de Rep. III. apud Lactantium Inst. Div. Lib IV. cap. 8. ait: *Est quidem vera lex, recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo; vetando à fraude deterreat. Huic legi nec abrogari, fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatū, aut per Populum solvi hac lege possumus. Neque est quærendus explanator, aut interpret ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed et omnes gentes, et omni tempore, una lex et sempiterna, et immutabilis continebit. Unusque erit communis quasi magister, et imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis adspernabitur. Hoc ipso luct maximas pœnas etiamsi cetera supplicia, quæ putantur, ef-*

*fugerit.* Post hæc divina pæne hominis verba , ut Lactantius subdit , à veritatis notitia remoti videntur ii , qui cum Leibnitio *Diss. de principiis Jur. Natur. adversus Coccejum* mutabile jus naturæ fingunt.

VIII. Forte id innuere voluerunt , scilicet quædam jure naturæ ita esse constituta , ut mutationem aliquam subire videantur. At in his non jus naturæ mutatur , sed ea ipsa , de quibus jus illud constituit , quæque mutationi sunt obnoxia , commutantur. Ita homini vitam adimere homicidium est , et est furtum res alienas subripere , quæ voces vitium involvunt ; actum nempe privata auctoritate contra alterius vitam , aut bona. Verum si Deo jubente , et vita impio , et avaro bona auferantur , neque homicidium , neque furtum erit ; quia hæc Dei consilio fiunt , qui vitæ Auctor , et rerum Supremus Dominus est. Hinc uti Scholastici loqui amant , quidam actus ita jure naturæ sunt vetiti , ut nulla unquam circumstantia cohonestari possint ; secus vero alii. Prioris generis sunt mendacium , perjurium , prava in Deum , aut proximum voluntas &c. Posterioris homicidium , furtum &c. Id quod non intelligendum , quasi vitia permittantur , sed potius , quæ alias essent vitia , omnem prorsus malitiam exsuere ; mutatur enim materia legis , non lex , juris objectum , non forma.

IX. Jam vero quum omnia propter semetipsum operatus sit Deus ; et Deus ipse infinita , qua præditus est , bonitate , omnes homines , quos condidit , velit esse quam felicissimos : adhæc felicitatem ipsam humanam sine ordinata charitate constare haud posse tam perspicuum sit , quam quod maxime hinc *ordinata charitas erga Deum , nos ipsos , aliosque homines* principium erit verum , evidens , et adæquatum , quo et Divinæ voluntati per rectam rationem præcipienti , aut vetanti obtemperabimus , et ipsam felicitatem adsequemur.

X. Porro per ordinatam charitatem nos vel *perfecte* , vel *hypothetice* , vel *imperfecte* ad quædam agenda , aut omit-tenda obligamur. Hinc quisque videt officia promanare vel *perfecta* , sive absoluta , vel *hypothetica* , vel *imperfecta*. Priora vulgo dicuntur justitiæ , ultima humanitatis , et beneficentiæ , media nunc justitiæ , nunc beneficentiæ prout res ipsa sese offeret.

1 Justitiæ officia sunt, e. g. Deum interno, externoque cultu, ut creaturas decet, venerari, seipsum servare, alios non lædere, sive suum cuique tribuere.

2 Hypothetica sunt, non prætermittere quædam divini cultus indicia alias non præcepta, si grave scandalum inde capiant fratres: sic Daniel non omisit statis horis versus Hierusalem preces fundere, licet contra urgeret Regis præceptum. Tum vitæ jactura subeunda est, ubi aliter peccatum adversus Deum declinari nequeat: hoc præstito officio infiniti homines martyrii palmam promeruerunt. Demum justo bello hostes interficere, urgente necessitate ad vitam sustinendam furari, officia sunt hypothetica, non absoluta juris naturæ. Quod discrimen si non neglexisset Salmasius erroris utique Rom. Jurisconsultos non arguisset, ut qui furtum admittere naturali jure prohibitum autumarent; quamquam nec ratio furti in necessitate extrema locum habet, ubi juxta primævum juris principium omnia evadunt communia.

3 Sunt postremo officia humanitatis, vel beneficentiæ; quæ nobis supersunt indigis earum communicare, peritura apud nos in aliorum convertere utilitatem, alterum quum possumus, ope, et consilio juvare, errantem in viam revocare, sitienti aquam, algenti ignem, æstu languenti umbram, fame laboranti panem non negare, et his similia.

### De Jure Gentium.

XI. Ex hactenus dictis facile est Jus Gentium definire, quod sit ipsissimum *jus naturæ vitæ hominis sociali, et negotiis tam publicis, quam privatis societatum, integrarumque gentium ordinati amoris vinculo conjunctarum adplicatum*. Quum enim status Moralis, scilicet, quo actiones hominum liberæ ab amore ordinato per rectam rationem reguntur, vel hominibus sit connatus, vel ab aliquo hominum facto pendeat; hinc ab uno, eodemque principio duplex jus oriri videtur, *Naturæ*, scilicet et *Gentium*. Igitur quisque jam videt statum moralem, qui ab hominum facto pendet, scilicet *Jus Gentium*, esse homini veluti Adventitium. Qualitas enim est, quam singuli homines facto suo sibi eligunt.

XII. Verum quum Jus Gentium sit ipsum Jus naturæ vitæ hominum sociali adplicatum; hinc priusquam ad reliqua deveniamus, advertere juvat, quibusnam de causis, quibusque gradibus ad societates ineundas animum adpulerint homines. Licet inter homines alter præ altero perfectior sit, vel imperfectior; natura tamen inter se æquales sunt, quum iisdem partibus essentialibus, scilicet mente, et corpore constant. Status ergo Naturalis status est æqualitatis: et quia æqualis in æqualem jus non habet, hinc status naturalis erit quoque status libertatis. *Natura in humanis omnia sunt paria*: Varro in fragm. apud Non. II. 98.

XIII. Quid igitur homines ab æqualitatis, libertatisque statu ad illum inæqualitatis, ad societatem scilicet impulit? Dicam quod sentio. Societas quum 1. sit consensus plurium in eundem finem, et media eadem ad propositum finem obtinendum necessaria; tum 2. Societas sine rectoribus, et subditis fingi non possit; adhæc 3. Societas ipsa, vel *simplex* sit, vel ex pluribus simplicibus *composita*; hinc quamvis Grotius, Puffendorfius, Hobbesius, Leibnitiuss, alique inter se dilitigent; ex Sacra tamen Historia satis liquet in simplices Societates Deum homines conjunxisse, *ut se invicem juvarent*; in compositas vero homines ipsos coaluisse, *ut se invicem tuerentur*, Deo tamen Auctore, ratione duce, necessitate suadente. Nam quum vidisset Deus non esse bonum hominem esse solum, fecit Evam adjutorium illi simile: *Gen. II. 18.* ac proinde filiorum, qui ex conjugio procreantur, cum parentibus societatem Deus ipse instituit, ut filii ipsi inde educationem acciperent, unde vitam habuissent. At compositam Civitatis societatem subinde Adæ filii constituere, Deo probante, natura ducente, ratione dictante, denique necessitate cogente, qua Cain primus Civitatem instituisse videtur, qui ob datam Abel mortem *Gen. IV. 8.* profugus à Deo sibi ab hominibus timebat.

XIV. Igitur ut se invicem tuerentur, quod rationi consentaneum est, ad compositam societatem impulsii sunt homines. Atque adeo id verum est, ut ipsa Romanæ Urbis exordia non aliunde ortum habuerint, quam ex iis, qui vel novarum rerum cupidi, vel scelere aliquo admissio, ex fini-

nitimis populis tutandæ suæ vitæ caussa ad apertum à Remulo asylum confugerunt. Verum quia ex ipsa quotidiana consuetudine, et diuturna cohabitatione amicitia oritur; et amicitia, uti Cicero observat *de Offic. I. 17.* ex pluribus fiat unum, unum idemque sentiendo, et vicissim se juvando; hac de caussa, ut in simplicioribus fit societatibus, cives nonnulla sibi adjumenta, et humanitatis, beneficentiæque officia præstant. Quare egregie Apulejus *de bab. dot. Plat. II.* scribit: *Civitatem esse Conjunctionem inter se hominum plurimorum, in quibus sint regentes alii, alii deteriores conjuncti inter se concordia, atque inde sibi opem, atque auxilium deferentes, iisdem legibus, rectis tamen officia sua temperantes.*

XV. Quare Societatum omnium tam simplicium, quam compositarum ea suprema lex est, et institutum ex ipso naturali jure derivatum, nempe ad ea omnia, vel dicenda, vel agenda obstrictos esse Socios, quibus positus, veluti mediis, finis, quem vel natura, vel sibi societas ratione dictante proposuit, facile obtinetur; et ad ea omnia vel tacenda, vel omittenda, quæ societatis fini adversantur.

XVI. Hinc 1. consecrarii loco observandum, quod quum sine consensu ad rationis normam nulla stare societas possit, et quum consensus possit esse, vel *expressus*, vel *tacitus*, vel *præsumtus*, hinc sponte sua fluit triplici modo coalescere societates posse. Sic *expresse* in societatem conveniunt, qui primum Urbes, vel Oppida fundarunt. *Tacite*, qui in Urbibus, Oppidisque jam fundatis nascuntur; vel qui ex una in aliam Urbem domicilium, res, fortunasque suas transferunt. *Præsumtive* demum filii cum parentibus societatem ineunt; præsumitur enim nolle non posse liberos cum parentibus in societate vivere, sine qua ipsi ad omnia impares, nec conservari, nec commode educari possent.

XVII. Hinc 2. quum quælibet societas sociorum consensu vel expresso, vel tacito, vel præsumto ad certum finem tendere debeat, ne brutorum vitam vivant, quumque fines alii, atque alii esse possint; alia quoque, atque alia erunt societatum genera. Quare si justus, licitusque erit finis, justa, et licita erit Societas: injusta vero et illicita, si illicitus et injustus erit finis, ideoque segreganda.

Hinc

XVIII. Hinc 3. consequitur, quod quum quandoque non singuli homines tantum, sed integræ jam constitutæ societates eundem finem, et media ad eundem finem consequendum necessaria intendant, quumque consensu oriatur societas: possunt quoque ex pluribus societatibus jam constitutis, tanquam ex moralibus personis, sive individuis, majores, et maxime compositæ coalescere. Sic ex multis inter se consociatis familiis *Pagi*, et ex pluribus pagis *Urbes*, et ex Urbibus *Resp.* et *Regna* existunt. Sic quoque ex pluribus per totum Orbem constitutis Christianis Ecclesiis una coalescit Catholicæ Ecclesiæ Christiana Respublica; Christo tamen instituyente, sanciente, muniente unitatem uno Capite constituto, ut schismatis tolleretur occasio.

### De Jure Divino Positivo.

XIX. Breviter huc usque exposito *Jure Divino Naturali*, modo de *Jure Divino Positivo*, sive *Revelato* pauca dicamus. Satis constat ex recta ratione sola hoc jus non innotescere, sed à Deo per sacras litteras fuisse promulgatum. Constat quoque adversus Gudlingium de *Jure naturæ*, aliosque idem Jus recte in *universale*, et *peculiare* distingui; illud universum humanum genus stringit, hoc vero genti Judaicæ proprium est. Jus enim, quod Hebræis per Mosen præcepit Deus ex vulgata omnium sententia tres in partes dividitur, in Præcepta scilicet *Judicialia*, *Cæremonialia*, et *Moralia*. *Loquar tibi omnia Mandata mea, et Cæremonias, atque Judicia*: Deuter. V. 31.

XX. Judicialia præcepta civilem Hebræorum politiam constituiebant. Deus enim ex cunctis gentibus Abrahami posteros sibi segregavit, dicens: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis, et vos eritis mihi in regnum*: Exod. XIX. 5. et 6. Tum Samueli ægre ferenti, quod Hebræi sibi Regem dari peterent, respondit: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*: I. Reg. VIII. 7. Hinc profecto videt quisque, Hebræorum Regnum *theocraticum* potius repræsentasse. Deus enim ipse, perinde ac si Dux esset, ac Rector illius populi, leges tulit moribus, atque indoli Hebraicæ gentis conformes.

XXI. Cæremonialia deinde præcepta divinum cultum, sacri-

crificia, sacrosque ritus spectabant; eo tamen modo, ut omnia Jesum Christum ea ex gente proditurum non omnino obscuris signis indicarent; quare Apostolus ad Heb. X. 1. *Umbra*, ait, *habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos ejusdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere.*

XXII. Præcepta demum Moralia sunt ipsa juris naturæ mandata: nam quum ipsum jus naturæ hominum cordibus à Deo inscriptum pravis gentium moribus fuisse pæne deletum, nova sollemniorique promulgatione per Moysen Hebræis in lapideis tabulis exaratum Deus ipse restituit. Si enim certos dies festos excipias quolibet in anno Dei cultui præcipue dicandos, qui ad Sabbata lege Mosaica reducuntur, quique apud nos ad Dominicos dies sunt redacti; cetera moralia Hebræorum præcepta ne latum quidem unguem à naturalibus mandatis discriminantur.

XXIII. Hinc facile est intelligere ex hisce triplicis generis præceptis *Judicialia* non omnibus gentibus fuisse imposita. Quisque enim Populus peculiare habet mores, et disciplinam; ac proinde peculiare habere debet civiles leges, et judiciorum formulas. Cæremonialia porro tanquam noctis umbræ orta jam clarissima Evangelii luce ex Justitiæ Sole quaquaversus diffusa evanuerunt penitus: *Lex* enim, ait Apostolus ad Gal. III. 24. *Pædagogus noster fuit in Christo*: et ad Hebr. X. 9. *Qui aufert primum, ut sequens statuatur.* Quinimmo sufficienti legis Christianæ per Apostolos promulgatione non solum abolita, verum mortifera evasisse concors Theologorum sententia est. At non idem de Moralibus dicendum. Quum enim nihil à jure naturali differant, quemadmodum jus naturale immutabile est, et universo humano generi fuit à Deo per rectam rationem promulgatum, ut superius diximus, ita et ipsa immutabilia sunt, et obligant omnes.

XXIV. Verum hæc eadem *πραξις* breviter quidem, at aliqua sunt luce perfundenda. Non incipias ibimus 1. nonnulla sive Cæremonialia, sive Judicialia Hebræorum præcepta nostris legibus tum Ecclesiasticis, cum civilibus comprehendendi; id quod plurimi egregii viri, et præ ceteris Petrus Pithæus libello, cui titulus: *Collatio legum Mosaicarum cum Romanis* demonstrarunt. Adhæc legum rituumque concordia.

dia, partim ex eo oritur, quod non semel homines, quamvis longe temporum, locorumque intervallis dissiti, nec una litterarum saltem communionem conjuncti, idem tamen quandoque vetent, vel jubeant, eosdemque ex parte ritus in sacris, easdem in Judiciis formulas servant; partim vero, quod nonnulla ex Hebræorum legibus in Civili, vel Canonico Jure idcirco obtinent, quod vel ab Episcopis, vel à sæculi Principibus in Ecclesiastico, vel Civili Christianorum regimine adoptata sunt, vel potius, ut ita dicam, in novum jus translata. Quare Apostoli in altera Hierosolymitana Synodo *Act. XV.* 28. et 29. quum post Petrum decrevissent Fratribus, ex gentibus ad Christi fidem conversis *nihil ultra imponere oneris*, quantum ad Cæremonias Mosaicæ, iis scripserunt: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis . . . ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, à quibus custodientes vos bene agetis.* Et hoc quidem 1. ut Synagoga honorifice ad sepulcrum deferretur. 2. Ut ex Hebræis ad fidem conversi firmiter in fide starent, se non omnino in diversa omnia translatos existimantes. 3. Ut periculum omne arceretur, ne nova Ecclesiæ germina in idololatriam, et imbecillium offensionem relaberentur.

XXV. Adhæc et Ecclesia Apostolorum vestigiis insistens haud pauca, quæ ad cultus divini reverentiam, sacrorumque ministrorum munia rectius dirigenda conducere videbantur, adoptavit; uti patet ex Cap. 1. et 2. *de Adulteriis*, Capit. 1. *de Furtis*, aliisque. Adhæc non tanquam Mosaicæ legis adhuc vigentis fragmenta, sed tanquam nova Apostolorum, Ecclesiæque mandata sunt observanda.

XXVI. Verum Moralia Mosaicæ legis præcepta, utpote ipsissima immutabilia naturalis juris mandata, tantum abest, ut vel minimum nutarint, ut potius firmiter constabilia, et penitus à Christo Domino fuerint explicata. Hinc Jesus ipse primigeniam eorundem præceptorum intelligentiam explanaturus, clarissime testatus est: *Matthæi V.* 17. *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* 18. *Jota unum, aut unus apex non præteribit à lege.*

XXVII. Et profecto præcipua Christianæ legis præcepta



nova non sunt novi juris vincula, sed 1. ipsius juris naturæ explanationes; cujusmodi est charitatis præceptum erga Deum, et homines, quod vanis, et quandoque erroneis Hebræorum traditionibus involutum ad directum finem direxit Christus. Huc etiam spectant pleræque Evangelicæ parabolæ, quibus Redemptor noster ad plenius explanandam, atque adeo insinuandam divinæ legis indolem uti consuevit. Vel 2. solida, et divina adjumenta, quibus illorum exercitium facilius redderetur; uti sunt Sacramenta à Christo instituta ad virtutes omnes, et præsertim Fidem, Spem, Charitatem non philosophico supercilio, et fastu, sed christiana humilitate excitandas, firmandas, fovendasque, quibus veluti alis ad invisibilia futura æterna serio animum intendamus. Vel 3. fines statuti, quibus præcepta ipsa regantur, ne mutuo se destruant, aut laxata adpareant; rursus, quæ pravis interpretationibus labefactata sunt, in pristinam amplitudinem redigantur. Sic illa de diligendis parentibus, de non occidendo, de non mœchando, de non furando, in quibus observandis mirum quantum Hebræi fræna laxaverint, eadem pristinæ integritati restituit. Vel demum 4. eorum abrogationes, quæ Moses, ut pervicaces retineret Hebræos, permiserat; ut in libello Repudii factum est, quod revocans Christus, ad duritiem cordis Hebræorum permisisse Mosen edixit. Quare ad rem Tertull. Lib. de Patien. *Christus*, ait, *Dei Creatoris præcepta supplendo et conservavit, et auxit.* Et Catechismus Rom. Part. III. de Dei Præceptis cap. 1. n. 3. hæc habet: *Certissimum est non propterea his præceptis parendum esse, quod per Moysen data sint, sed quod omnium animis ingenta, et per Christum Dominum explicata sunt, et confirmata.*

XXVIII. Ex hucusque dictis quædam sunt consecraria deducenda. 1. Quum ex Divino positivo Hebræorum jure Christus Dominus nonnisi *Morale*, et restituerit firmius, et plenius explicaverit; proculdubio tum ex veteri, tum ex novo Testamento *Moralia documenta* sunt elicienda; iisdemque, omnes ex æquo homines obstringuntur.

2. Jus *Cæremoniale* futurorum umbra, atque imago orto jam Justitiæ Sole evanuit quidem; Christus tamen ipse, licet minutos singularesque ritus non instituerit, (hos enim Eccle-

siæ Sponsæ suæ decernendos reliquit) præcipuos tamen, et essentielles mandavit, qui adumbrata exprimerent, et explicarent. Sic ut aqua et certa verborum formula in baptis-  
mate ablutio fieret, ut manuum impositione Ecclesiæ Ministri initiarentur, ut panis et vinum secundum Melchisedeci Sa-  
cerdotium in Eucharistico Sacrificio adhiberentur, aliaque pauca Christus ipse constituit.

3 Demum quum cujusque populi moribus vel maxime jus civile sit adcommodandum; Christiana vero Ecclesia, non unam tantum gentem, ut Synagoga hebraicum populum, sed universas prorsus nationes suo ambitu erat comprehensura; tum Christus non terrenum, et periturum, sed ex terrenis, et perituris unum spirituale, ac æternum fundaturus regnum venerat, qui Pilato respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Joann. XVIII. 36. hinc judicialia præcepta quantum ad res civiles non dedit, sed ea pro cujusque gentis indole, et moribus, at ab ipsis divinis moralibus præceptis haud remota, sæculi Principibus ferenda reliquit.

XXIX. Si eæ tantum leges alicujus Regis propriæ sunt censendæ, quæ ab ipsomet Rege sunt propria manu conscriptæ, profecto nec Christi, nec Regis alicujus leges haberemus. At quum contra hæ leges sæculi Principibus peculiariter adscribantur, quæ eorum voluntate ab Regnorum administris sunt conditæ, eorumque notu promulgatæ; quis quæso non intelligit, quod quamvis Christus unquam scripsisse non legatur (quidquid sit de Epistola Abgaro Edessæ Regi scripta à S. Ephræm Syro Diacono, et Eusebio Cæsareensi relata de cujus *γυναικίτι* legitima origine apud eruditos adhuc sub judice lis est) attamen quum ipse palam loquens legem suam promulgarit, et in occulto locutus sit nihil; *Joann. XVIII.* 20. quum Evangelium prædicandum mandaverit in universo Mundo: *Matth. XXVI.* 13. quum ad Patrem adscensusus Apostolis præceperit: *Euntes docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis:* *Matth. XXVIII.* 19. 20. demum quum post aliquot ab ipsius *ἀναβασί* adscensione annos ad *γυναικίτι* legitimum dictorum, factorumque ejus narrationem perpetuo servandam, et ad exorientes confutandas hæreses quatuor *Evan-*  
ge-

gelia scribenda inspiraverit; inque *Apostolorum Actibus*, *Petri*, *Pauli*, *Joannis*, *Jacobi*, et *Judæ Epistolis*, ut et in *Apocalypsi Joannis*, quæ ad fidelium ædificationem necessaria existimavit, comprehensa voluerit; Ecclesiam denique divinarum traditionum Custodem, et Vindicem dederit; hac de caussa satis superque Christi lex et conscripta, et promulgata dicenda est.

XXX. Idcirco tenendum est præter *ἁγίας Scripturas* alia multa esse, quæ Christus docuit, quæque Apostoli solo verbo fidelibus tradiderunt: quamobrem Paulus *ad Thesal. II. II. 14.* scribit: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per Sermonem, sive per Epistolam*: unde facile quisque colliget Divinas, Apostolicasque Traditiones eadem prorsus auctoritate apud fideles pollere, qua divinum, et Apostolicum jus, quod sacro novi fœderis Codice continetur. Si qui plura hac de re noscere aveant, consulant Theologos.

*De Jure humano Canonico, et Civili.*

XXXI. Jus Divinum, vel Naturale, vel Revelatum pæne sequitur *Jus humanum*, quod recte in *Civile*, et *Canonicum* dividitur. Jus Civile egregie, et philosophice quidem Gajus J. C. definit *Leg. IX. Digest. de Just. et Jure: Quod quisque populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis est*: Clarissime enim ipsimet Romani pernoscebant non unum, sed tot esse civilia jura, quod civitates. Verum quum Roma *νατ' ἰξοχὴν* per excellentiam dicatur *Urbs* hinc Jus à Romanis sibi constitutum *νατ' ἰξοχὴν* per excellentiam *Jus Civile* vocari solet. Adhæc quum Rom. Populus innumeras orbis gentes suo subegerit imperio, iisque jus Rom. Civitatis communicaverit; hac de caussa quemadmodum ex pluribus populis, et civitatibus unus veluti populus, et civitas prodiit, et inde aliorum Regnorum, vel Rerum publicarum adpellatione sublata unicum conflatum est Rom. Imperium; ita quoque Civitatum, Regnorumque peculiaribus juribus abrogatis unicum jus Rom. apud subjectas gentes diu invaluit adeoque unicum Romanum Jus *Romani Orbis Jus Civile* fuit.

XXXII. Verum quum idem prorsus Jus sit, sive expres-

so, sive tacito suffragio constituatur : Leg. XXXII. §. I. *Digest. de Legibus* : hinc profecto liquet, Jus civile, sive *scriptum ἄγραφον* sit, sive *non scriptum ἄγραφον*, eandem obtinere auctoritatem : Leg. XXXV. *Dig. de Leg.* Nam utrumque obligandi vim ab eo habet, penes quem est legislatoria Potestas. Verum hæc luculentius explanare non est hic locus, dum Canonici Juris provincia, quam late patet, sollicito est nobis gradu peragranda.

## TITULUS II.

### De Jure Canonico, ejusque Definitione.

**I.** Jus *Canonicum* dicitur à græca voce *κανὼν*, quæ quidem generali notione accepta normam, sive regulam denotat, ad quam tum in liberalibus, tum in mechanicis artibus opus quodque exigendum est. Hinc hujusce vocabuli latissimus est usus in omnibus pæne scientiis, et artibus. Verum peculiari quadam ratione æque apud græcos, ac apud latinos auctores *morum regulam*, sive normam significat. Hinc Chrysippo lex generatim dicitur *κανὼν, δίκαιον, καὶ ἀδίκαιον*, *Regula justi, et injusti* : Leg. II. *Dig. de Legib.*

II. Jus igitur *Canonicum* recte dicitur à *Canonibus*, quo nomine *κατ' ἀντονομασίαν per antonomasiam* Ecclesiasticæ Constitutiones donatæ sunt, quæ non secus ac jus divinum, à quo descendunt, ita regunt hominum actiones, ut ultimum finem consequantur. Fugit enim Ecclesia imperiosum *Legis* nomen, quod vim civilem, et violentam corporis coercionem continet; ac potius *Canonum* græca, et leniori voce usa est, nempe *Regularum*, quibus animus regitur, non corpus stringitur. Tum hac voce usi sunt veteres Ecclesiæ Patres Apostolum imitati, qui non semel *Canonis* nomen in eadem significatione usurpavit, ac præsertim II. *ad Corinth.* X. *ad Galat.* VI. *et ad Philipp.* III.

III. Præterea à rebus, de quibus tractat, et à personis, quæ eo potissimum utuntur dici etiam consuevit *Jus Sacrum, et Ecclesiasticum*, uti quoque *Jus Pontificium* à potio-

tiori ipsius fonte, nimirum auctoritate Rom. Pontificum, quorum potestate præcipue nititur.

IV. *Definitur: Est illud, quod ab Ecclesia per Episcopos, maxime vero per Summum Pontificem ad Christianos in Fidei, Morum, Disciplinæ Regulis informandos constitutum, adprobaturve est.*

V. *Ab Ecclesia per Episcopos.* Ecclesia quidem non aliis quam Sponsi sui legibus regitur. Jam vero Sponsus ille vires suas constitutis Pastoribus, veluti suis Vicariis, concedidit: scilicet Apostolis, quibus non docendi modo, prædicandi, et baptizandi, verum et Ecclesias regendi honorem, atque onus est impertitus. Porro in Ecclesiæ administratione Apostolis succedunt Pastores, quos posuit Spiritus S. ut loquitur Paulus Act. XX. 28. *ἐπισκόπους* Episcopos inspectores speculatores ποιμαίνεν pascere, regere Ecclesiam Dei.

VI. *Maxime vero per Summum R. Pontificem.* Sicut enim Christus licet super omnes Apostolos, veluti firmissimum fundamentum, Ecclesiam construxerit; tamen bono unitatis Petrum ceteris præferri voluit, et claves Regni cælorum ipsi peculiari quodam jure commisit adservandas: ita qui in locum Petri succedit R. Pontifex jure divino universæ Ecclesiæ æque Primatum, ac sollicitudinem gerit: quare jure suo Constitutiones emittit, quibus universa instituitur simul, et adstringitur Ecclesia.

VII. *Ad Christianos.* Scilicet ii tantummodo Juris Ecclesiastici vinculis obstringuntur, qui christianæ militiæ per baptismum nomen aliquando dederunt. *Quid mihi de his,* inquit Apost. I. Cor. V. 12. *qui foris sunt, judicare?* Quare de re Judæos, Gentiles, Turcas Jus Ecclesiasticum non obligat; cui tamen Hæretici, Schismatici, Apostatæ, Excommunicati subjiuntur; quippe qui Ecclesiam aliquando ingressi Sacramentorum τὴν ἀρχαῖαν characterem retinent, et ad Ecclesiam sine novo baptismo redire possunt.

VIII. *In fidei, morum, disciplinæque regulis informandos.* Profecto Ecclesiasticæ Constitutiones sive in Conciliis sancitæ, sive à R. Pontificibus emissæ, vel fidei dogmata, vel morum canones, vel disciplinæ Ecclesiasticæ constitutionem spectant. Atque ex hisce omnibus ex æquo per decem prio-

ra Ecclesiæ sæcula Jus Canonicum coalescebat. Nullum enim tunc temporis Theologos inter, et Canonistas discrimen. At sæculo XII. Canonum facultas in duas abiit disciplinas; quorum altera Theologiæ, altera Juris Canonici nomen sortita est. Illi fidei, morumque tractatio ceu proprium peculium datum; isti disciplinæ, judiciorumque Ecclesiasticorum materia reservata est. Id quod haud ita intelligas, quasi utrique facultati limites sint constituti, quos prætergredi omnino nefas: sed tantummodo quid potissimum in sua facultate Theologi, et quid in sua Canonistæ spectare debeant.

IX. Quum vero Canones, recte observante Gersonio in *Recomm. Licent. in Decreto*, si bene inspiciamus, non sint nisi conclusiones elicite, vel illatæ ex principiis Theologicis, id est ex Evangelio, et aliis libris Canonicis per illos, quibus dixit Christus: *Qui vos audit, me audit*; vel etiam determinationes loci, temporis, vel modi, quo jus divinum observandum præscribitur, vel denique faciliores ejus exequendi rationes, ac ritus, quibus regitur: hinc neutiquam dubitandum, Theologiam tanta cum Jure Canonico adfinitate connecti, ut nisi utraque jungantur, mutuoque sibi lumen præsent, haud magnæ fieri possint in alterutra facultate progressiones.

X. *Constitutum, adprobatumve est.* Vox *constitutum* illas spectat Ecclesiasticas Constitutiones, quæ vel ab Episcopis in Synodos convenientibus editæ sunt, vel à R. Pontificibus evulgatæ, quibus vel fides explicata est, vel morum regulæ constitutæ, vel Ecclesiastica politia disposita. Atque hæc Jus Ecclesiasticum *ἑγγράφου scriptum* componunt; de quibus mox distinctius agemus. At vocabula *adprobatum* eas spectat Ecclesiasticas regulas, quæ usu potius, moribusque receptæ tacita Præsulum Ecclesiæ auctoritate firmantur quæque consuetudines dicuntur, de quibus mox redibit sermo. Adprobari etiam dicuntur illæ Ecclesiasticæ Constitutiones, quæ in Synodis Provincialibus conditæ per alias deinceps Provincias paullatim vim legis nanciscuntur; præsertim quum R. Pontificis accedat auctoritas. Istuc prioribus Ecclesiæ sæculis frequenter accidit. In particularibus namque Synodis per ea tempora habitis tum pleræque hæreses

damnatæ sunt, tum morum, ac disciplinæ Canones constituti, quos ceteræ dein Ecclesiæ receperunt. Quamobrem Augustinus de hæresi Pelagiana: *Jam duo Concilia*, inquit, *ad Rom. Sedem missa sunt; inde Rescripta venerunt: causa finita est.* Tum Canones Conciliorum Orientalium, quos vetus græcæ Ecclesiæ Codex complectebatur, successu temporis per universam Ecclesiam viguerunt.

XI. Atque hinc patet quidnam Jus Canonicum inter, et Civile discriminis intersit. Scilicet illud æternam hominum beatitatem, ceu scopum spectat; istud temporaneam tantummodo civium felicitatem. Illud spiritualia, et sacra moderatur; istud politica, et temporalia. Illud Episcopus, ac præcipue R. Pontificès; istud sæculi Principes auctores habet. Ast non negaverim alterum alteri sibi invicem auxilium præstare: namque haud raro et sacri Canones jus civile confirmant, vel moderantur, et Leges Imperatoriæ jus canonicum sequuntur; vel adjectis pœnis exsequi præcipiunt. Adhæc aliquando alterum ab altero suppletur, atque adeo in ambiguis interpretationem accipit. *Cap. 3. de Novi operis nunciat.*

## TITULUS III.

### *De Juris Canonici Partitionibus.*

I. **E**x hactenus dictis profecto patet Jus Canonicum multifariam dividi: et quidem 1. ab ejus origine in *Divinum*, et *Humanum*. 2. ex diversa, qua viget ratione in *Scriptum*, et *non Scriptum*. 3. ex Potestatis, à qua conditum est, auctoritate in *Generale*, et *Particulare*. 4. tandem ex locis, ubi viget, in *Oriente*, sive *Græcum*, et *Occidentale*, sive *Latinum*. De priore Juris Canonici divisione satis actum est titulo superiori: postremam in Diatriba Isagogica fusiùs explanavimus; alteram duntaxat, ac tertiam hic explicandam adgredimur.

II. Jus igitur scriptum, quod etiam *Constitutionis* nomine venit, illud est, quod expressa Legislatoris voluntate sancitur, licet non scribatur; uti ex adverso *non scriptum*,

quod etiam *Consuetudo* plerumque dicitur, illud est, quod moribus Christianorum inductum vim legis habet, licet post scriptis demandetur. Igitur juris Scripti, et non Scripti discrimen haud inde eruas, quod litteris fuerit consignatum, vel non, sed potius quod expressa Legislatoris voluntate fuerit sancitum, vel tacita duntaxat adprobatum. Hujus rei evidentissimum est argumentum, quod nec consuetudo in scripturam redacta Lex sit, nec lex non scripta Consuetudo. Et sane Lacedæmonii scriptis legibus usi non sunt, legibus tamen usi sunt: Plutar. in *Lycur.* Et apud Romanos revera lex ferebatur, ubi magistratu rogante: *Velitis, jubeatis, Quirites* &c. populus respondebat: *Uti rogas.* Quum igitur legi ex accidenti superveniat scriptura, dubio procul ipsi *verbalis substantialis* non est.

III. Non negaverim tamen leges scripto tradi, quo innotescant populo à principio: consuetudines vero usu invalescere, nec scripto tradi, nisi sero, quum jam longo usu receptæ sunt: hinc *Scripta* lex dicitur, *non Scripta* consuetudo. Hoc Canone constituto profecto liquet, Traditiones sive Divinas, sive Apostolicas, sive Ecclesiasticas ad *Jus scriptum* omnino referendas, iis exceptis, quæ ex usu potius, quam ex lege originem ducunt.

#### De Jure Canonico Scripto.

IV. Igitur Jus Canonicum Scriptum præter utrumque divinum Veteris, ac Novi Fœderis Codicem præcipue constituunt *Canones Conciliorum, Constitutiones Pontificiæ, et Dicta SS. Patrum*: ita Leo IV. relatus à Gratiano *Can. I. Dist. 20. De Conciliorum Canonibus, et Constitutionibus Pontificiis* nonnulla dedimus in Diatriba Isagogica; at plura hic supersunt animadvertenda.

V. Primum. Conciliorum Generalium Canones, quibus vel fidei dogmata, vel morum Regulæ explicantur, et constituuntur, prorsus indubiæ sunt auctoritatis; quippe qui in Synodis conditi, ad quas totius Christiani orbis Præsules conveniunt, ac ipse R. Pontifex Ecclesiæ Caput vel *ἀμεσως immediate* per se, vel *μεσως mediate* per suos Legatos præest. Qua de re Ecclesiam universam repræsentant, quam



in fidei veritate, et morum disciplina custodienda perpetuo duraturam Christus ipse haud semel pollicitus est.

VI. Secundum. Canones disciplinam spectantes quam maximæ quoque esse auctoritatis tum ex eo patet, quod aliquando *Spiritu Dei conditi* dicti sint; tum vel maxime ex eo, quod Ecclesiasticam disciplinam moderari non nisi Episcoporum præcipuum, ac proprium munus sit. Verum negandum haud est ejusmodi Canones pro temporum ratione mutationi subjacere, quo sensu intelligendum illud Augustini Lib. II. de Baptis. cap. 3. nimirum *Concilia plenaria priora posterioribus emendari.*

VII. Tertium. Concilia Provincialia jure suo Canones condunt: hanc enim potestatem Episcopi à Christo Domino *immediate* accepisse videntur, dum ex Apostoli doctrina ipse Christus *dedit Pastores, et Doctores.... in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ &c. Ad Ephes. IV. 11. 12. et 14.* Quinimmo antiquitus Concilia non modo Provincialia, verum et Episcopalia Canones edidisse, pluribus demonstrat Petrus de Marca *Lib. VI. Cap. XIV. n. 12.* Secutis quidem temporibus occasione falsarum Decretalium pedetentim invaluit, ut in Conciliis Provincialibus, nisi de adsensu R. Pontificis Canones condi nequirent, atque adeo neque ipsa Concilia celebrari; verum per Patres Tridentinos antiqua libertas revocata est, datumque Metropolitans singulis trienniis Synodos Provinciæ pleno jure celebrare: quas tamen ne evulgarent, nisi prius per Sedem Apostolicam probarentur, mandato Sixti V. Sacra Congregatio Concilii sancivit. Et sane fuit prisca moris Conciliorum etiam particularium Canones apostolicis Ecclesiis communicare; maxime vero Romanæ, quæ centrum est Ecclesiasticæ communionis.

VIII. Quartum. Apostolicæ Constitutiones, sive Decretales R. Pontificum Epistolæ ubique vulgatæ, ubique, ut par est, receptæ, ejusdem sunt auctoritatis ac ipsi Canones. Potestas enim Petro collata pascendi oves, et agnos, fratresque confirmandi jus legum condendarum profecto includit; quam potestatem jam inde à primis Ecclesiæ sæculis Rom. Pontifices exercuisse historica produnt monu-

menta. Jam vero fuit in more positum, institutoque Pontificum, nonnisi in Synodo saltem Diœcesana Romæ coacta, graviora expedire negotia, publicasque edere Decretales Epistolas.

29 Et sane I. Pius I. *Epist. II. ad Justum Vienn.* (\*\*) (quam apochrypham esse fatemur) (\*) Clerum Rom. Christi Senatuum adpellat: *Salutat te Senatus pauper Christi apud Romanam constitutus.* Atqui prioribus sæculis Clerus ea ratione *Senatus Ecclesiæ* dictus est, quod Presbyteri *Consilarii* essent *Episcopi* in gravioribus expediendis suæ Ecclesiæ negotiis. Auct. Const. Apost. Lib. II. cap. 28. *Presbyteri Apostolorum Christi locum tenent, tanquam Consilarii Episcopi, et Ecclesiæ corona.* Cyprianus *Epist. LV.* suum Clerum vocat, *Sacrum, venerandumque consessum*: tum *Epist. VII.* fatetur, *se nihil sine Presbyterorum suorum consilio sua privata sententia unquam gessisse.* Demum Hier. in *Jesai. III.* *Et nos, inquit, habemus in Ecclesia Senatum nostrum Cœtum Presbyterorum.*

2 Cornelius *Epist. ad Cyprianum XLVI.* scribit, se noluisse Maximum, ac reliquos Confessores, qui à Novatiani parte steterant, in Ecclesiæ communionem recipere, nisi prius Presbyterio convocato: *firmato consilio quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur.*

3 Julius I. *Epist. ad Orient. apud Athan. Apol. II.* diserte scribit se coacto Romæ Episcoporum Italiæ Concilio sententiam pro Athanasio tulisse: *Ad præfinitum tempus Episcopi convenere, et ejusdem sententiæ fuerunt.* (\*\*) At Epistolam hanc pluribus, iisque gravissimis rationum momentis ad apochryphas ablegat V. Cl. Berardi in *Gratianum Part. II. cap. XXXI.* (\*)

4 Ex S. Leonis *Ep. XVI. n. 7.* perspicue constat Rom. tifices per singulos annos Episcoporum cœtus celebrare consuevisse ad graviora in commune tractanda negotia; ut hoc pacto Romanæ Sedis constituta, ab omnibus custodirentur; verba S. Leonis infra dabimus, ubi de Synodis Provincialibus agemus.

(\*\*) 5. Hilarus in *Epist. ad Ascanium, et reliquos Tarracon. Provinc. Episc. cap. 2.* aperte edisserit Irænei causam

sam in *Conventu Fratrum* fuisse discussam, in eumque prolatam esse sententiam. (\*)

(\*\*) 6 Quin et Hadrianus IV. atque Alexander III. necessarium esse existimarunt, quod Decretales Epistolæ de *consilio Fratrum* constitutæ prodirent. Videsis *Tit. XII.* (\*)

7 Decreta R. Pontificum in majoribus negotiis ex eo potissimum agnoscebantur, quod essent Synodaliter probata, et edita. Id evincitur ex Fidei professione, quam novus electus Pontifex ante suam ordinationem emittebat; exstatque in Lib. Diur. R. Pontificum *Cap. 2. Tit. VIII.* In hac enim, dum Constituta, et Decreta à Rom. Pontificibus prædecessoribus suis se observari profitebatur, eam adhibebat clausulam: *quæ synodaliter statuerunt.* (\*\*) Unde Patres Synodi Tolet. III. Can. I. *Maneant*, ajunt, *in suo vigore... Synodica*, non aliæ *Sanctorum Præsulum Romanorum Epistolæ.* (\*)

IX. Neque negotium facessat, quod in Pontificiis Constitutionibus nulla Synodi injiciatur mentio. Id enim probabili, et justa causa factum est, fortasse ob Sedis Romanæ amplitudinem. Ad rem Julius I. nuper cit. Ep. ad Orient. *Quod si illud vos commovit, quod solus scripserim... in hoc quoque adest probabilis, et justa causa, Dilectissimi. Attamen necessum est vobis significare, quod etiamsi solus scripserim, non ideo mei solius esse illam sententiam, sed et omnium, qui in Italia sunt, et qui in his partibus degunt Episcoporum... Ad præfinitum tempus Episcopi convenere, et ejusdem sententiæ fuerunt.*

X. Quod vero vel ipsi Rom. Pontifices nisi in Synodo, graviora non expedierint negotia, congruentes dant rationes Patres Synodi Constantinopolitanæ II. Coll. VIII. *Licet Spiritus S. gratia*, inquit, *circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant: non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmarent... in communibus disceptationibus, quum proponuntur, quæ ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas mani-*  
fes-

*festari, quum unusquisque proximi adjutorio indigeat ... ipse Dominus dicit. Si duo ex vobis convenerint super terram, de omni re, quamcumque petierint, continget illis à Patre meo, qui in cælis est. Ubicumque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum in medio ipsorum.*

XI. Quintum. Qui Sacros Canones, vel Apostolicas Constitutiones infringit, cum peccati labe se inquinat, tum pœnis se subdit, si quæ illis adjunctæ sunt. Et sane ipsemet Christus tum *Lucæ X. 16.* Apostolos sic adloquitur: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit;* tum *Matth. XVIII. 17.* mandatorum Ecclesiæ contemptorem ab Ecclesia arcendum præcipit: id quod etiam Apostolus *II. ad Thes. III. 14.* jubet: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo.* Qua de re Cælestinus P. Epist. ad Episcopos per Apuliam et Calabriam constitutos in hunc modum decernit: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare: et Conc. Chalced. Can. I. Regulas SS. Patrum per singula nunc usque Concilia constitutas proprium robur obtinere decrevimus.* Tum Syn. Nicæn. II. Can. I. *Regulas, quæ Sanctæ Catholicæ, ac Apostolicæ Ecclesiæ tam à SS. Apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus, ac localibus Conciliis traditæ sunt, servare, ac custodire profitemur ... Omnes, qui Christiano censentur vocabulo, pœnis, et damnationibus, et è diverso receptionibus, et justificationibus, quæ per illas prolatae sunt, et definitæ, subijci Canonice decernentes.* Idem quoque Imperatores fassi sunt. Unus audiendus Justinianus *Novell. CXXXI. Cap. I. Sancimus vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor Conciliis expositæ sunt, aut firmatæ ... Prædictarum quatuor Synodorum dogmata, tanquam sanctas Scripturas accipimus, et regulas sicut leges observamus.*

XII. Quod tandem spectat ad SS. Patrum sententias; profecto ad eas in negotiis per Canones, et Decretales non definitis recurrendum esse decrevit Leo IV. *Can. I. Dist. 20.* Id quod non sine delectu intelligas; neque enim omnes SS. Patrum sententiæ ejusdem sunt auctoritatis, et momenti. Quamobrem opere pretium est aliquot Canones constituere.

I Canon. Ubi Patres ad obscura Sacræ Scripturæ loca,  
tan-

tanquam interpretes accedunt, eorum sententiæ permagnè faciendæ sunt: adeo nempe ut adversus unanimum Patrum sensum Sacras litteras interpretari qui ausit, maximæ temeritatis nomine merito accusetur: *Trid. Sess. IV. Decret. de Editione et usu Sacr. Libr.*

2 Canon. Ubi vero sententiam ex divina, atque Apostolica traditione non interrupta serie venientem proferunt; tunc quo major erit eorundem in idem dogma consensus, eo potioris erit auctoritatis, immo etiam infallibilis accedente Ecclesiæ consensu. Etenim potissimum per Patres, qui singulis sæculis scripta ediderunt, Apostolicas traditiones Ecclesia dignoscit.

3 Canon. Dicta SS. Patrum, Auctorumque Ecclesiasticorum, qui singulari doctrina, ac pietate olim florere, origine sua vim legis non habent. Ad Legem enim condendam non solum scientia, verum et potestas requiritur, uti ad rem Gratianus *Princ. Dist. XX*. Ea tamen maximè æstimanda sunt; quippe quæ antiquis explicandis Canonibus ac veteri Ecclesiasticæ disciplinæ adsequendæ non parum præstant adjumenti. De sententiis ex Libris Pœnitentialibus, Gestis Rom. Pontificum, et Ecclesiastica historia depromtis idem esto iudicium.

#### De Jure Canonico non Scripto.

XIII. Jus Canonicum non scriptum ἀγγραφον proprie dicitur *Consuetudo*, cujus tanta vis est, ut quum fuerit rationabilis, et legitime inducta *Scriptæ Constitutionis* loco habenda sit: *Can. VI. et VII. Dist. 12*. Atqui plura ad legitimam Consuetudinis firmitatem requiruntur. 1. Jurî divino, ac Ethicæ Christianæ non adversetur: *Cap. ult. de Consuetudine*. Quidquid enim contra jus naturæ, vel divinum inducitur, id non consuetudo, sed detestabilis abusus dicenda est.

2 Temporis diuturnitas: nimirum spatium decem annorum, ubi sit præter Canonem: at vero spatium saltem quadraginta annorum, ubi sit contra Canonem. Ita receptior Canonistarum sententia: *argum. Cap. 4. 6. et 8. de Præscriptionib. et Cap. 2. eodem in VI. et Leg. II. et III. Cod. Quæ sit longa consuetudo*. Tum consuetudinem adversus Ca-

nonem nunquam receptum spatio decem annorum præscribi, ac etiam minori, docent Fagnanus *in Cap. 1. de Tregue et Pace, n. 31.* aliique.

3 Frequentia actuum Canonici abrogando adversantium qui sane Antonii Fabri sententia *in Cod. Lib. IV. Tit. XV. Defin. 14.* *divinis judicialiter* probandi sunt per unam, duas, vel tres ad summum turmas, quarum singulæ decem testibus constant.

4 Tacitus populi consensus, qui moribus jus novum, quo obstringatur, inducere velit. Quamobrem ab Hermogeniano Consuetudo adpellata est, *tacita Civium conventio: Leg. XXXV. Dig. de Leg.* Unde piæ, diuturnæque fidelium jejundandi, vel orandi observationes consuetudinem non pariunt; quippe quod populo animus non sit iis se se obligandi.

5 Tandem requiritur Legislatoris scientia, et tolerantia: *Leg. XXXII. Dig. de Legib. (\*\*)* *Leg. VI. Tit. II. Partit. I. (\*)* Neque enim consuetudo præscribitur, ubi Legislator reclamet. (\*\*) Quas quidem condiciones ad veram generandam consuetudinem necessarias constituit Alphonsus Sapiens toto *Titulo II. Partit. I. (\*)*

XIV. Tria hic omnino animadvertenda. Primum: Tridentinæ Synodi Decreta non posse contraria consuetudine abrogari: et quidem prævias consuetudines, etiam immemorabiles, sæpissime ipsamet Synodus abolevit. Tum æque antea inductas, ac in posterum inducendas simul rejiciendas decrevit Pius IV. binis Constitutionibus: altera scilicet, qua confirmavit ejusdem Concilii Acta: altera evulgata die 13. Kal. Martii an. 1565.

XV. Secundum: Consuetudini legitime inductæ minime derogari per legem posteriorem nisi id expresse caveatur. S. Basilius *Epist. ad Amphiloc. Cap. 1.* agens de pœnis canonicis, consuetudinem aliquando ipsis Canonibus præferendam docet: *Utrumque igitur, inquit, scire nos oportet, et jus scriptum, et consuetudinem, et iis insistere, quæ non amplectantur rigore traditionum Canoniarum.* Id quod in caussa fuisse videtur, cur Tridentini Patres in Decretis *de Reformat.* Consuetudines immemorabiles diserte abrogarint.

XVI. Tertium: Laicorum consuetudinibus, quibus Eccle-

sias-

siastici non adhæserint, Clericos haud obstringi: *Cap. 9. de Foro competenti*. Si tamen velint, in favorabilibus uti posse, nonnulli docent Canonistæ; nec desunt, qui laicalibus locorum consuetudinibus Clericos æque, ac Laicos teneri sentiunt: *Cap. 3. de Eo, qui mittitur in possessionem*.

XVII. Verum in Senatu Neap. sententia invaluit, ut Clerici, eorumque bona à Statutis, et Consuetudinibus locorum tam active, quam passive exempta habeantur. Scilicet neque in favorabilibus earum commodo uti possint, qui incommodo vacant. Quamvis enim in Neap. Consuetudinibus compilandis jussu Caroli II. Andegavensis Philippus Minutulus Archiep. Neap. Regius Consiliarius cum XII. Viris peritissimis operam dederit; haud tamen illis suum consensum vel nomine Cleri, vel Archiep. auctoritate est impertitus. Atque hinc quum quæstio incidisset, num Clericus jure retractus, sive *Congruï* teneatur Friderici Constitutione, vel potius regnicolarum moribus inducto, Sacrum Consilium definivit, ad æqualitatem servandam, Clericum vicinum non posse vicissim à laico emptore in Foro laicali retrahere, neque jus *Congruï* postulare. Apud Præsid. de Franchis *Dec. 8*. Porro novissimum hac in re jus Neap. opportunius suo loco dabimus.

### *De Jure Canonico Generali, et Particulari.*

XVIII. Jus Canonicum sive *ἄγραφον scriptum* sive *ἄγραφον non scriptum* et Generalis, et Particularis speciem induere potest. Jus *ἄγραφον* sive *Consuetudo* generalis habebitur, si omnes Christiani Orbis gentes ex æquo eam observaverint. At si in quibusdam tantum Provinciis ea fuerit adoptata, tunc particularis omnino erit. Sic antiquissimus Ecclesiæ mos, ut Christiani die Dominica stantes orarent, et jejuniis abstinerent, generalis erat consuetudo. *Tertull. de Corona Cap. 3. August. Epist. LXXXVI. ad Casulanum*. At ex adverso Jejunium Sabbatarium particularis erat Ecclesiæ Romanæ consuetudo: (\*\*). non Hispaniæ, uti evincitur ex *Syn. Illiberitana Canone XXVI. et Cojacen. an. 1050. Can. XI. (\*)*

XIX. Consuetudines generales semper in Ecclesia servatæ Apostolicæ institutioni merito adscribuntur. Qui enim tot

tantæ tamque dissitæ Ecclesiæ in idem solis moribus consensissent placitum, ea præsertim ætate, quando in Christianos gentium furor sæviebat, nisi Apostolica prævisset institutio? Ad rem August. Lib. IV. de Baptismo Cap. 4. *Quod universa tenet Ecclesia, nec in Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi apostolica auctoritate institutum, rectissime creditur.* Igitur generales illæ, et antiquissimæ Ecclesiæ consuetudines ad jus scriptum rectius, quam ad non scriptum referendæ. Quod vero à Patribus interdem consuetudines adpellatæ fuerint, ea ratione factum est, quod assiduo Ecclesiarum usu ad posteros dimanarint.

XX. Jus Canonicum *ἡγγραφοῦ* *Scriptum* Generale complectitur quidquid legis vim habet in universa Ecclesia. Hinc quæ Apostoli ad fideles instruendos scriptis mandarunt, Canones Conciliorum Generalium, ac demum R. Pontificum Decretales Fidei *ἡγγραφα* *dogmata* adferentes, aut morum, disciplinæque regulas præscribentes Jus Canonicum Generale constituere nemo non videt.

XXI. Contra vero Canones Conciliorum sive Nationalium, sive Provincialium, Epistolæ Canonice veterum Patriarcharum, aut Metropolitanorum, Episcoporum Statuta, necnon Epistolæ Decretales R. Pontificum ad peculiare Ecclesias, Provinciasque datæ Jus particulare constituunt; quippe quæ vim legis non obtinent, nisi apud eas Provincias, in quibus Concilia celebrata, aut ad quas Epistolæ illæ datæ sunt.

XXII. Hic autem pauca sunt observatu digna. 1. Jus Generale potest in Particulare converti, si scilicet apud plures Ecclesias in desuetudinem abeat, perduret tamen in una, aut altera Ecclesia. Quemadmodum 2. Jus Particulare potest Generale effici, si nimirum ab Ecclesia universa receptum fuerit, aut Œcumenicæ Synodi statuto, aut R. Pontificis constitutione, aut denique ex ubique probata, ac obtinente consuetudine. Hoc autem 3. non ulterius, quam ad disciplinæ regulas produci potest, quippe quæ ob diversas locorum, personarum, ac temporum vicissitudines mutationi sunt obnoxia. Quod de regulis Fidei nemo audet pronuntiare, quæ ut ait Tertullianus, *immobilis est, et irreformabilis.*



XXIII. At enim 4. si ultima Ecclesiasticæ Historiæ monumenta excutias, inuenies profecto Concilia Particularia, (\*\*\*) Hispana præsertim, (\*) haud raro Fidei dogmata, morumque Canones sancivisse; quæ tamen ad Ecclesiam universam omnino spectare videntur: quare Juris generalis potius, quam particularis nomen obtineant par est. Verum advertendum puto hujusmodi Concilia, aut dogmata jam tradita, et Catholicæ Ecclesiæ fide firmata iterum promulgasse; ex quo nihil aut incrementi, aut detrimenti Ecclesiæ immutabilis fides passa est: aut nova dogmata, nosque morum Canones edidisse: atque hæc jus *καθολικόν γενεραλε* constituere nequivere, nisi aperto, tacitove aliarum Ecclesiarum consensu roborata. Hinc certe est, quod hæreses trium priorum sæculorum licet à particularibus Conciliis proscripæ, tamen ab universa Ecclesia damnatæ censentur.

### De Rescriptis.

XXIV. Juvat hic pauca de Rescriptis subnectere, quæ veluti tertium juris Canonici genus constituunt, scilicet *speciale, sive singulare*: et sane inter partes, à quibus, et contra quos impetrantur, veluti pro legibus habentur, et vim pæne legum obtinent. Rem nostram quod spectat, Rescripta Apostolica dicuntur R. Pontificum Epistolæ ad lites ordinandas, vel ad largienda beneficia editæ. Illa *Justitiæ*, hæc *Gratiæ* Rescripta dicuntur.

XXV. Ut Rescriptum plenam vim habeat plura requiruntur, quæ videri possunt apud Fagnanum *Tit. de Rescriptis*: præcipue vero, ut non sit per obreptionem, vel subreptionem impetratum. Per obreptionem impetrari dicitur, quum veritas in supplicii libello secundum juris regulas exponenda reticeatur; uti ex adverso dicitur impetrari per subreptionem, ubi falsum fuerit expressum. Profecto Rescripta ita impetrata nullius sunt roboris: *Cap. 20. de Rescriptis*.

XXVI. At inquires: Quid ubi vel falsum expositum, vel verum silentio prætermissum in caussa non sit, cur R. Pontifex Rescriptum elargiatur? Hac in re distinctione opus est. Qui enim dolo, aut fraude verum tacet, aut falsum exponit,

nit, is profecto caret prorsus impetratis. At Rescripto legitime utetur, ubi illa falsi suggestio, aut veri suppressio nonnisi ab ignorantia, aut ab simplicitate acciderit: *Cap. 20. ibid.*

XXVII. Adhæc quid juris, ubi dolosa subreptio, aut obreptio partis duntaxat Rescripti causa fuerit? Atqui adhuc Rescriptum est invalidum, et quidem in fraudis pœnam. Unde *ibid. In suæ perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequatur.*

### De Privilegiis.

XXVIII. Ad speciale, sive singulare jus canonicum videntur quoque reducenda Privilegia. Privilegium Lex est privatis data, sive ut loquitur Isidorus Etymolog. V. 18. *Privilegia sunt Leges privatorum, quasi privatæ leges. Nam Privilegium ita dictum est, quod in privatum feratur.* Id quod ex Gellio videtur sumsisse Isidorus, qui *Noct. X. 20.* Leges à Privilegiis in eo distinguit, quod illæ generalia jussa sint ad universos cives pertinentia; hæc vero sint privata privatos, singulosque homines spectantia. Et sane veteres *priva* dixerunt, quæ nos singularia dicimus: Gellius *ibid.*

XXIX. Haud vero inde deducas Privilegia nonnisi singulis impartiri hominibus. Etenim possunt etiam vel uni Communitati tribui, aut Collegio: *tot. Tit. de Privilegiis*: vel certo generi personarum, veluti minoribus, clericis, religiosis, militibus; vel etiam peculiari alicui locò, uti Monasterio, Ecclesiæ, Hospitali. Unde dividi solent in Personalia, et Localia, sive Realia.

XXX. Illud hic animadvertendum, Privilegia certæ alicui personæ collata ipsam duntaxat respicere, nec ad alias ulla ratione extendi posse: unde dicuntur etiam temporalia. Quæ vero communitati tribuuntur, vel certo personarum generi, quæque Personalia indefinite dici consueverunt, perpetua esse, atque illi hominum cœtui, aut Collegio perpetuo adnexa; id quod de Localibus etiam intelligas.

XXXI. Quo caute, ac rite Privilegiis utamur, in iisdem exponendis, sive interpretandis nonnullæ à Canonistis servandæ præscribuntur regulæ; ex quibus præcipuas duntaxat

hic

hic paucis dare non pigeat. 1. Privilegia juri communi adversantia strictam requirunt interpretationem: *Leg. XXXV. Cod. de Inoffic. Testam. Argum. cap. 16. de Privilegiis*; ita tamen, ut aliquid conferant. Neque enim inane contulisse Privilegium Princeps censendus est.

2 Qua de re Privilegia, quæ tangunt jus concedentis lætissime interpretari licet; censentur enim esse beneficia: ejusmodi plerumque sunt Principum concessionem. *Beneficium Imperatoris quod à divina scilicet ejus indulgentia proficitur, quam plenissime interpretari debemus*: *Leg. III. Dig. de Const. Princ.*

3 Privilegia, quæ alterius jus lædunt, licet à Principe impartita, stricte tamen sunt interpretanda: *Cap. 19. de Privilegiis. Ad rem Ulpianus Leg. II. §. 10. Dig. Ne quid in loc. publ. Quoties aliquid in publico fieri permittitur, ita oportet permitti, ut sine injuria cujusquam fiat, et ita solet Princeps.... permittere.*

4 Privilegia licet miserabilibus personis concessa, adhuc tamen ita sunt accipienda, ut inde alteri injuria non irrogetur. Neque enim jura patiuntur, ut unius inopia alterius injuria sublevetur, nec quod ex parte aliquibus miserabilibus personis conceditur, ad alterius injuriam redundet: *Fagnanus in Cap. 18. de Rescriptis.*

## TITULUS IV.

### De Conciliis.

I. **C**oncilia latine, græcè συνέδοι *Synodi* dicta Cœtus sunt Catholicorum Episcoporum ad constituendum de caussis Ecclesiasticis Fidem, Mores, aut Disciplinam spectantibus legitime coacti. Eadem notione apud veteres æque Græcos, ac Latinos Auctores cœtus deliberandi, vel decernendi caussa instituti συνέδοι, et Concilia dicebantur. *Σύμμαχος ἀπὸ τῶν κοινῶν Συνόδων βασιλῆυσι*: *Fæderati in communibus conventibus deliberantes*: *Thuc. Lib. I. et apud Cicer. de Finibus: Quæ opiniones in Senatu, et apud populum, et in omni cœtu, Concilioque proferri possunt.*

Qua-

II. Quatuor Conciliorum , sive Synodorum genera à Christianis Auctoribus passim recenseri , Generalia scilicet, Nationalia , Provincialia , et Diœcesana in Diatriba Isagogica jam diximus : tum quænam ea sint ibidem satis explicavimus. Jam vero placet hic *Augustinus* in eadem inquirere. Sit igitur primo

*De Conciliis Generalibus.*

III. Ad Concilium Generale græce οἰκουμένην dictum omnes convocandi sunt totius Christiani Orbis Episcopi. Porro Romani duntaxat Pontificis , et quidem jure divino , jus est ex necessariis causis , et ex voto totius Ecclesiæ generale Concilium indicere. Et sane quisnam præter solum R. Pontificem , qui *Caput* est , et *Primas totius Ecclesiæ* tantam sibi vindicare quiverit , aut unquam vindicavit auctoritatem , ut omnes Catholicos Episcopos ad Concilium venire jubeat? Id professi sunt Patres Concilii Constantinopolitani I. *Epist. ad Damasum* apud Theodoretum *Lib. V. Hist. cap. 9.* Nicolaus I. *Epist. 38.* ad Gallicanos Antistites , et Hincmarus Remensis Op. LV. cap. 20. *Sic igitur* , inquit , *universales Synodi specialiter Apostolicæ Sedis auctoritate convocantur.*

IV. At inquires : Octo priora Œcumenica Concilia in Oriente habita Imperatores indixisse , vel ipsi Ecclesiastici Scriptores manifeste produnt. Verum in hujusmodi edictione potius Ecclesiæ , quam Imperii elucebat auctoritas. Romani namque Pontificis erat de urgenti , ac necessaria convocationis causa judicium ferre , Ecclesiarum pericula , necessitates , ac vota tum excipere , tum expendere , et Episcoporum non corpora , sed animos obstringere , et ad accessum ad generale Concilium obligare. Imperatorum vero justam Pontificis voluntatem terrore contra iniquos communire , Episcopos reluctantes adigere , volentes , ac libentes commeatu juvare , interdictum de conventiculis Principe insciente agendis in ejusmodi causa tollere. Uno verbo interior convocandæ Synodi auctoritas ad Pontificem pertinebat , exterior ad Imperatorem : illa animos obligabat , hæc vero executionem urgebat.

V. Atque hinc Ruffinus *Lib. I. cap. 1.* scribit , Nicænam

Synodum ab Imperatore *ex sententia Sacerdotum* convocatam. Et Patres Concilii Constantinopolitani III. *Act. XVIII.* aperte fassi sunt, Constantinum, et Sylvestrum P. Magnam in Nicæa Synodum convocasse. Unde Valentinianus Imp. ab Episcopis Hellesponti, et Bythinæ rogatus, ut cogendæ Synodi veniam daret, respondit: *Sibi, qui unus ex laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere; ideoque Episcopos seorsim per se ubicumque libitum esset, posse in unum convenire.* Sozomenus *Lib. VI. cap. 7.*

VI. Igitur Imperator Custos est, et Vindex exterior; Pontifex Primas, et Caput interior, et utroque sic regebatur Ecclesia, ut et intus vim auctoritatis internæ, et extra vim potestatis externæ, ut vim, et fulcimentum suum æque sentiret. Et sane Imperatores, non nisi petentibus, et suggerentibus R. Pontificibus Concilia indixere. *Si pietas vestra* (scribit Leo M. Epist. XII. ad Theodosium) *suggestioni, ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium &c.* Tum Patres Concilii Constantinopolitani I. Epist. ad Damasum. *Fam vero, inquit, quoniam vos, quo fraternam vestram erga nos charitatem declararetis, Concilio voluntate, ac nutu Dei Romæ coacto nos veluti membra propria per Deo amantissimi Imperatoris litteras arcessivistis.*

VII. At quorsum petitio illa Episcoporum, ac suggestio, qua Imperatores rogabantur, ut Synodi celebrandæ darent facultatem? Profecto pluribus ex causis.

1 Quod vetitum esset publicos agere conventus inconsulto Principe, ne quid detrimenti Respublica pateretur: *Leg. XV. Cod. de Episcop. et Clericis.*

2 Quod Ecclesia non adeo bonis abundaret, ut Episcopi ad Concilia suis sumtibus coire potuerint. Ferebat igitur, ut Imperatores Concilia edicerent, ut simul Episcopis vehicula, et alimenta præberent. *His omnibus* (Episcopis, eorumque comitibus Presbyteris, Diaconis &c.) *quotidie annonas præberi Imperator mandaverat:* Eusebius *Lib. I. cap. 9.*

3 Quia Imperatores Synodos indicentes ad confirmanda, vel exsequenda, etiam civilibus pœnis, Decreta sese obstringebant. Ceterum nullum jus Ecclesiasticum sibi tribue-

buebant. Unde Constantinus M. Patres Nicænos sic est adlocutus: *Vos in iis, quæ intra Ecclesiam, ego in iis, quæ extra geruntur, Episcopus à Deo sum constitutus: Eusebius in Vita Constantini Lib. IV. cap. 24. quod et professus est Marcianus Imp. in Concilio Chalced. Actione VI.*

VIII. Generalibus Conciliis præesse R. Pontificum jus est. Et sane omnibus Œcumenicis Synodis sive in Oriente, sive in Occidente celebratis præfuerunt vel per se, vel per suos Legatos. Osium Synodo Nicænæ tanquam Legatum Sedis Apostolicæ præfuisse dubitat Tillemontius *nota 4. in Synod. Nicæn.* quod Eusebius, Socrates, et Sozomenus, qui Vitum, et Vincentium Sylvestri Papæ vices implevisse testantur, de Osio tantummodo scribant, quod Synodo interfuerit; nec ullus antiquus Historicus ante Gelasium Cyzizenum, qui V. exeunte sæculo scripsit, illam Osio tribuat prærogativam.

IX. Verum quod primus omnium, etiam ante Vitum, et Vincentium, Synodi Decretis subscripserit, inde probabili saltem conjectura efficitur Synodo præfuisse, et quidem vice Sylvestri Papæ. Neque enim alio Titulo Synodo Œcumenicæ Orientali præ sederit, quippe qui simplex Episcopus Hispanus, omnibusque, qui Synodo intererant Patriarchis, Exarchisque inferior.

(\*\*) X. Immo quod Osius, *nominis, et famæ celebritate insignis*, ut ait Eusebius *Lib. III. de Vita Constant. cap. 7.* et Socrates *Histor. Eccles. Lib. I. cap. 5.* Concilio Nicæno præfuerit, ex eo evincitur, quod Cyzizenus, qui sæculo V. ejusdem Concilii historiam ex instituto concinnavit, hanc uni Osio deferat prærogativam, neque id negat Eusebius sæculi IV. scriptor, neque Socrates sæculi V. qui tamen universam Ecclesiæ historiam conscripserunt, non peculiarem Nicæni. (\*)

XI. Tum vice Cælestini Papæ Synodo Ephesinæ præfuit Cyrillus Alexandrinus *Act. I. S. Leo Epist. 43.* Cælestinus ipse *Epist. ad Cyrillum*, tum Cyrillus *Epist. ad Cælestin.* Vice S. Leonis præfuerunt Concilio Chalced. Paschasinus, et Lucentius Episcopi, Bonifacius, et Basilius Presbyteri: S. Leo *Epist. ad eandem Synod.* Idem de aliis Conciliis intelligas, uti patet ex eorundem Actis, uno excepto Con-

tantinopolitano, cui nulli interfuere Rom. Sedis Legati, quia eadem de causa contra Macedonium Damasus P. Synodum Romæ habebat, uti patet ex mutuis Damasi, et Patrum Constantinopolitanorum Epistolis.

XII. Synodis Œcumenicis cum Episcopis Presbyteri quoque, Diaconi, aliique inferiores Clerici interesse consueverunt. Id de Nicæna testatur Eusebius Lib. III. cap. 8. *Presbyterorum, qui eos Episcopos comitati sunt, Diaconorum, Acolytorum, aliorumque complurium numerus iniri vix potest.* Tum ex eodem Eusebio Lib. X. cap. 5. habemus in Constantini *Tractoriis*, sive Litteris invitatoriis æque Presbyteros, ac Episcopos ad Concilium convenire imperiali mandato fuisse jussos. At Episcopi sedebant, sedebant et Presbyteri, sed vel à tergo, vel in sellis demissioribus, dictis quandoque *Thronis*, vel *Cathedris Secundis*, vel *Inferioribus*: Naz. de *Vita* pag. 6. Idem in *Somnium de Templo Anastasiæ*, et in *Orat. XX. de Laudibus Basilii* Diaconi, aliique inferiores Clerici stabant: Conc. IIlib. in *Præfatione*.

XIII. Presbyteri, et Diaconi ad Synodos conveniebant, vel cum hæreticis disputaturi, ac juridicum Fidei communis testimonium contra ipsos laturi; uti in Nicæna Synodo Athanasius adhuc Diaconus: Eusebius Lib. VI. cap. 37. vel ut Procuratores absentium Episcoporum suffragium daturi; uti ex Actis Conciliorum Nicæni, Constantinopolitani I. et Arelat. I. evincitur. Quinimmo in Synodo Constantinopolitana I. Cycles Lector subscribit nomine Atarbii Provinciæ Ponti Polemoniæ Episcopi.

XIV. Jam vero iudicium auctoritatis in Synodis ferre jure divino Episcoporum tantummodo jus est, Presbyteris iudicium doctrinæ permitti solet: auctoritativum nempe Pastorum primi ordinis proprium; doctrinale vero ceteris etiam secundi ordinis commune. Etenim agebat Theodosius Junior Epist. ad Ephesinũ Concilium: *Illicitum est ei, qui non sit in ordine SS. Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Et sane solis Episcopis jure divino omnium Ecclesiarum sollicitudo incumbit; quippe qui jure divino constituti sunt *Pastores, et Doctores in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi* &c. Apostol. ad *Eph. III. 12.*

XV. In Synodo quidem Basileensi subscripserunt quoque

Presbyteri ; tum in Conciliis Florentino , et Tridentino suffragium etiam tulere Abbates , et Generales Ordinum Præpositi. At potuit ipsis ex privilegio Ecclesiæ illud jus tribui , quo jure divino non nisi Episcopi fruuntur : uti quoque speciali privilegio iisdem in Regulares sibi subjectos jurisdictionis quasi Episcopalis concessa est.

XVI. Canonica examinis forma in Conciliis servanda hæc est : 1. Ut sit libertas in judiciis. Acta enim per vim , et metum ipso jure sunt irrita , et fraus illata iudicibus obreptitium facit iudicium , atque adeo coactorum sententiæ sunt potius sensa cogentium. Qua de re Patres Ariminenses sic loquentes inducit Hier. Dial. adversus Lucifer : *Putavimus sensum congruere cum verbis , nec aliud in Ecclesia Dei , ubi simplicitas , ubi pura confessio est , aliud in corde clausum esse , aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio.*

2 Ut sit sufficiens examen ad normam Scripturæ , et Traditionis. Hoc de Synodo Nicæna diserte testatur Athanasius Ep. ad Afros , et Sozomenus Lib. I. cap. 12. de Ephesina Vincentius Lirin. *Comm. cap. 2.* et ex ejusdem Actis perquam perspicuum est. Tum Constantinopolitana II. suas omnes definitiones sic concludit : *Hæc ita recte confessi sumus , quæ tradita nobis sunt tam à divinis Scripturis , quam à SS. Patrum doctrina , et ab his , quæ definita sunt de una , eademque fide à prædictis sanctis quatuor Conciliis.*

3 Ut sit moralis judicantium unanimitas. Pius IV. Epistola ad Patres in Synodo Tridentina congregatos , eos monuit , ut *illas tantum ederent definitiones , in quas Patres unanimi consensu conspirarent.* Tum eadem semper fuit veterum Conciliorum praxis , ut non prius sancirentur Canones , quam omnes , vel fere omnes advocati Episcopi subscribere parati essent.

XVII. Jure igitur Concilium , sive potius Latrocinium Ephesinum rejectum , ac reprobatum est. In eo enim et vis illata , et examen neglectum , et *ἡρθόδοξοι* magis orthodoxi Episcopi à Synodo expulsi.

XVIII. Jus autem Canonicum in caussis conciliaribus ordinem dictat. Et quidem 1. ut reus citetur , audiatur , excutiatque. Patres Ephesini Nestorium ter ad Synodum vo-



cari voluere; *Quoniam nihil*, inquebant, *ex iis omnibus, quæ ad Ecclesiasticum ordinem pertinent, prætermittere par est: Acta Concilii Act. I.*

2 Ut Instrumenta accusationum expendantur, et cum norma doctrinæ communis conferantur. Id in Synodo Carthag. sub Aurelio an. 412. in causa Pelagii accurate servatum est: unde Pelagiana *ψευδίζματα falsa dogmata* et detecta, et damnata sunt. Id quod quum Zosimus Rom. Pontifex, ac Patres Diospolitani neglexissent, nihil mirum quod Pelagium ab hæresi, cujus nomine accusabatur, absolverint. Tum constat quanta diligentia in Synodis Asiæ Montanistarum doctrina expensa fuerit: Eusebius *Lib. V. cap. 17.*

3 Demum, ut iudicium feratur conceptis verbis, et ad unum sensum determinatis. Athanasius *Epist. de Nicæn. Syn. contra Arianam hæresim decretis*, et Theodor. *Lib. I. cap. 3.* pluribus exponunt, quanta animi contentione Patres Nicæni in id incubuerint, ut fidem de Verbi divinitate adversus Arianorum vafritiem disertis verbis constituerent; ad quod vocem *ὁμοουσιον consubstantiale* selegerunt, qua simul et Catholicum dogma adstruitur, et Ariana hæresis destruitur.

XIX. In Subscriptionibus hic ordo servandus. Editis Decretis primus omnium subscribit R. Pontifex, vel qui ejus vices gerunt Apostolicæ Sedis Legati: tum Patriarchæ, dein Metropolitæ, alique Episcopi. Unde in Synodo Nicæna Osius, Vitus, et Vincentius Sedis Apostolicæ Legati primi omnium subscripsere: tum Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, Macarius Hierosolymorum Patriarchæ, demum Metropolitæ, alique Episcopi servata Sedium dignitate.

XX. Verum aliquot abhinc sæculis Cardinalibus omnibus, etiam episcopali caractere carentibus, prærogativa data est suffragii, subscriptionis, tum etiam sedis supra Episcopos; quo jure in Conciliis Lugdunensibus I. et II. primo potiti sunt.

XXI. Imperatores etiam, ac Reges aliquando per semetipsos, sæpius per Legatos, Oratoresque suos Conciliis Oecumenicis adfuere, atque adeo, quod ad loci honoratioris dig-

nitatem, præfuere, iisdemque post Episcopos subscribere; et quidem permagno Ecclesiæ, Reique publicæ bono, et plaudentibus Patribus; uti patet ex Actis Conciliorum præsertim Orientalium. *Expedit* (inquit Card. de Alliaco de Reform.) *quod Reges, et Principes mittantur ad Generalia Concilia non ad onerandam, et confundendam, sed ad honorandam, et confortandam Ecclesiam, et ad ea, quæ ibi decreta fuerunt quantum in eis est, exsequendum.*

XXII. Concilia Generalia in iis, quæ ad fidem, et mores spectant, ex divina promissione nulli esse errori obnoxia late probant Theologi. Verum quæ disciplinam respiciunt ejusmodi sunt, ut obligent quidem omnes, ubi fuerint promulgata; at decursu temporis immutatis regionum *περιστασις* *circumstantiis* corrigi, variarique possint; et in his quidem capitibus *Concilia priora posterioribus* emendantur, quum experimento aperitur, quod latebat. Augustinus *Lib. III. Conf. cap. 7. et Lib. II. de Baptismo cap. 3.*

XXIII. Quin et Conciliorum non ea mens unquam fuit, ut salutaribus alicujus Regionis, vel Provinciæ institutis, privilegiis, aut inveteratis consuetudinibus nova velint Decreta opponere, sed contemperare. Atque hac forte de causa accidit, ut Tridentini Concilii Capita nonnulla nonnisi contemperata recipiantur. Unde Philippus II. Hispaniarum, et Neapolis Rex jussit quidem Decreta Synodi Tridentinæ in Regno Neapolitano evulgari, et exsequi ut patet ex ejus mandato *die 17. Julii an. 1564.* At deinde data Epistola Duci Alcala Neapolis Pro-regi *die 3. Julii an. 1566.* eidem significavit mentem Patrum Tridentinorum non fuisse Decretis Conciliaribus de disciplina præjudicium inferre regiis juribus; idque Episcopos Hispanos è Concilio redeuntes adseverasse.

XXIV. Huc pertinent binæ Consultationes Regentis Francisci Antonii Villani, quibus Capita 18. Concilii Tridentini disciplinam spectantia, tanquam inveteratis Regni consuetudinibus contraria, temperari posse censuit.

I *Sess. VII. Cap. 6.* quo uniones beneficiorum perpetuas quadraginta abhinc annis factas, et per subreptionem, vel obreptionem impetratas ab Ordinariis locorum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, irritas declarari sancitum est.

2 *Sess. XXI. Cap. 4.* quo statuitur compelli posse populum ea subministrare, quæ sufficient ad vitam illorum Sacerdotum sustentandam, qui noviter erectis Parochiis præficiantur.

3 *Ejusdem Sess. Cap. 7.* quo datur Episcopis facultas transferendi beneficia etiam jurispatronatus ad Ecclesias Matrices; cogendique patronos ad Ecclesias reficiendas.

4 *Sess. XXII. Cap. 8.* quo Episcopis jus tribuitur visitandi omnia loca pia, uti Xenodochia, Collegia, Confraternitates &c. etiamsi eorum cura ad laicos pertineat, vel exemptionis privilegio sint munita.

5 *Ejusdem Sess. Cap. 9.* quo Ecclesiarum Administrum etiam laici Episcopis singulis annis rationem reddere jubentur.

6 *Ibid. Cap. 10.* quo decernitur posse Episcopos Notarios, licet à Rege probatos, examinare, eosdemque minus idoneos repertos à negotiis, et causis Ecclesiasticis arcere.

7 *Ibidem Cap. 11.* quo Ecclesiarum patroni earundem jura, ac bona usurpantes simul et excommunicationis pœna, et jurispatronatus amissione multantur.

8 *Sess. XXIII. de Sacramento Ordinis Cap. 4.* quo consensus populi, ac sæcularis potestatis in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et Clericorum haud requirendus præscribitur.

9 *Ejusdem Sess. Cap. 18.* quo Episcopis tributa facultas est adnectendi Seminariis etiam beneficia jurispatronatus laicalis, et decimas ad laicos spectantes.

10 *Sess. XXIV. Reform. Matrimonii Cap. 8.* de quo corporales adversus concubinarios ab Ordinariis inferendæ constituuntur pœnæ.

11 *Ejusdem Sess. Cap. 10.* quo Decreta Episcoporum Visitationem, morumque correctionem spectantia nulla appellatione suspendi posse statuitur.

12 *Ibid. Cap. 11.* quo exempti omnes, atque etiam Capellani regii delegati Episcoporum auctoritati subjiciuntur.

13 *Ibid. Cap. 13.* quo Symbolas, sive Collectas populo auctoritate Episcopi pro congrua parochiali imponi posse decernitur.

14 *Sess. XXV. Cap. 3.* quo Ecclesiasticis iudicibus per-

mit-

mittitur in quoscunque etiam laicos multis pecuniariis animadvertere; tum Sæculari magistratui nefas adseritur Ecclesiasticum judicem, ne quem excommunicet, prohibere.

15 *Ibid. Cap. 8.* quo Hospitalium Administrum etiam laicum in Episcopi potestatem rediguntur.

16 *Ibid. Cap. 9.* quo juris patronatus etiam laicorum probatio Episcopi judicio adsignatur.

17 *Ibid. Cap. 11.* quo locationes rerum Ecclesiasticarum, etiam auctoritate Apostolica confirmatæ, irritæ decernuntur, quæ à triginta annis citra ad longum tempus factæ sint.

18 *Ibid. Cap. 12.* quo laicos ad decimarum solutionem etiam per censuras compelli posse sancitur.

His addunt regii censors Decretum de editione, et usu sacrorum librorum *Sess. iv.* quod attinet ad pœnam pecuniariam in typographos veniam Ordinarii negligentes constitutam: et *Sess. v. Cap. 1.* de Magistris Theologiæ, et Grammaticæ non admittendis sine Ordinariorum examine, ac facultate. Hactenus indicata Capita suis locis fusius explicabimus.

XXV. Quæ vero alicubi executioni mandata non sunt, ipsa Romæ Sede indulgente, actum id est salva majestate Concilii: quum Decreta, quæ disciplinam spectant, annuente Pontifice, Regni consuetudinibus aptari, et contempnari haud absonum videatur. Certe S. Leo M. salva majestate Concilii Œcumenici Chalcedonensis rejecit Can. xxviii. ejusdem Synodi, quo æqualia privilegia concedebantur Episcopo Constantinopolitano in provincias Ponti, Asiæ, et Thraciæ, ac Episcopo Rom. in Ecclesias suburbicarias. Ajebat enim: *Synodum convenisse ad fidem vindicandam contra perfidiam Eutychnianam, non ad serviendum cupiditati Anatolii Episcopi Constantinopolitani: Ep. 80. ad Anatolium.* Neque ad id adduci potuit precibus Patrum Chalcedonensium, Juliani Episcopi Cohensis sui Legati, ac ipsius Imperatoris.

Verum nonnulla ex controversis illis Capitibus novissimo Concordato an. 1741. constituta sunt, uti suis locis indicabimus.

(\*\*) *De Conciliis Nationalibus.* (\*)

(\*\*) XXVI. Quum negotia tractanda erant, quæ vel ad fidem roborandam spectarent, vel ad reparandam communem universæ Nationi disciplinam, vocabantur Episcopi ex toto qua late patebat Regno ad Concilia celebranda, quæ idcirco dicta sunt Nationalia. Hoc evincere est ex Syn. Tolet. IV. Canone III. in quo statuitur, *ut saltem semel in anno Concilium celebretur; ita tamen ut si fidei causa est, aut quælibet alia Ecclesiæ communis, generalis Hispaniæ, et Gallitiæ Synodus celebretur; si vero nec de fide, nec de communi Ecclesiæ utilitate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque Provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit peragendum.* Unde quum Flavius Reccaredus de ejuranda palam una cum suis Gotthis Ariana hæresi cogitaret, à qua jam pridem ex animo penitus abhorrebat, Episcopos Provinciarum, Carthaginensis, Lusitanæ, Gallaicæ, Bæticæ, Tarraconensis, et Narbonensis ad Regiam Toletanam Urbem invitavit, ubi celeberrimum omnium Conciliorum Nationalium habitum est, et in quo gloriosissimo *Catholici* epitheto decoratus est. (\*)

*De Conciliis Provincialibus.*

XXVII. Annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari præcepit Synodus Nicæna *Can. v.* ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis graves Ecclesiarum Provinciæ discuterentur quæstiones. Hunc Canonem renoverunt Concilia Antiochenum *Can. xx.* et Chalcedonense *Can. xviii.* ejusdemque meminit S. Leo M. *Epist. XVI. Cap. 7.* universis Episcopis per Siciliam constitutis: *Quia saluberrime, inquit, à Sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem 3. Kalendas Octobris Romam fraterno Concilio sociandos indissimulanter occurrant: quoniam adjuvante gratia Dei facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascentur errores, quum coram beatissimo Apostolo Petro id semper*

*per in commune tractandum fuerit, ut omnia ipsius Constituta, Canonumque Decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.*

XXVIII. Ex hac S. Leonis auctoritate profecto liquet Rom. Pontifices per singulos annos Episcoporum cœtus celebrare consuevisse ad graviora in commune tractanda negotia; ut hoc pacto Romanæ Sedis Constituta ab omnibus custodirentur.

XXIX. Et sane recte observante Card. Bellarmino Lib. I. de Clericis Cap. 16. *Primis sexcentis, vel octingentis annis Summi Pontifices ad graviora negotia dijudicanda cogebant Concilia Nationalia Episcoporum Italiæ.*

XXX. Verum labente tempore quum difficile videretur bis in anno Concilia Provincialia celebrari; hinc primo Justinianus Imp. *Novell. CXXXVII. Cap. 4.* dein et Synodus Quinixesta *Can. VIII.* permisserunt, ut saltem semel in anno propter ecclesiasticas emergentes quæstiones Episcoporum Synodus fieret in loco, quem Metropolitanus Episcopus aptiorem judicaverit. Id quod postea ratum habuit Synodus VII. *Can. VI.*

XXXI. Eandem moderationem Ecclesia quoque Latina paullatim admisit, uti patet ex Conc. Parisiensi VI. *Can. XXVI.* tum et ex S. Gregorio *Lib. VII. Epist. 3.* Quod sensim adeo invaluit, ut Innocentius III. in Synodo Lateranensi IV. præcipiens; ut *Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis Provincialia non omittant celebrare Concilia, adiciat, sicut olim à SS. Patribus noscitur constitutum: Cap. 25.* de Accusationibus.

(\*\*) XXXII. In Hispania prudenti consilio visum est Patribus nostris latam à Concilio Nicæno legem paullulum temperare in Conc. Tolet. III. *Can. XVIII. Consulta itineris longitudine, et paupertate Ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno, in loco quem Metropolitanus elegerit, Episcopi congregentur.... die Kalendarum Novembrium.* Id ipsum decrevit Syn. Tolet. IV. præfato *Can. III.* quorum vestigiis inhærens Tolet. XII. ad annuam Synodorum celebrationem iterum coegit *Can. XII.* scilicet *juxta priorum Canonum instituta.* Cogebantur utique semel in anno, aut saltem frequentissime Concilia, ita ut tam vehementi doloris sensu tacti videan-

deantur in Præfatione ad Syn. Tolet. XI. eo quod per quindecim, aut decem et octo annorum spatium inter se nequiverint convenire, ut in hæc verba erumpere cogerentur: *Res votiva gaudii, et dies nimium optatæ gratulationis occurrit; in quo nobis datum est conspicerè pariter et desistere, quid lachrymarum de præteritis Domino deberemus. Erasmus enim hucusque pro labentis sæculi colluvione instabiles, quia annosa series temporum substracta luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quam matrem omnium errorum ignorantiam otiosis mentibus ingerebat.* Et merito, errorum quippe, abusio-num, et collapsæ Ecclesiæ disciplinæ nulla alia reddi potest causa, quam Conciliorum prætermis-sio: nam *nulla res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quam Sacerdotum negligentia, qui contentis Canonibus, ad corrigendos Ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt.* Ita Patres Syn. Tolet. IV. *Can. III.* alias *IV.* Unde Hispaniarum Ecclesia, etsi cogere in unoquoque anno Concilia non potuerit, frequentissimos tamen habuit sæculo VII. Synodorum conventus. Inopinato vero Saraceno-rum incursu Hispania exagitata, siluisse omnino dixeris Concilia sæculis VIII. IX. et X. donec dira à religiosissimis Regibus excusa tyrannide, restituta est antiqua Conciliorum collectio. (\*)

XXXIII. Tandem Synodus Tridentina, cui summopere cordi erat veterem collapsam disciplinam, qua fieri posset, instaurare, cum ex una parte videret abusio-num, ac vitio-rum inundationem Synodorum Provincialium neglectui magna ex parte adscribendam; tum ex altera antiquum hac de re Ecclesiæ morem de integro inducere quam difficilimum esse, *Sess. XXIV. Ref. cap. 2.* decrevit, ut Metropolitanus *quolibet saltem triennio* Synodum in Provincia sua cogere non prætermitteret. (\*\*). Jure merito laudandus est Philippus V. qui suo Diplomate 27. Maii an. 1721. præfatam Tridentinam Constitutionem Hispanis Episcopis servandam injunxit, ita ut Toletanus Archiepiscopus Primam Provinciale-m Synodum convocaret: *Legesis Adnotationem XII. ad Tit. IV. Lib. II. vulgo Autos Acordados.* (\*)

XXXIV. Causæ, de quibus in Synodis Provinciæ antiqui-tus agebatur, erant I. Si qua nova hæresis, si qui novus

error erupisset, ut statim ubi natus, ibidem Episcopali iudicio confossus emoreretur: (\*\*\*) ut in Syn. Cæsaraugustana I. et Bracarenis I. (\*) 2. Num excommunicationes ab Episcopis recte, ac juste inflictæ fuerint: Syn. Nicæna *Canone v.* (\*\*\*) et Collect. Martini Bracar. *Cap. XXXV.* (\*) 3. Ut qui se læsos ab Episcopis existimarent, Synodi experirentur iudicium: Syn. Antioch. *Can. xx.* (\*\*\*) et Tolet. IV. *Can. xxviii.* alias *xxvii.* 4. Ut Episcoporum causæ discuterentur, et terminarentur; ut in Syn. Tolet. X. *Decret. pro Potam.* et Tolet. XVI. *Can. ix. et x.* (\*) 5. Ut res, quæ dubitationem haberent, absolverentur: Eadem Syn. Antiochena *ibidem.* 6. Ut Concilii Generalis Statuta reciperentur, promulgarentur, et ad mores Provinciæ adcommo-derentur: (\*\*\*) ut in Syn. Tolet. XIV. (\*) 7. Interdum etiam ut materiam in Concilio Generali definiendam aut discuterent, aut præpararent. 8. Denique, ut vitia corrigerentur, moresque ad optimam sacrisque Canonibus conformem disciplinam componerentur: *Cap. 25. de Accusationib.* (\*\*\*) De forma qua Concilia olim Provincialia haberi consueverunt, si forte inquiras, videsis Syn. *Tolet. IV. Canonem iv.* (\*)

XXXV. De Synodorum Provincialium auctoritate fusius Theologi: illud hic *νεφεγγος* obiter iuvat animadvertere, hæc Synodos per octo priora Ecclesiæ sæcula ordinarium veluti fuisse tribunal ad dijudicandas causas non modo Presbyterorum, Monachorum, Clericorum, et Laicorum, si quid contra Clericos haberent; verum etiam Episcoporum, ac ipsius Metropolitanæ; et quidem iudicio definitivo. 1. Quod putarent eo loci causam terminandam, ubi et reus haberetur, et accusator, et testis. 2. Quod accusatoris, testium, ac rei ipsius anteacta vita nota iudicibus indicium, vel exceptio objecti criminis esse posset. 3. Quod juxta leges, consuetudines, et canones in ea regione receptos, contra quos reus deliquerat, iudicium ferendum esset: Videsis *Epistolam Episcoporum Africæ ad Zachariam Papam.*

XXXVI. Jus convocandi Concilium Provinciale Metropolitana impedito, vel Ecclesia Metropolitana vacante, ad Episcopum Suffraganeum seniore devolvitur: Fagnanus *ad cap. 25. de Accusationibus n. 17.* Tum si quis Suffraganeorum iusto detineatur impedimento, procuratorem mittat cum



litteris excusatoriis, alias communione privetur: Conc. Carthag. V. *Can. x.* apud Gratianum *Can. x. Dist. 18.* (\*\*\*) et Syn. Emerit. *Can. v.* (\*) Episcopis vero exemptis eligendus est aliquis vicinus Metropolita, ad cujus Provinciae Concilium accedant: Trid. *Sess. xxiv. Reform. cap. 2.* Deum Archiepiscopi Suffraganeis carentes (uti in Regno Neap. Lancianensis, et Rossanensis) quod possint cum Abbatibus Nullius suae Diocesi Synodum Provinciale celebrare, censuit aliquando Sacra Congregatio. At contrarium decisum fuit in Synodo Romana an. 1725. ex sententia Francisci Pitoni, quum sint Archiepiscopi mere honorarii: Benedictus XIV. *de Syn. Dioces. Lib. II. cap. 4.*

XXXVII. Inter Synodos Provinciales post Tridentinum habitas, eminent quinque Mediolanensès à S. Carolo Borromeo celebratae; neque postremum merentur locum binæ Neapolitanæ, altera à Mario Carafa an. 1579. altera à Card. Cantelmo an. 1699. coactæ; (\*\*\*) et duæ Tolletanæ, alia item Valentina, alia Compostellana, alia Cæsaraugustana; Tarraconenses quoque complures, binæ Lirmanæ, tres Mexicanæ, aliæque. (\*) Verum Concilia Provincialia Mediolanensia à Summis Pontificibus per litteras in forma Brevis adprobari consueverunt; quum alia tantummodo recognoscantur, et emendentur à Sacra Congregatione Concilii ad præscriptum Sixti V. Fagnanus *ad Caput i. de Summa Trinitate cap. 48.*

XXXVIII. In Italia cogi vetitum Concilia Provincialia inconsulta Sede Apostolica, vel Sacra Congregatione Concilii, tum eorundem confirmationem à Sede Apostolica petendam esse docet, Card. de Luca *Disc. III. ad Concilium Tridentinum.* Qua de re Card. Cantelmus Archiep. Neap. Epistola nuncupatoria ad Innocentium XII. profertur, Synodum Provinciale ipsomet Papa auctore celebrasse; tum Constitutiones Synodales ad Sacram Congregationem Concilii transmisit, qua rescriptum est nihil correctione dignum iis contineri.

XXXIX. At ex altera parte Regiæ quoque Potestatis beneplacitum requiritur, ut totius alicujus Provinciae Episcopi simul congregentur. Unde inter querelas à Legatis Pontificiis Regi Catholico Philippo II. expositas ea fuit, quod

Neapoli Regii Magistratus non sinerent Synodos Provinciales cogi, vellentque Synodalia Decreta ipsi ante revidere, et non nisi prævio regio adsensu evulgari permetterent. At Regni morem Sedi Apostolicæ candide aperuit, suasitque Card. Granvela Pro-rex. Videsis Consultationem Argentian. et Crivellian. in Concilium Rom. Benedicti XIII. *ad Cap. 2. de Constitutionibus.*

XL. Unde quum Benedictus XIII. Concilium Provinciale Romanum an. 1725. celebrasset, aliquot hujus Concilii Capita in Regni Neapolitani locis Rom. Provinciæ subjectis ex Regiæ Potestatis Decreto temperanda prius, quam executioni mandarentur, edictum est. Confer modo indicatam manuscriptorum relationem Argentianam, et Crivellianam. Porro notata Capita abs re non erit hic summatim recensere ad integritatem historiæ Canonum; quum præsertim plura, quæ initio displicuere, moribus subinde, re per se liquida, recepta videantur: quædam etiam novissimo Concordato rata permaneant. Adhæc Regni Neap. mores, leges, jura, inveteratasque consuetudines inde facile haurire quisque poterit.

*Tit. I. Cap. 1.* quo docentes publice vel privatim qualibet disciplinas, etiam Grammaticam; tum et exercentes Medicinam, vel Chirurgiam ad fidei professionem emittendam adiguntur.

*Tit. III. Cap. un.* quo litigantes vetantur Superiorum Tribunalium Rescripta quælibet recta in Episcoporum manus deferre; jubentur vero eadem immediate Curix, Promotori Fiscali, vel Cancellario exhibere.

*Tit. VIII. Cap. 5.* quo sancitur Quarta funeraria etiam à Regularibus Parochis solvenda.

*Tit. IX. Cap. 3.* quo Episcopis indulgetur, ut etiam in exemptos Clericos jurisdictionem exerçant.

*Tit. XI. Cap. 2.* quo servile opus tempore messis, vindemiarum, aliave simili occasione, permittitur quidem, at non sine Episcopi venia suadentis, ut aliquam lucri, quod inde capiunt, portionem in Ecclesias propinquas, ac pauperes conferre meminerint.

*Tit. XII. Cap. 1. et 2.* quibus Censuræ Ecclesiasticæ in Clericos, Laicosque Ecclesiarum, locorumque piorum Rectores, vel Administros etiam exemptos infliguntur, qui intra

annum bonorum Ecclesiasticorum ad suas Ecclesias, locave pia pertinentium Inventarium in Apostolico, Episcopali, propriaeque Ecclesiae Archivis custodiendum conficere neglexerint.

*Tit. XIII. Cap. 2.* quo cavetur, ne Tribunal aequae Ecclesiasticum, ac Laicale juramentum exigant à reis criminaliter inquisitis, dum judicialiter examinantur.

*Tit. XV. Cap. 8.* quo Missas, ut ajunt, reducendi Monachis Cassinensibus, cum et Episcopis, qui eidem Concilio interfuerunt, facultas impertitur.

*Tit. XVI. Cap. 2.* ubi ratio praescribitur, qua Episcopi in aula Principum, et cum Regiis Ministris, Baronibus, aliisque hujus generis debeant conversari.

*Tit. XIX. Cap. un.* quo sancitur, ut bonorum Ecclesiasticorum locationes, vel emphyteuses non modo ad normam Extrav. *Ambitiosae* fiant, verum et clausula adjiciatur, scilicet *sine spe renovationis, et tempore expletæ concessionis bona ipsa cum suis membris, juribus, pertinentiis, ac etiam melioramentis ad Ecclesias, locave pia redeant.*

*Tit. XX. Cap. 1. et 2.* quibus primo Testamenta à Parochis coram tribus, vel duobus testibus aegrotando mandante confecta; 2. Legata pia ab aegrotantibus Parochorum auribus sub eodem testium numero indicata; ac 3. Testamenta animarum ab Episcopis pro mortuis ab intestato conscripta rata prorsus habenda decernuntur.

*Tit. XXII. Cap. 1. 2. et 3.* quibus Eremitae, eorumque Eleemosynae Episcopali curae, ac scrutinio quotannis peragendo subjiciuntur.

*Tit. XXIII. Cap. 1. et 2.* quibus laicorum Confraternitates Episcopali visitationi subduntur; earumque Administrum ad rationes Episcopis quotannis reddendas adiguntur.

*Tit. XXIV. Cap. un.* quo Decretum Tridentinum *Sess. XXV. Ref. cap. 9.* de novo Patronatum examine redintegratur.

*Tit. XXVII. Cap. un.* quo fructuum primi anni quotumlibet beneficiorum, non tamen adfectorum, vel Sedi Apostolicae reservatorum, medietas Cathedralium, Collegiarumque Ecclesiarum fabricae, reparationi, vel ornatui impendenda sancitur.

*Tit. XXVIII. Cap. 1.* quo ab Asyli Ecclesiastici jure crimina quædam eximuntur: verum in dubio, num crimen aliquod sit exemptum, ejusmodi cognitio Episcopis reservatur.

*Tit. ibid. Cap. 2.* quo Magistratus laici vetantur Clericos ad suum Tribunal trahere; eosdemque in sua jurisdictione turbare.

*Tit. ib. Cap. 3.* quo excommunicationis pœna decernitur in laicos quovismodo Clericorum ordinationi obstantes: tum eadem pœna statuitur in laicos, qui Ordinationis facultatem item à laicis petere audeant.

*Tit. ibid. Cap. 4.* quo sub pœna Interdicti R. Pontifici reservata indicitur laicis, ne divinorum officiorum tempore in Presbyterium, Altariumque cancellos ingrediantur.

*Tit. XXX. Cap. 1.* quo sanctio Tridentina de Seminariis erigendis novis adjectis conditionibus renovatur.

*Tit. XXXII. Cap. 1.* quo adversus medicos tertio videntes infirmos, qui à se admoniti confiteri negligunt, Excommunicatio, aliæque pœnæ infliguntur.

*Tit. ibid. Cap. 4.* quo ut instituantur Præbenda Theologalis, et Canonicus Pœnitentiarius, ubi munia hæc adhuc locum non habeant, novis Constitutionibus consulitur.

(\*\*) XLI. Id ipsum intelligas de Conciliis Provincialibus in Hispania post Tridentinum celebratis, quorum pars à Summis Pontificibus in forma Brevis, pars à Sacra Congregatione nonnullis quandoque adjectis emendationibus approbata sunt. Verum quum Summus Pontifex Pius V. à Valentinae Synodi exemplaribus expungendam decrevit particulam *Sancta*, quasi foret hoc peculiare Generalium Conciliorum epithetum, non adquevit Valentina Provincia, quin et libellum obtulit, in quo immensa eruditionis copia ejusmodi titulum Synodis etiam Provincialibus competere demonstravit, Vir Cl. Dionysius Lopis. (\*)

(\*\*) XLII. In Hispania præsertim Regiæ Potestatis beneplacitum requiritur, ut totius alicujus Provinciæ Episcopî simul congregentur. Immo nullum fere à Toletano III. coactum est Concilium Principe inconsulto, ipsique nonnunquam Reges constituendorum Canonum tabulam offerebant Conciliorum Patribus, et suam constitutis Canonibus

bus auctoritatem adicere non dedignabantur. Quocirca, ut Philippi II. nomine interesset, missus est Franciscus à Toletano ad Syn. Toletanam an. 1565. Comes de Monteagudo ad Compostellanam ejusdem anni: Marchio de Velada ad Toletanam an. 1582. Non parum graviter, ac moleste tulit Sacra Congregatio, cui missa sunt hujus Concilii Acta examinanda, quod Regius subscripsisset Procurator, immo ea se adprobatura negavit, nisi ejusdem Procuratoris nomen deleteretur: jus tamen hoc Hispaniarum Regum sane vetustissimum pleno in lumine collocavit Gaspar Card. de Quiroga Archiepiscopus Toletanus. Videsis *Collect. Maxim. Card. de Aguirre Tom. VI. (\*)*

XLIII. Synodis Provincialibus Presbyteros quoque antiquitus interfuisse, et cum Episcopis consedisse veterum Conciliorum Acta demonstrant; præsertim Illiberitani, Arelatensis I (\*\*\*) et II. Tolet. I. et IV. (\*) quinimmo ex quorundam R. Conciliorum Actis apud Justellum in Bibliotheca Juris Canonici *Tom. I. pag. 250.* illud colligi videtur, Presbyteros suffragium quoque sub Episcopis tulisse; et quandoque iisdem pæne formulis, ac Episcopos subscripsisse.

XLIV. Ad Concilium Provinciale ex Trident. *Sess. XXIV. Reform. cap. 2.* non modo omnes Provinciæ Episcopos, verum et alios, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, convenire omnino oportet. Conciliis Provincialibus Neapolitanis non modo Episcopi interfuere Nolanus, Aceranus, Isclanus, Puteolanus, et Aversanus exemtus, Canonici Ecclesiæ Cathedralis Neapolitanæ, ac Procuratores Capitulorum Cathedralium Provinciæ; verum et *universus Clerus tam Civitatis, quam Diœcesis ibidem ad Synodum Provinciale celebrandam per edictum respective vocatus, ac legitime congregatus est*: II. Syn. Prov. an. 1699. (\*\*\*) Synodis etiam Provincialibus Hispanis non modo Suffraganei Episcopi interfuere, sed Abbates etiam exemti, et nonnunquam etiam Canonici Capitulorum Procuratores. (\*)

*De Synodo Diœcesana.*

XLV. Episcopi antiquitus veluti Synodum Diœcesanam habebant, ubi cum suis Presbyteris de gravioribus diœceseos

seos negotiis tractabant. Presbyteri enim Episcopi Senatum constituebant. Hinc Conc. Carthag. IV. *Can. xxiii.* decrevit: *Ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentia Clericorum suorum: alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur.* (\*\*). In Hispania frequentissimos habuisse Episcopos una cum Presbyteris Conventus, colligimus ex Syn. Illiberit. *Can. lxxiv.* Tolet. I. *Can. xix.* et Hispalens. II. *Can. vi.* (\*) Ejusmodi Conventus antiquitus *Presbyteria*, et *Concilia Civilia* dicti, sæpius per annum ab Episcopis cogebantur, quum non deessent identidem graviora quædam Diœceseos expedienda negotia. At labentibus sæculis primum bis quotannis, dein semel duntaxat cogi cœperunt: id quod probavit Synodus Lateran. IV. sub Innocentio III. in *cap. 25. de Accusat.* et restituendum jussit Tridentinum *Sess. xxiv. Reform. cap. 2.* (\*\*). idque sub pœnis à jure statutis, quæ recensentur *Dist. 18. per totam.* Quam deinde Constitutionem suo roboravit decreto Syn. Tolet. ann. 1565. *Act. II. Reform. cap. 6.* Ex Privilegio tamen Pii V. *Constit. 7. Decembris an. 1610.* Indiarum Episcopi possunt Synodi celebrationem ad duodecimum differre. (\*)

XLVI. Synodum Diœcesanam jure indicit Episcopus electus, et confirmatus, haud vero Archiepiscopus, antequam Pallium recipiat: Benedictus XIV. *de Synod. Diœces. Lib. II. cap. 5. et 6.* neque Episcopus Titularis: *ibid. cap. 7.* neque Vicarius Generalis, nisi speciali ab Episcopo commissione muniatur: *ibid. cap. 8.* neque Vicarius Capitularis, nisi post annum ab proxime habita Synodo: *ibid. cap. 9.* neque Vicarius Apostolicus, nisi de licentia S. Sedis: *ibid. cap. 10.* Porrò Prælati inferiores tertie speciei, nimirum, qui jurisdictionem quasi Episcopalem in locum aliquem exercent, aut plura loca à cujuslibet Episcopi Diœcesi omnino separata, recte possunt Synodum Diœcesanam celebrare, ubi alias illam legitime celebrasse constet. Hoc privilegio fruitur in nostro Regno Abbas Cassinensis: *ibid. cap. 11.* Qui vero hujusmodi jure carent, eligant Episcopum, ad cujus Synodum accedant.

XLVII. Synodo Diœcesanæ interesse oportet 1. Archipresbyteros, Vicarios foraneos, Parochos, aliosque curam  
ani-

animarum habentes ; atque etiam Prælatos inferiores , licet nullius , qui territorium ab Episcopali omnino avulsum non habent. 2. Regulares , qui curam animarum in suis Ecclesiis exercent. 3. Superiores Regularium , quorum Monasteria Episcopis , tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis , subjiuntur. 4. Canonicos Cathedralis , et Collegiatarum ; uti quoque omnes alios Ecclesiæ Cathedralis Beneficiarios. 5. Reliquos etiam Dioceseos Beneficiarios , aliosque Presbyteros , et Clericos , ubi in Synodo de morum reformatione agendum sit , vel de capitibus Clerum universum spectantibus , vel de Decretis Synodi Provincialis evulgandis. 6. Tandem Fratres Capellanos Sacræ Religionis Hierosolymitanæ curam animarum habentes : id quod potiori jure de Sacerdotibus illis sæcularibus intelligendum , qui Ecclesiis Parochialibus eidem Religioni adnexis aliquando præficiuntur.

*De Synodis Regiis , et Mixtis.*

XLVIII. Hactenus explicatis quatuor Conciliorum generibus , duo alia adjici posse monet Benedictus XIV. *De Syn. Diœces. Lib. I. cap. 1.* Regia nimirum , et Mixta scilicet ex *Provincialibus , et Diœcesanis.*

XLIX. Concilia Regia , dicta interdum *Comitia* , ea sunt , quæ ex Episcopis æque constant , ac ex Optimatibus , et Comitibus Regni , ut omnium suffragiis leges condantur ad utramque politiam , ecclesiasticam scilicet , et civilem , constituendam. Hujus generis Concilia frequentia fuisse Constantinopoli observat Thomas. de *V. N. Eccl. Disc. Part. II. Lib. III. cap. 46.* frequentissima vero in Galliis satis constat. Namque pientissimi Galliarum Reges , ac præcipue Carolus M. et Ludovicus Pius , recte observante Baluzio in notis ad Capitularia Regum Francorum *Tom. II. col. 1028.* nihil grave decernebant sine Episcoporum , et Magnatum consilio ; quod ipsimet fatebantur in suis Edictis , quorum vetustissima formula edita Bignonio in *Notis ad Marculphum Lib. I. cap. 25.* hæc erat : *Nos una cum Apostolicis viris Patribus nostris Episcopis , Optimatibus , ceterisque Palatii nostri Ministris &c.* Regiis hisce Conciliis vel Princeps præerat , vel vice regia Comes Palatii : Bignonius *ibid.* Ejusmodi  
*Tom. I.* Q di

di quoque fuisse videtur Conventus Prælatorum, Comitum, et Baronum hujus Regni Neap. habitus in planitie S. Martini Brutiorum an. 1283. in quo Carolus II. Andegavensis Caroli I. sui Parentis vicem gerens Capitula 46. evulgavit, de quibus jam satis in Diatriba Isagogica *Part. IV. n. XXIV.*

(\*\*) L. Hujus generis quoque fuisse videntur in Hispania Conventus Legionensis sub Alphonso V. Legionis an. 1012. Cojacensis sub Ferdinando I. Castellæ an. 1050. Palentinus sub Imperatore Alphonso VII. an. 1129. in quibus Ecclesiasticæ simul et Civiles constitutæ sunt leges. Inde colligas, Concilia Toletana, quæ sæculo VII. ad reparandam Ecclesiæ disciplinam habita sunt, perperam ab aliquibus inter mixta recenseri, ex eo quod Reges, Proceresque interfuerint. Ita sane sentiant. At ad Concilia quoque mixta adjiciant necesse est Generalia, quibus Reges, vel Regii Oratores ac Procuratores adstiterunt. (\*)

LII. Illud hic omnino animadvertendum, in Regiis hisce Conciliis, licet ubi de civili politia ageretur, æque Episcopi, ac Comites conspiraverint; attamen in Ecclesiasticis discutiendis, finiendisque negotiis præcipuas Episcoporum fuisse partes: id quod tum ex pluribus, tum vel maxime ex eorundem Actis evincitur, in quibus plerumque Decretorum fidem, moresque spectantium auctoritas nonnisi Episcopis tribuitur; tum Regem, et Optimates iisdem tantummodo consensisse adjicitur. Qua de re Canon x. Synodi Suesionensis an. 744. à Pipino convocatæ sic concipitur: *Si quis hoc Decretum, quod viginti tres Episcopi cum aliis Sacerdotibus, vel Servis Dei una cum consensu Principis Pipini, vel Optimatum Francorum consilio constituerunt, transgredi voluerit &c.* Porro hic Principis, et Optimatum consensus mirum sane quantum conferret; quum Civilis Potestatis auxilio, et Episcoporum Sanctiones facilius executioni mandarentur, et collapsæ disciplinæ felicius, ac facilius mederi posset.

LIII. Concilia Mixta quod spectat, profecto in antiquis Ecclesiasticis monumentis Concilia quædam occurrunt à Rom. Pontificibus habita, quibus præter Clerum Urbis Romæ, Episcopi aliquot interfuere, alique viri Ecclesiastici, qui in Urbe fortuito versabantur. Ejusmodi fuisse videtur



Concilium Romanum an. 251. de quo Cornelius *Epist. ad Cyprianum* 46. hæc scribit : *Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi, qui et hodie præsentés fuerunt &c.* Concilium quoque ab Agathone Papa in Basilica Constantiniana congregatum est ex sexdecim Episcopis, et universo Clero Romano componendis rebus Ecclesiæ Britannicæ. Tum Synodus occurrit à Gregorio M. habita, cui subscripsisse legimus Episcopos duos et viginti, et Presbyteros tres supra triginta. Jam vero hi Episcoporum, Presbyterorumque cœtus Provinciæ Romanæ Concilia recte dici posse videntur. Presbyteros enim una cum Episcopis Synodis Provincialibus aliquando interfuisse, atque adeo Synodicis Definitionibus subscripsisse, jam supra observavimus. Porro Concilia Mixta omnino dicenda videntur, quæ tum alibi, tum vel maxime in pluribus Regni Neapolitani Civitatibus, aliquando R. Pontifices celebrarunt; quum nulla Episcoporum totius vel Provinciæ, vel Dioceseos Romanæ indictio, sive convocatio præcessisset: at duntaxat Clero Romano, sive Cardinalibus, nonnullisque diversarum Provinciarum Præsulibus, qui præsto erant, ex tempore congregatis. Ejusmodi sunt

Amalphitanum an. 1059. sub *Nicolao II.* Bariense an. 1094. sub *Urbano II.* decem Beneventana, scilicet I. an. 1059. sub *Nicolao II.* tum alterum an. 1061. sub *eodem III.* an. 1062. sub *Alexandro II.* IV. an. 1075. sub *Gregorio VII. N.* an. 1087. sub *Victore III.* VI. an. 1091. sub *Urbano II.* VII. an. 1108. sub *Paschale II.* VIII. an. 1112. sub *eodem*, IX. an. 1117. sub *eodem*, ac postremo X. an. 1119. sub *Callisto II.* tria Capuana I. an. 389. sub *Siricio II.* an. 1087. sub *Victore III.* III. an. 1118. sub *Gelasio II.* Cyperanum an. 1114. sub *Paschale II.* Melphitanum an. 1089. sub *Urbano II.* Sipontinum an. 1050. sub *Leone IX.* tria Trojana I. an. 1089. sub *Urbano II.* II. an. 1093. sub *eodem*, ac tandem III. an. 1115. sub *Paschale II.* Et si quæ sunt alia. Videsis Cabassutium *Dissert. de Urban. et Popular. Synodis*, et Cl. Gagliardum Institut. Jur. Can. *Lib. I. Tit. VI. cap. I.*

LIII. Illud hic tantummodo cum Thomassino *Part. II. Lib. III. cap. 43.* libet animadvertere, Cpoli, quum satis

magno numero Præsules ibi continenter versarentur, quaedam veluti perpetuam fuisse Synodum, cui Regiæ Urbis Antistes præsidebat, ac difficiliores quasque Ecclesiæ Orientalis causas cognoscebat, ac definiebat. In ejusmodi Synodo Nectarius Cpolitani Episcopus de causa judicavit Agabii, et Gabadii, qui de Bostrensi in Arabia Episcopatu contendebant. Jus Orient. *Part. I. pag. 247.* Chrysostomus Gerontium Nicomediensem in Bythinia Episcopum deposuit. Sozomenus *Lib. VIII. cap. 8.* aliaque graviora negotia identidem discussa, ac definita occurrunt.

(\*\*) LIV. In Hispania frequentissima erant Concilia Mixta: quum enim ex Concilio Toletano VII. Canone vi. *convicini Toletanæ Sedis Episcopi* in Regiam Urbem *singulis per annum mensibus* convenire tenerentur, Reges pro sua erga Ecclesiam pietate Episcoporum sibi in gravissimis Reipublicæ definiendis negotiis consilium exquirere consueverunt; unde id factum est, quod Hispani Episcopi *Regii*, iique nati *Consiliarii* adpellentur. (\*)

## TITULUS V.

### *De Promulgatione Constitutionum Ecclesiasticarum.*

I. **E**cclésiasticæ Constitutiones, ut vim legis acquirant, promulgentur necessum est. *Leges enim sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi præscripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur: Leg. IX. Cod. de Legib.* Hinc S. Thomas *Prima Secundæ Q. XC. art. 4. in Corp.* sic ratiocinatur: *Lex imponitur aliis per modum Regulæ, et Mensuræ. Regula autem, et Mensura imponitur per hoc quod applicatur his, quæ regulantur, et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex ha-*

*habeat suam virtutem.* Unde Innocentius I. ignoscendum duxit Clericis, qui in Diaconio, vel Presbyterio incontinentes fuerant, ubi novam Siricii Papæ Constitutionem in eorum Provincias non commease constiterit: *Can. II. Dist. 82.* Patet igitur promulgationem omnino requiri, ut novæ Constitutiones roboris firmitatem consequantur.

II. Promulgandi formam quod spectat Justinianus Imp. *Novell. LXVI. cap. 1.* constituit, ut novæ Sanctiones non modo in Urbe principe, verum et in Provinciis indicerentur. Hinc *Novell. VI. in Epilog. prope med.* leges pro disciplina Ecclesiastica per semetipsum latas à singulis Metropolitibus, et Episcopis in propria cujusque Ecclesia promulgandas jussit. (\*\*)*Id quod probasse videtur Siricius P. in Epist. ad Hicm. Tarracon. et Leo M. in Epist. ad Turribium Asturic. cujus ad omnes Hispaniarum Episcopos Decretales Epistolas deferendas voluere. (\*)*

III. Et quidem istiusmodi consuetudo semper in Ecclesia servata est, tum quod ad Conciliorum Decreta, tum quod ad R. Pontificum Constitutiones. Quare controversia de Pœnitentia, et Reconciliatione lapsorum in Syn. Rom. an. 253. definita, litteræ datæ sunt ad Episcopos universos, ut totius orbis Catholici Præsules observarent, quod à Cathedra Petri etiam vacante præceptum fuerat: S. Cypr. *Epist. 52. ad Antonianum.* Tum Synodus Nicæna litteras Encyclicas dedit ad Episcopos, qui Synodo non interfuerant, Decreta, et gesta Synodalia significantes: Socrates *Lib. I. Cap. 9.* Eundem morem in reliquis etiam Conciliis præsertim Œcumenicis servatum produnt Acta Conciliorum in *Collect. Labbæana.* (\*\*)*Quocirca, ut Sextæ Synodi Generalis Acta Hispaniarum Episcopis innotescerent, et vigoris manerent auctoritate suffulta, Litteræ missæ sunt Leonis II. Videsis Syn. Tolet. XIV. Can. II. (\*) Demum Concilii Tolet. XVI. Canone VII. decernitur: (\*\*)*Unusquisque Episcoporum....infra sex mensium spatium omnes Abbates, Presbyteros, Diaconos, atque Clericos, seu etiam omnem conventum civitatis ipsius, et cunctam Diæcesis suæ plebem aggregare nequaquam moretur, quatenus....de his, quæ eodem anno in Concilio definita extiterint, plenissime notiores efficiantur. (\*) Idem confirmasse videtur Concilium Lateranense IV. ubi præcepit,**

ut

ut per locorum Præsules evulgaretur lex, quæ continetur in *Cap. 13. de Pœnitentiis, et Remissionibus.*

IV. Hinc Card. Cajetanus, Suaresius, Panormitanus, alii- que apud Petrum de Marca *Lib. II. de Conc. Cap. XV. n. 2.* docent, Constitutiones Ecclesiasticas in singulis Provinciis, locisque ita indicendas, ut earum notitia moraliter valeat ad universos populos, quibus feruntur, pervenire.

V. Jam vero licet in Ecclesia hæc semper viguerit consuetudo; mos tamen paullatim Romæ inolevit novas evulgandi Constitutiones Pontificias tantummodo per adfexionem transuntorum ad valvas Basilicarum Urbis, et Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque generalis in monte Citorio, et in acie Campi Flori, ea adjecta clausula, qua scilicet declaratur *omnes ubique fideles sola publicatione Romana ad Pontificias exsequendas Constitutiones perinde obstringi, ac si personaliter singulis significatæ fuissent.* At clausulam istam in voluminibus Juris Canonici omnino ignotam observant plures Jcti, qui Justinianæam promulgationis formam ad legis valorem requirunt. Defendunt vero alii, maxime Canonistæ ex eo, quod ea clausula promulgationem in Provinciis non excludat, adposita tamen de stylo ad adfectatos ignorantia prætextus removendos.

VI. Denique facta legitima, ac sufficienti promulgatione lex generalis sive Pontificia, sive Regia obligare incipit post bimestre, nisi aliter Legislator expresse edixerit: *Novella LXVI. cap. 1. §. 2.* Idque jure etiam Neapolitano obtinere plures Tribunalis Mixti sententiæ, ac Regis Caroli Borbonii sanctiones demonstrant. At statuta Synodalia intra angustum unius Diœceseos ambitum servanda obligant *statim* à promulgatione: Benedictus XIV. *de Syn. Diœces. Lib. VIII. cap. 4.* verum *statim* morale est, non phisicum, prudentis arbitrio æstimandum pro locorum hominumque circumstantiis.

VII. Promulgata lege expectanda non est arbitraria populi acceptatio: utraque enim sive Ecclesiastica, sive Civilis potestas à Deo est; nec pendet à populi arbitrio sæpe in partes scisso, ne Resp. labatur in anarchiam. Quod autem Gratianus ait ad calcem Can. III. Dist. 4. *Moribus utentium leges confirmari*; id de quadam *facti* duntaxat confir-  
ma-

matione accipiendum est, haud vero *juris* : scilicet exclusa contraria consuetudine, qua legi derogari posset. Huc facit Thesis ab Alexandro VI. Decreto an. 1665. n. 28. proscripta: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

*De Placito Regio in exsecutione legum Ecclesiasticarum.*

VIII. Placitum Regium, sive Regium *Exsequatur* est *Decretum Regis, ejusque sanctioris Consilii, quo vel sinit, vel jubet Sedis Apostolicæ, vel Rom. Curix Decreta, Decretales, Rescripta in suis ditionibus publicari, ac exsequi.*

IX. Et sane eo tendit Regium Placitum, ut ratione ad populi mores adcommodata ea removeantur obstacula, quibus Litterarum Apostolicarum exsecutio vel impediri, vel retardari posset. Hinc Ecclesia ab incunabulis fere legum suarum exsecutionem Imperatoribus commendavit. Exstat Constantini M. Constitutio, qua non modo petentibus, ac plaudentibus Episcopis, Synodi Nicænæ Decreta sua auctoritate firmavit; verum et anathema adversus Arium prolatum infamiæ poena auxit, *Porphyrianosque* vocari, id est Christiani nominis osores, et hostes, Arianos jussit, eorumque libros publice concremari: Socrates *Lib. I. cap. 6.* Tum Patres Concilii Cpolitani I. Epist. ad Theodosium: *Rogamus, inquit, tuam clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii Decretum.* Patres Concilii Ephesini *Act. V.* Theodosium ad confirmanda Concilii Decreta sic invitant: *Jubeatis, ut ea, quæ constituta sunt ab Œcumenica, et Sancta Synodo ad pietatis confirmationem contra Nestorium, et ejus impium dogma suum robur obtineant ad sensu vestræ pietatis stabilita.* Patres Chalcedonenses datis Epistolis ad Marcianum, et Pulcheriam Synodalia Acta referunt, ac Decretorum petunt confirmationem: id quod Marcianus tribus evulgatis edictis præstitit poenis in Clericos, et in laicos adjectis, qui illis adversari auderent. Concilium Cpolitianum II. Justinianus *Novella XLII. in Præfat.* pluribus confirmat; tum concludit Mennæ Patriarchæ præcipiens, ut ad Metropolis suæ Dioceseos mittat, quæ *Sacerdotio visa sunt, et ab Imperio confirmata.* τὰτε τῷ ἀρχιεπισκόπῳ διέξαντα, τὰτε ὑπὸ τῆς βασιλείας κενυρημένα. Constantinus Pogo-

natus *Epist. ad Leonem II.* Synodi VI. Decreta more veterum Principum suo edicto se confirmasse scribit; id quod adeo gratum fuit Leoni, ut in hæc verba Constantino gratulabundus rescripserit: *Synodali igitur sententia, et Imperiali Edicti censura, tanquam ancipiti spiritus gladio, cum priscis hæresibus etiam novæ pravitatis error expunctus est.* At quid plura in re Ecclesiasticis monumentis adeo testata? (\*\*\*) Ita sane. At cur silentio prætereundæ sunt Leges illæ, quibus Gotthorum Reges Reccaredus, Erviggius, Egica, Toletana Concilia confirmarunt? (\*) Eo igitur primo tendit Placitum Regium, ut Litteræ Apostolicæ felicius, ac facilius exsequi possint.

X. Huc accedit et alia ratio, ne scilicet falsæ Apostolicæ litteræ executioni mandentur non sine Sedis Apostolicæ infamia, ac Populi offendiculo. Cautum id in pluribus Regnorum Constitutionibus ad augmentum Ecclesiasticæ Majestatis, et securitatem populi Christiani.

XI. Nec abludit et ea ratio, quod aliquando per obreptionem, vel subreptionem quædam sive Decreta, sive Rescripta sollicitentur, quæ deinde executioni mandari non possunt sine evidenti partium detrimento, ac notoria justitiæ offensione.

XII. Adhæc ipsi Pontifices, ut rescribatur permittunt, si quandoque in publica jura, et privilegia illa impingant; ut monuit Pius II. *Epist. ad Carolum VII. Galliæ Regem: Quod si in aliquo præjudicatum tuis juribus putas, parati sumus tuæ celsitudini justitiam cum omni benignitate administrare.* Eadem habet Alexander III. cap. 5. de Rescriptis: *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes.* Et infra: *Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Et Cap. 6. de Præbendis idem R. Pontifex sic scribit: *Si mandatum nostrum pro alicujus provisione receperis....æquanimiter sustinemus, si pro ea mandatum nostrum non duxeris exsequendum.*

XIII. ; Quid quod Romani Pontifices aliquando intercesserunt, ut perniciosæ Civilis Potestatis leges rescinderentur? Hinc Zenonis Imp. *Henoticon* Felix Papa, Heraclii *Ectesim* Severinus, et Joannes IV. Constantis *Typum* Martinus I. damnarunt; et Gregorius M. Mauritii legem de arcendis ab monachismo militibus tum improbavit, tum apud Imperatorem datis litteris egit pro obtinenda legis moderatione: scilicet, ut cum delectu milites ad vitæ monasticæ professionem admittantur. Eadem ferme ratione; ne scilicet inveteratæ locorum consuetudines, privilegia, instituta convellantur, neve in publica commoda offendatur, Rom. Curia Decretis aliquando Principes intercedunt; non quidem, ut ipsi de causa cognoscant, aut jura expendant, sed ut iterum sub rectissimis Sedis Rom. oculis res subjiciatur, ac novo adhibito examine, novisque expensis rationibus maturius de ea decernatur.

XIV. Hæc forte animo volvens Sapientissimus Romanus Pontifex Benedictus XIV. ac precibus etiam flexus nostrorum Principum, inter secretos novissimi Concordati Articulos *Regii Exsequatur* consuetudinem recenseri passus est; id simul cavens, ut Mandata Apostolica quam citissime per Regios ministros expedirentur.

(\*\*) XV. Apud nos nullum Breve, nulla Constitutio, Rescriptum nullum Sedis Apostolicæ executioni mandari potest, quin prius Placitum Regium, vulgo *Pase* obtineatur; iis exceptis, quæ emanant à Sacra Pœnitentiaria pro foro conscientia. Ita tamen, ut 1. Brevia pro Indulgentiis, et pro recitandis Officio, et Missa in alicujus Sancti honorem, Generali Sanctæ Crutiatae Commissario exhibenda sint: *Leg. XXXVII. n. 6. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.*

2 Ea vero in quibus conceduntur à Dataria dispensationes ad contrahenda matrimonia, et ordines suscipiendos, vel privilegia ad Oratoria privata, et id genus alia, quæ vocantur gratiosa, Episcopo Diœcesis exhibenda sint, ex *Leg. XXXVII. n. 7. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.*

3 Reliqua vero et hæc ipsa, quæ dicuntur gratiosa, quum vacat Sedes Episcopalis remittenda sint primo Gubernii Tribunali Supremi Castellæ Senatus, ex præf. *Leg. XXXVII. n. 8.*

4 Bullæ quævis, quæ Regium respiciunt Patronatum, Supremo Camerae Tribunali examinandæ exhibeantur, ubi quodlibet de ipsarum retentione dubium exortum discutitur, et terminatur: *Sanction. VII. Tit. VI. Lib. I.* vulgo *Autos Acordados*. Lites vero de ceterarum Bullarum retentione ad Tribunal ita adpellatum *Justitiæ* advocantur: *Sanct. XV. cap. 25. Tit. IV. Lib. II.* vulgo *Autos Acord.*

5 Dispensationes ad obtinendas Præbendas ante ætatem à Jure præscriptam, ipsius Castellæ Senatus nomine à Regio Procuratore supplicanda sunt: Ex Regio Decret. 30. Maii an. 1771.

6 Addesis, quod ex Regio Decreto à Supr. Castellæ Senatu edito 11. Septembris an. 1778. pro quibuslibet gratiis ab Apostolica Sede impetrandis, iis exceptis, quæ arctatis et à Sacra Pœnitentiaria conceduntur, ad suum unusquisque Ordinarium accedere debet, ad quem, precibus una cum sui ipsius testimonio ad Supremum Regni Ministerium missis, indulta Regio nomine expedita, et in Supremo Castellæ Senatu perscrutata, remittentur. (\*)

## TITULUS VI.

### *De Interpretatione, Derogatione, et Abrogatione Canonum.*

I. **P**otestas à Christo Domino ad fidelium regimen Ecclesiæ concredita tria hæc potissimum spectat, nimirum *Doctrinam, Mores, et Disciplinam*; quamobrem Canonibus, quos identidem in Episcoporum cœtibus Ecclesia condidit, vel fidei Dôgmata explicata sunt, vel Morum regulæ constitutæ, vel Ecclesiastica politia ad peculiare quædam leges composita. Exemplo sit I. Œcumenicum Concilium, scilicet Nicænum I. quo et Verbum Patri *ἰσοῦστίον* *consubstantiale* adversus Arianos definitum est, et Canones sanciti, ad quos Clerici suæ vitæ mores essent exigendi, ac demum plura Ecclesiasticæ Disciplinæ Capita, Patriarchas præcipue, Metropolitans, Episcopos spectantia, constituta sunt. Porro licet postremi hi Canones duntaxat mutationi subiaceant,



haud vero qui Fidem, aut Mores respiciunt; attamen omnes ex æquo interpretatione aliquando indigent. Aliqua igitur hic breviter de Canonum interpretatione dabimus, quibus *γνησία* genuina Canonis alicujus sententia facilius, feliciusque dignosci poterit.

II. Ac primo rem nostram quod spectat, Interpretatio recte definitur: *Est legis, aut Canonis obscuri per aliud declaratio*: unde interpretationi erit locus, ubi verba legis, aut Canonis aliquam ipsa vetustate patiantur obscuritatem, vel ipso verborum flexu plurimorum animum dubium faciant. Quum enim in verbis nulla adparet ambiguitas, interpretatione opus non est: *Leg. XXV. Tit. III. Dig. de Legat. et Fideicom. III.*

III. Plerique Canonistæ interpretationis quatuor species agnoscunt: scilicet Authenticam, Usualem, Juridicam, et Doctrinalem. Ac I. Authenticam, quam vocant etiam *Generalem, Auctoritativam, et ἑγγράφη Scriptam*, eam esse contendunt, quæ ab ipso fit Legislatore, ejusve successore, vel ab eo, qui parem cum Legislatore auctoritatem habet. Unde colligunt jus interpretandi Canones non nisi illi convenire, qui eos condendi potestate pollet. Ad rem Justinianus Imp. Leg. fin. Cod. de Legibus: *Si leges condere soli Imperatori concessum est, et leges interpretari solo dignum Imperio esse oportet. . . . Quare omnes ambiguitates judicum, quas ex legibus oriri evenit, aures accipiunt nostræ, si non à nobis interpretatio mera procedit?* Tum Innocentius III. Cap. 31. de Sentent. Excomm. *Unde jus prodiit, inquit, interpretatio quoque procedat.* Id quod adeo verum est, ut R. Pontificis interpretatio etiamsi non generaliter, et per modum legis perlata sit, sed in aliquo speciali casu, et ad alicujus consultationem edita, adhuc tamen Authentica habenda sit, et generalis. Adposite Justinianus Imp. Leg. fin. Cod. ibidem: *Si imperialis Majestas causam cognitionaliter examinaverit, et partibus cominus constitutis sententiam dixerit, omnes omnino Judices sciant hanc esse legem non solum illi causæ pro qua producta est, sed et omnibus similibus.* (\*\*\*) Atque his tum Canonicis, tum Civilibus dispositionibus, consonant Alphonsus Sapiens *Leg. XII. et XIV. Tit. I. Partit. I.* et Catholicus Reges

Ferdinandus et Joanna *Leg. III. Tit. I. Lib. II. Novæ Recopilat. (\*)*

2 Interpretationem Usualem, *Generalem* quoque dicunt, at *ἀρχαίῃ non scriptam*, eamque usu, et consuetudine induci docent. Profecto quum rationabilis, ac legitime inducta consuetudo vim legis adquirat, atque adeo priorem etiam legem abroget; potiori jure obscuram, ac dubiam Canonis sententiam interpretabitur. *Consuetudo est optima legum interpres*: Cap. 8. de Consuetudine; et *Leg. XXXVII. Dig. de Leg. Si de interpretatione legis queratur: in primis inspiciendum est, quo jure Civitas retro in ejusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpres consuetudo.*

3 Interpretationem Juridicam, quæ etiam *Auctoritativa*, et *ἐπιτακτικῇ scripta* dici potest, at non generalis, eam esse explicant, quum Judex de aliqua controversia cognoscens ambiguam legem eo animo exponit, ut secundum ejusmodi interpretationem jus dicat: *Leg. XII. et XIII. Dig. de Legibus*. Verum non nisi eo sensu dicitur auctoritativa, quod inter contententes jus faciat: *Res enim judicata pro veritate accipitur*: *Leg. XXV. Dig. de Statu hom.* At generalis dici nequit, quia jura litigantium non egreditur: *Cap. 61. de Appellationibus.*

4 Doctrinalem demum, et *Probabilem* eam vocant, quæ juris Canonici consultos auctores habet: cujusmodi sunt interpretationes Glossarum, et Canonistarum in singulos Corporis Juris Canonici Libros Commentaria. Atqui horum interpretationes tanti faciendæ, quanti valent argumenta, quibus innituntur. Qua de re hic observare juvat, ut si Princeps, sive Legislator legem aliquam interpretetur non uti Princeps, sed tanquam privatus Doctor, sive Magister, ea interpretatio non authentica, sive auctoritativa, sed doctrinalis tantummodo erit, sive probabilis. Ejusmodi sunt quamplures Canonum interpretationes, quas profert Benedictus XIV. in suo egregio Opere de Syn. Diœcesana, quod sane opus, æque haberi voluit, ac si privati alicujus Doctoris studio elaboratum foret.

IV. Quatuor hactenus explicatas Interpretationis species, uti modo indicavimus, plerique agnoscunt, explicantque Canonistæ. At eam distributionem si acute expendere velimus,

pro-

profecto parum rectam, legitimamque inveniemus: neque enim ab interpretationis natura, atque vi petita est, ut vel Summus Imperans, vel Usus, vel Judices, vel Doctores Interpretes esse possint. Hac sane ratione multas alias interpretationis species inducemus, si diversa interpretationi nomina ex diversis Interpretum speciebus adponamus. Unde Fagnanus quadripartitam illam Interpretationis divisionem explicaturus, principio ipsam nonnisi *respectu efficientis, sive interpretantis* agnoscere declarat, mox definitionem *interpretationis propriæ* sumtæ profert; ejusque duplex genus agnoscit; scilicet Litteralem, quæ verba legis declarat, et eam, quæ in verba simul, et sententiam, vel duntaxat in sententiam legis inquirat.

V. Nos igitur parum ab Fagnano discedentes interpretationem propriè sumtam rectius in *Litteralem, et Philosophicam* dividendam censemus. Litteralis, sive Grammatica ea est, quæ Legis verbis stricte adhæret, et juxta verborum vim legem interpretatur. Philosophica autem quæ legis mentem, rationemque respicit, quam *Legis animam* dicunt; et potius quam ad verba, ad Legislatoris finem intendit. Exempla è re profana non proferam: unum placet è sacro novi Fœderis Codice adferre. Judæos verbali Divinæ Legis interpretationi plurimum fuisse addictos constat, ac justius æquò. Quamobrem Pharisæos sæpe Christus Salvator perstringit; ut quum Sabbato opus vel necessarium, aut pium peragere illis negantibus fas esse, ipse reponit: *Sabbatum propter hominem factum, non hominem propter Sabbatum.* Profecto Christus Dominus ad Legislatoris mentem, illi contra ad Legis verba respiciebant. Ad rem Cælestinus Papa Can. xi. Q. 5. Causa XXII. *Non debet aliquis verba considerare, sed intentionem, et voluntatem: quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.* Et Leg. V. Cód. de Legib. *Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.*

VI. Postremo methodum in interpretando servandam placet hic patetis tradere, in quo sane Canones quidam statuendi sunt.

I Canon: *In conditi Canonis Epocham inquirendum, ut apta vocabulis, quibus Canon contextus est, tribuatur notio.*

Non

BIBLIOTECA

Non enim fieri ulla ratione potest, ut antiqua intelligamus monumenta, nisi antiquis vocibus etiam antiquorum notiones subjiciamus. Id perspicuum est in vocabulis *Diecæsis*, *Paræcia*, *Communio*, *Viaticum*, *Missa*, aliisque, quorum apud veteres acceptio ab ea, quam postea sortita sunt, quam longe distat. Hæc regula in Canonibus post v. et vi. sæculum conditis præcipue attendenda; in quibus intelligendis verborum proprietatem ex puriori latinitate, vel græcitate frustra repetes, quum ex usu temporis, vel loci, quibus Canones conscripti sunt, omnino sit eruenda. (\*\*\*) Unde scias oportet *Lucernarium* nihil aliud fuisse, quam oratio quædam fieri solita quum lucerna post Solis occasum accendebatur, ut percipias Canonis ix. Syn. Tolet. I. sententiam. (\*) Conferenda igitur sunt *ῥησολογία* *Dictionaria* sequioris ætatis; at præ reliquis illa Caroli Du-fresne Domini Ducange, tum *mediæ*, et *infimæ latinitatis*, tum *mediæ*, et *infimæ græcitatatis*.

2 Canon: *Græcorum Canonum intelligentia ex eorundem in originali idiomate lectione potissimum haurienda*. Nam 1. natura sua difficilis est ex una in aliam linguam translatio. 2. Latine doctus nemo habendus, qui in græcis litteris hospes sit. 3. Qui igitur græcæ linguæ ignarus græcos Canones interpretabitur? 4. Linguæ dissimiles sunt, nec satis sibi invicem respondent. 5. Demum Interpretes latini non semper veram Canonum græcorum sententiam exhibuerunt: tum quod græce non bene scirent, tum quod eos disciplinæ apud Latinos suo ævo receptæ aptare voluerint; unde necesse fuit Canonibus græcis aliquid addi, aut detrahi. Id in Martino Bracarensi jam supra notavimus. Verum negandum non est, ejusmodi translationes, sive potius interpretationes plurimum conferre, ut inde latinæ Ecclesiæ disciplina pernoscat.

3 Canon: *De Canonis scopo, occasione aliisque circumstantiis investigandum; hæc enim genuinam Canonis sententiam potissimum exhibent*. Namque contra legem, vel canonem facit, qui ejus verba tenens, sententiam negligit. *Leg. V. Cod. de Legibus*. Profecto, ubi recte constabit, quidnam in caussa fuerit, cur Canon conderetur; quænam morum, vel disciplinæ abusio, cui eliminandæ Canon sancitus; quis-

nam

nam error, cui Canon oppositus; quænam denique controversia, quam per Canonem Patres definitam voluere: ubi, inquam, hæc omnia constabunt, atque adeo cum ipso Canonis contextu expendantur, mirum sane quantum luminis inde adfulgebit ad Canonis sententiam, verbis licet intricatioribus expressam, feliciter stabiliendam. (\*\*). Quocirca exponendis Conc. Cæsaraugustani I. Canonibus, necessarium profecto est perpendere, ipsum occasione Priscillianæ hæresis esse coactum. (\*)

4 Canon: Consuetudines illorum temporum, quibus Canon sanciti sunt, adtendendæ. Profecto in Sacris Canonibus innumeras reperire est adlusiones ad consuetudines tunc temporis in Ecclesia obtinentes; quas nisi perspectas habeamus, dubio procul quamplurimum Canonum sensum non adsequemur, si aliunde interpretem, quem consulamus, nancisci non liceat. Hoc adeo manifestum est, ut demonstratione non egeat, atque adeo quæstiones innumeræ, quæ in Sacrorum Canonum explanatione inter DD. exoriuntur, facile componerentur, si Canon iste in subsidium advocaretur. Sic e. g. locus ille Evangelicus Matth. VIII. 12. *Filii atem Regni ejicientur in tenebras exteriores*, profecto oppido obscurus est; verum uti recte observant Estius, et Maldonatus *hic* satis explicari videtur, si advertatur Christum eo loci adludere ad Judæorum morem convivia noctu agendi: unde qui ex aula convivii excludebantur, in tenebris externis erant flentes, frementesque furore, atque indignatione. Tum Canon vi. Nicæno, qui eruditorum ingenia torsit, dubio procul maximam adfert lucem Rufiniana interpretatio: quia Rufinus, qui eodem sæculo vixit, Canonem illum secundum consuetudinem tunc temporis Romæ obtinentem interpretatus est. (\*\*). Denique Canon xxxviii. Illiberitanus suboscuro profecto est. At si in memoriam revocamus consuetudinem illam fideles baptizandi per immersionem in lavacra, quæ ad frequentes eorum lustrationes omnes ut plurimum domi habere consueverant, tota jam evanescit difficultas. (\*)

5 Canon: Opiniones quoque, quæ diversis temporibus obtinuerunt, spectandæ. Namque Canonum Conditores haud

raro ad opiniones respiciunt sua ætate generatim ubique receptas ; atque adeo aliquando Canones disciplinam spectantes iisdem convenientes evulgant. Quare opiniones , quas Canones spectant , si quis ignoret , ne de adlusionè quidem cogitabit , ne dum nodos in intelligendis antiquis Canonibus longe asperrimos solvere poterit. Exemplo sint verba Ps. 90. *Ab incurso , et dæmonio meridiano* , quæ haud facile intelliges , nisi animadvertas ibi ad Vulgi opinionem , respici qui credebat Dæmones meridie potissimum esse timendos. *Hieron. et Theodor. hic.* Tunc Canon XLIX. Conc. Tolet. IV. et Canon IX. Conc. Aurelianensis V. de puerulis paterna devotione monachatus perpetuo addictis , profecto opinionem illius ævi continent.

6 Canon: *Decretalium fontes , unde Fragmenta desumpta sunt , omnino adeundi.* Hac regula in interpretandis Decretalibus Collectionis Gregorianæ potissimum utendum est ; scilicet non integras Decretales nobis exhibuit Raymundus , sed aliquando , dum vellet superflua resecare , ea detraxit , quæ maxime ad Decretalium faciebant intelligentiam : atquidum fontes adimus , antecedentia , et consequentia , ceu quædam faces sunt , unde fragmentis inde depromtis non modica lux accedit. Porro ex quinque antiquis Decretalium Collectionibus , unde Gregoriana adornata est , quatuor priores Antonius Augustinus , quintam Innocentius Cironius adjectis observationibus edidere. Utinam et æque integra exstarent *ἀντίγραφα autographa* omnium Constitutionum , et Decretalium , ex quibus tum VI. Bonifacii VIII. tum Libri Clementinarum compacti sunt. Neque enim Bonifacius VIII. et Gregorius X. Decretales in suas Collectiones relatas integras protulerunt , sed aliquando resecuerunt , immutarunt , correxerunt ; ut ipsemet Bonifacius in *Proœmio* testatur , et advertit Jo. Andreas *Glossa ad Præfationem Clementinarum.*

#### *De Abrogatione , et Derogatione Canonum.*

VII. Quamvis æque Legum , ac Canonum constans sit , ac perpetua obligatio , non una tamen caussa est , cur derogari ipsis , aut abrogari possit. Principio autem quid abrogationis , quid derogationis nomine intelligamus , juvat pau-

paucis expedire. Abrogatio igitur est totius Legis abolitio: Derogatio vero est Legis adhuc vigentis imminutio in aliqua sui parte. Ad rem Modestinus Leg. CII. Dig. de Verb. signif. *Derogatur legi quum pars detrahatur; abrogatur legi quum prorsus tollitur.* Atqui plures æque in una, ac in altera regulæ servandæ occurrunt, quarum præcipuas hic subnectimus.

1 Canones, quibus jus divinum explicatur, neque abrogare, neque derogare fas est. Jus enim divinum immutabile est.

2 Priori Canoni derogatur, vel abrogatur Canone posteriori, qui tamen vel ab ipso prioris Canonis conditore proferatur, ejusque successore, vel ab eo, qui potiori pollet potestate. Quod dupliciter fieri potest, scilicet vel expresse priorem Canonem ejusve partem revocando, vel tacite, scilicet oppositum sanciendo. Verum ex nonnullorum sententia Canonibus Conciliorum generalium posteriori contraria constitutione derogatum non censetur, nisi clausula derogatoria expresse adjiciatur: *Cap. 3. de Capell. Monach.*

3 Derogatur Legi contraria, quæ pedetentim invalescat, consuetudine, quamque Legislatoris scientia, et tolerantia confirmet.

4 At è contrario legitime inductis consuetudinibus, et particularibus antiquis locorum institutis, ne per Pontificias quidem Constitutiones derogatum censetur, nisi de illis expresse fiat mentio: *Cap. 1. de Constit. in VI.*

5 Canonis in præsumptione fundati cessat obligatio, ubi de contraria veritate constet: *Cedit enim præsumptio veritati:* Arg. *Cap. 5. de Renunt.* Tum exemplum habemus in *Cap. 3. de Sponsalibus.*

6 Cessante prorsus atque omni ex parte causa, cur lex condita fuerit, per se ipsa lex cessat, omnisque ejus obligatio. Sicut enim lex nullum consequitur robur, nisi rationem, et utilitatem comites habeat; ita omne robur amittit, ubi ratio, et utilitas abscedant; cujus rei non desunt exempla. Satis esto Canon Apostolicus de abstinentia à sanguine, et suffocato, qui eo conditus, quo Synagoga honorifice ad sepulcrum deferretur, atque Hebræi facilius ad fidem converterentur; hinc causæ hujusmodi ubi evanuerit, ipsa quoque

que Canonis licet Apostolici evanuit obligatio. (\*\*). Sic Canon xxxvi. Illiberitanus de non pingendis in Templorum parietibus imaginibus neve possent eas Gentiles conspurcare, prorsus cessavit, cessantibus persecutionibus, quarum causa conditus fuerat. (\*)

7 Quod autem *Can. II.* diximus, scilicet aliquando Canonis priori tacite per posteriorem derogari, id non nisi eo sensu intelligas; scilicet quum unum alteri ita opponatur, ut in concordiam revocari minime queant. Jura enim juri- bus concordare expedit; eorumque correctio, qua fieri potest, vitanda: *Cap. 29. de Elect. in VI.* Verum hasce Regulas hic indicasse satis esto: quum de hoc Capite fusius agant Theologi Morales.

## TITULUS VII.

### De Jure Personarum.

I. **T**ria potissimum hominum genera in Ecclesia Christiana veteres Patres agnovere, nimirum Ἡγούμενος, Πιός Κατηχου- μίως, *Præfectos, sive Clericos, Fideles, et Catechumenos.* Ad rem Eusebius Demonstrat. Evangel. Lib. VII. cap. 2. *Tres per singulas Ecclesias ordines: Unus eorum, qui præ- sunt; duo eorum, qui subjecti sunt; quum Ecclesiæ Christi populus in duos ordines sit divisus, in eorum, qui credunt, et eorum, qui nondum ad lavacri regenerationem adsumti sunt.* Quum igitur Personæ, quas Jus Canonicum respicit, eæ sint, quæ ad Ecclesiam pertinent, ejusque potestati subjiciuntur; hinc priori hoc titulo *de Jure Personarum* ac- turi, abs re non erit ex producta Eusebii auctoritate Per- sonas in *Clericos, Fideles, sive Laicos, et Catechumenos* parti- tiri. Et sane Catechumeni, quippe qui in Ecclesiæ gremium aliqua ratione admissi, aliquando etiam vocati sunt Chris- tiani; ita Syn. Cpolitana *Can. vi. Licet enim, ut Augustinus loquitur Tract. XI. in Jo. nondum filii essent, pertinent tamen ad Ecclesiam, ceu servi; immo salutem consequuntur æternam, si mortem subeunt, antequam baptizentur.*

II. De Monachis, et Regularibus quæri solet, num hi aliud



aliud Personarum genus in jure nostro constituent. Profecto ubi in Monachorum primævam institutionem inquiras, ad communem fidelium coetum referendi sunt: at quum in sacris Canonibus à Clericis, et à Laicis plerumque distinguantur, hinc quartum personarum genus constituere videntur. Profecto licet Monachis patuerit dein ad ordines aditus, nunquam tamen vel nomine Clericorum Monachi ad Clerum admissi, vel reliqui ad ordines haud promoti nomine Laicorum accipiuntur.

*Etymon vocis Laicus.*

III. *Laici* ita dicti sunt à græca voce *λαῖς* *populus*, *plebs*, *multitudo*. Et sane plebem Ecclesiæ constituunt nullo peculiari Ecclesiastico munere distincti. Hinc aliquando dicti sunt *Sæculares*, (\*\*) Syn. Tolet. IV. *Can. XXII.* alias *XXI.* (\*) quippe qui sæcularibus vacant negotiis, ac etiam *Idiotæ*, sive homines vitam in Ecclesia privatam agentes: Chrysostomus *Hom. III. in Lazar.* et *Hom. XXXV. in I. Corinth. cap. 14.*

*Etymon vocis Clericus.*

IV. Quod vero ad Clericos spectat dubio procul hoc nomine donati sunt à græca voce *κλήρος*, *Sors*, *hæreditas*. Ad rem Hier. Ep. II. ad Nepot. *Ministri Dei propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus Sors, id est, Pars Clericorum est.* Quod nomen licet quandoque omnibus ex æquo fidelibus tributum: *Ad Colos. I. v. 12.* unde Theophanes *Hom. XII.* auditores suos vocat *κλήρον clerum*, quando eos adloquitur; non vero, *ὁ clere mi: potiori tamen jure de iis est, qui divino cultui ministeria religionis impendunt, ut loquitur Constantinus M. Leg. II. Cod. Theod. de Episc. et Cleric. Tit. II. Lib. XVI.*

V. Igitur Clerici proprie dicti sunt, qui sacro, ac publico aliquo munere in Ecclesia funguntur, sive præeundo, sive ministrando. Qua de re Clericorum ordo à Nazianz. *Orat. XX. in Laudem Basilii* adpellatus est *ταξις τῶ ἁγίων* *Ordo Sanctuarii*; eo quod solis Clericis permissum

sit eam sacræ Ædis partem intrare, ubi altare constitutum est, quæque proprie dicebatur *βῆμα* sive ἱερατεῖον *Sanctuarium*.

*De distinctione Laicos inter, et Clericos.*

VI. Clericos à laicis æque ordinis, ac potestatis ratione distingui, et quidem jure divino res est adeo evidenter antiquissimis probata monumentis, ut mirum omnino sit, quosdam ex recentioribus hæreticis istud in controversiam vocare non dubitasse. Et sane nimis longum esset omnia Sacrarum Litterarum, ac veterum Patrum testimonia hic adversus Heterodoxos proferre. Videsis Petavium, Natalem, Witasse, aliosque: pro instituti nostri ratione duntaxat pauca proferemus.

1 In Sacro novi fœderis Codice Clerici distinguuntur à Laicis, uti pastor ab ovibus: *Attendite vobis, et universo gregi, in quos vos Spiritus S. posuit Episcopus regere Ecclesiam Dei: Act. XX. v. 28. Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee..... et quum adparuerit Princeps Pastorum &c. I. Petri cap. V. v. 2. et 4.*

2 Apostoli eos ad Diaconatum viros adscivere, qui ex universæ Ecclesiæ consultatione viderentur *boni testimonii, pleni Sp. S. et sapientia.* Quorsum hæc, nisi quia à multitudine segregandi erant, et sacris ministeriis addicendi? Et sane statim post sacro prædicandi, et baptizandi ministerio usi sunt. Ad rem Chrysostomus Hom. XIII. in Act. Apost. *Imposuerunt illis manus, quoniam Apostoli hoc ritu septem illos segregaverint à multitudine.*

3 S. Ignatius M. *Epist. ad Magnesianos n. 6.* æque Episcopis, et Presbyteris, atque etiam Diaconis divinum Jesu Christi ministerium commissum docet: illis quidem, ut præ sint, his ut ministrent. Tum *Ep. ad Philad. n. 7.* fideles admonet, ut Episcopo adtendant, Presbyterio, et Diaconis.

4 Clemens Alex. in Lib. *Quis dives salvetur* de Jo. Apostolo tradit eum, quum post tyranni obitum à Patmo insula *Ephesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatum visisse, partim quidem, ut Episcopos constitueret.... partim etiam, ut unumquemque eorum, quos Spiritus designaret, in clerum cooptaret.*

5 Tandem Tertullianus *Lib. de Præscript. Cap. 41.* hæreticos sui temporis eo nomine insectatur, quod apud ipsos, qui *hodie Episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus.* Tum subnectit: *Nam et laicis sacerdotalia munia injungunt.* At quinam potuisset hoc hæreticis exprobrari, nisi divina institutione Clerici à laicis distinguerentur?

VII. Fateor equidem Sacerdotes aliquando vocatos fuisse omnes Christianos: at hoc nonnisi lato modo intelligendum: *Omnes enim, inquit S. Eucherius, sumus membra Summi Sacerdotis Domini nostri Jesu Christi.* Et sane sicut vox *Sacrificium* æque lata, ac stricta notione acceptum reperitur in Sacris Litteris, et apud veteres Patres, ita quoque vox *Sacerdotium.* Egregium hac de re habemus Origenis locum *Hom. IX. in Cap. 16. Levit. Si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit, et ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, et ipse meæ hostiæ sacerdos efficior.*

VIII. Igitur ubi S. Petrus *Epist. I. cap. II. v. 5. et 9.* Fideles adloquitur: *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias acceptabiles Deo, per Jesum Christum.... Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta:* illud profecto indicat, Fideles æque Sacerdotii, ac Regiæ dignitatis Jesu Christi participes vota, preces, largitiones, benefacta Deo Patri offerre una cum sacrificio, quod ille nostri gratia peregit; qua ex conjunctione quidquid in iis, quæ petimus, vel offerimus pretii esse poterit, omnino oritur. Ad nobilissimam hanc dignitatem Baptismo evehimur, dum à Spiritu Sancto in Domini Sacerdotes inungimur, et sacro caractere distinguimur. Fidelis igitur quisque spirituali acceptione Dei Sacerdos est, spirituales hostias offert Deo: neque tamen id prohibet, quominus esse debeant in Ecclesia Sacerdotes rite initiati, ac peculiari auctoritate præditi ad offerendum Deo formidabile sacrificium, ceteraque obeunda munia, quæ Christus unis Apostolis, eorumque dignitatis hæredibus reservavit. Præsertim quum ipsemet Petrus, uti modo vidimus, ejusdem *Epist. cap. 5.* pascendi gregem Domini potestatem solis adtribuat Senioribus, sive Episcopis,

pis, et Presbyteris, quibus ut fideles subditi sint, *ibidem* admonet.

*De Divisione Laicorum.*

IX. Christus quippe qui in hunc mundum advenit non terrenum, et periturum, sed spirituale, et æternum regnum fundaturus, Sacerdotium quidem divina, qua pollebat auctoritate, constituit; ad laicos vero, variosque eorum ordines, et conditiones manus non admovit. *Neque enim*, ut loquitur Hieronymus in Ep. ad Galat. VI. *venit mutare hominum conditiones*. Hoc autem quum Christus abs se alienum duxerit, factum hinc est, ut Ecclesia quoque neque ad se attinere hujusmodi curam putaverit. Jus quidem Ecclesiasticum laicos in fideles, et catechumenos distinguit; hæc tamen, aliave ejusmodi divisio non nisi ea ratione inducta est, qua laici ad Ecclesiam, sive spirituale Christi regnum pertinent, quaque *Cives Sanctorum sunt, et domestici Dei*, ut præclare loquitur Apostolus ad *Ephesios II. v. 19*.

X. Perperam igitur dicitur Jus Canonicum distinguere dominos inter, et servos, quum Ecclesia duntaxat Canones ediderit, quibus dominos, et servos instituit, quoniam pacto mutua sibi invicem officia præstare debeant. Quare Paulus ad *Ephes. VI. 8. et 9.* postquam servos admonuit, ut dominis suis parerent in timore, et tremore, in simplicitate cordis (servi enim versuti, dolosi, et mendaces persæpe sunt) statim dominos hortatur, ut imperium auctoritatemque ita in illos exercent, tanquam in Christi servos, scilicet sævitiem omnem, verborum acerbitatem, et truces minas deponentes: *Scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber .... et personarum acceptio non est apud eum*. Eapropter licet jure Civili Romanorum inter personas servili nexui mancipatas contubernium esset, non matrimonium: *Lege XIV. §. 3. Dig. de Ritu Nupt.* Ecclesia tamen editis Canonibus decrevit matrimonium inter servos legitime contrahi, quod in *Christo Jesu*, ut loquitur Apostolus, *neque liber est, neque servus, qui à Sacramentis Ecclesiæ sit removendus*: Cap. 1. de Conjug. Serv. Eadem ratione Apostolus *ibid.* parentes, et filios, viros, et uxores docet, qua

pietate, qua charitate, quo obsequio se invicem prosequi debeant.

XI. Principibus quoque, magistratibus, et cuicui sublimiori potestati ipso jure Ecclesiastico fideles obedire adiunguntur, et quidem ex Christi doctrina: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo*: Matth. XXII. 21. Hinc Princeps Apostolorum *Ep. I. cap. 2.* fideles jubet Reges honorificare, iisdemque subditos esse: Et S. Paulus *Ep. ad Rom. cap. XIII. v. 1. et 2.* sic præcipit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Eadem habet *Ep. ad Titum III. v. 1.* *Admone illos Principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. Neminem excipit Apostolus, inquit hic Theodoretus, non Presbyteros, non Præsules, non Monachos.* Id quod illæsa, cui maxime favent Catholici Principes, Ecclesiasticorum immunitate accipiendum est.

XII. Deus omnino omnis auctor est potestatis. 1. Quod hominibus tacite inspiraverit consilium subjiciendi se Principatui, à quo defenderentur. 2. Quod imperia inter homines utilissima sint servandæ concordiæ, disciplinæ, religioni. Porro quidquid boni est, à Deo, tanquam à fonte emanat. 3. Potestas tuendi ab adgressore vitam, et opes hominibus à Deo tradita, atque ab ipsis in Principem conversata, Deum primum habet auctorem: igitur Principes ea potestate ab hominibus donati, hanc ab ipso Deo accepisse dicuntur. Quamobrem Petrus *Ep. I. cap. 2.* Principatum *Humanam creaturam* nuncupat, quam Paulus *potestatem à Deo institutam.* Humana igitur, et divina est varia ratione spectata. 4. Denique Suprema auctoritas à Deo est, quippe quod eam à sapientibus institutam ipse probavit.

XIII. Nulla unquam gens sæcularibus potestatibus magis paruit, quam primæ ætatis Christiani, qui à Christo Jesu, et ab Apostolis edocti nunquam ausi sunt Principibus à Providentia sibi datis repugnare, licet illi infideles essent, atque adeo Ecclesiam Christianam, Christianosque diris exagitarent persecutionibus. Ad rem Lactantius Lib. V. *Quum nefanda patimur, ne verbo quidem reluctamur, sed Deo re-*  
mit-

*mittimus ultionem.* Et Tertullianus ad Scapulam cap. 2. *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit.* Postremo Irenæus Lib. V. cap. 24. *Cujus jussu homines nascuntur, hujus jussu et Reges constituuntur.*

XIV. Itaque si Apostoli ex Christi mandato ita cautum voluerunt, si ita locuti sunt veteres Ecclesiæ Patres, dum Principes Ethnicæ religionis vinculis constricti adhuc detinebantur; quis, nisi cæcutiat, non videt, potiori jure illorum verba et sanctiones ad Principes Christianos referri oportere, qui à Deo religionis vindices, et custodes constituti sunt? Unde (\*\*\*) Hispaniarum Concilia obedientiam erga sæculi Principes à fidelibus sub anathemate deferendam præcipiunt, et (\*) Synodus Trident. *Sess. xxv. Ref. Cap. 20.* Catholicos Principes *sanctæ Fidei, Ecclesiæque protectores* divinitus constitutos docet. Leo M. Epistola XXIX. ad Pulcheriam Augustam: *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, et Regia, et Sacerdotalis defendat auctoritas.* Et Isidorus Lib. III. Sent. cap. 53. *Principes sæculi, inquit, nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per Regnum terrenum cæleste Regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem, et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superbiorum Potestas principalis imponat, et ut venerationem mereatur, virtute potestatis impertiatur. Cognoscant Principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt.*

XV. Verum qua ratione ex divino præcepto obedientiam, atque obsequium Principibus præstare jubemur, eadem sæpius ipsis inculcatur, ut ne præscriptos suæ potestatis limites prætergrediantur: quum Imperium, et Sacerdotium ita semper fuerint inter se distincta, atque discreta apud veteres, ut illi jus omne, arbitriumque in Rempub. et res po-

liticas, huic vero in religionem, et res spirituales adscriptum sit. Adposite Symmachus Papa in Apolog. *Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis: inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum.*

XVI. Ipsi quoque Principes ad jura Majestatis Ecclesiæ regimen non spectare ingenue professi sunt. Valentinianus Senior petentibus Episcopis facultatem cogendæ Synodi pro instaurando Consubstantialitatis dogmate respondit: *Sibi, qui è Laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere*: tum Justinianus Imper. Novella VI. Collatione I. in Præfatione: *Maxima quidem hominibus sunt dona Dei superna collata clementia, Sacerdotium, et Imperium. Illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.*

XVII. Quod autem Principes sæculi de caussis Ecclesiasticis aliquando leges sanxerint, haud inde inferas, illos in Ecclesia potestatem exercuisse suam, sed potius in Rep. et quidem pluribus titulis.

1 Quod jure suo Ecclesiam, et Religionem tueantur. Quum enim ejusmodi sit civilis Societatis natura, ut sine Religione non subsistat; profecto quum ad Principes Reip. spectet cura, eo nomine etiam Religionem, et Ecclesiam tueantur oportet: August. *Lib. III. contra Cresc. cap. 15.* et Isidorus *Can. xx. Caus. 23. Quest. V.*

2 Ut Canones Ecclesiasticos suis legibus confirmantes, pœnasque subinde temporales adjunctentes, illorum executionem faciliorem redderent. Hinc veterum præsertim Orientalium Conciliorum ea fuit praxis, ut Imperatoria Conciliarium Decretorum confirmatio expeteretur.

3 Ut Ecclesiasticis Canonibus etiam civile robur accederet, dum per civiles leges confirmarentur. Quamobrem qui in istiusmodi Canones impingeret, duplici se obstringeret crimine, quod Ecclesiasticam, et civilem læderet potestatem, atque ita duplici pœna Ecclesiastica, et civili puniretur: Justin. *Novell. VI. cap. 1.*

4 Possunt quoque Principes, tanquam Capita Corporis politici leges condere, quæ in laicos licet directæ, politiam

tamen constituent Ecclesiasticam. Exemplo esse potest Constantini M. Lex de non ordinandis Curialibus: *Leg. III. Cod. Theod. de Episc. et Cler.* ac binæ Constit. Neap. scilicet Rogerii Northm. et Friderici Suevi de non ordinandis Servis Adscriptitiis, al. Villanis: *Constit. Errores, Tit. de his, qui deb. acced. ad Ord. Cler. Constit. Adscriptitios, Tit. de Vassallis, al. de Villanis.* Tum et novissima Sanctio Caroli Borbonii de non ordinandis unicis; ne scilicet desint, præsertim in Provinciis, qui publica munia exerçant. (\*\*\*) Et Constitutio Alphonsi I. Castellæ, qua cautum in Hispania erat, ne fideles bona sua immobilia in Ecclesiarum manus transferrent: *Videsis Sanct. IV. cap. 32. et 33. Tit. I. Lib. IV. vulgo Autos Acordados,* quam quidem ad Indiarum Regna extendi voluit Supr. Indiar. Senatus: *Legesis Adnot. IV. ad Tit. I. Lib. IV. vulgo Autos Acordados. (\*)*

5 His demum accedit, quod Principes subinde non meræ Canonum interpretationi adhæserint, sed de Episcoporum consilio eorum mentem aliquibus additionibus supplerint: quo nomine Justinianum Jo. Scholasticus commendat: *Præf. suæ Coll. apud de Marca Lib. II. cap. 11. n. 4.*

XVIII. Non negaverim aliquando Principes jus tuitionis fuisse egressos, ac Sacerdotum jura sibi adrogasse; quo nomine inter alios Principes præcipue censetur Justinianus. Verum hisce in casibus Episcopi, ac præ ceteris Romani Pontifices intercesserunt, ne quid per Rescripta Principum admissis Canonibus, aut libertati christianæ adversum induceretur. Verum hoc de capite alibi.

#### De Divisione Clericorum.

XIX. Ac primo illud omnino animadvertendum, nomina *Ordinis, Gradus, Officii* fuisse aliquando à veteribus promiscue usurpata ad significandas diversas in Ecclesiæ ministerio Clericorum functiones. Hinc Hier. contra Jovinianum *Lib. V. Alium ordinem Pontifex tenet, alium Sacerdotes, et alium Levitæ.* Tum ib. *Episcopus, Presbyter, et Diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum:* et Comm. in Michæam VII. de Episcopis, Presbyteris, et Diaconis scribit: *Non dico, quod istiusmodi gradibus in Ecclesia non debeat esse subjecti.*



XX. Verum strictius loquendo *Ordo* officium Ecclesiasticum significat, ad quod quis ritu mystico inauguratur, vel potius illius exercendi jus, sive potestatem: *Gradus* locum Hierarchicum designat, quem quis ratione Ordinis consequitur; tandem munia singulis Ordinibus addicta *Officia* nuncupantur.

XXI. Apud omnes pæne Theologos recepta sententia est, ordines alios, præterquam septem, non numerari: scilicet *Presbyteratum, Diaconatum, Hypodiaconatum, Acolytatum, Exorcistatum, Lectoratum, et Ostiariatum*. Plerique Canonistæ duos addunt; nempe *Episcopatum*, et *Primam Clericalem Tonsuram*. Illum enim puram putant ordinis Presbyteratus extensionem; istam vero nonnisi ad ceteros ordines suscipiendos præparationem esse inficiantur, at vero duos à reliquis distinctos ordines esse contendunt. Nos veluti media via incedentes, *Episcopatum* quidem distinctum à *Presbyteratu* ordinem fatemur; *primam vero Clericalem Tonsuram* nonnisi *Ordinum tyrociniium* esse censemus.

XXII. Ac primo *Episcopatum Ordinem* esse à *Presbyteratu* distinctum plura evincunt. 1. *Distinctus Consecrationis ritus*. Nimirum distincta manuum impositio, uti *Diaconatum* à *Presbyteratu*, ita *Presbyteratum* ab *Episcopatu*, tanquam diversos Ordines distinguit.

2 *Distincta Potestas*. Presbyter enim nonnisi Filios Ecclesiæ gignit; hoc est fideles per baptismum. At Episcopus gignit Patres; hoc est Episcopos, et Presbyteros per Sacramentum Ordinis.

3 *Distinctæ Progressiones, ac Imitationes gloriæ cælestis*. Ad rem Clemens Alex. Strom. Lib. VI. et Pædag. Lib. III. cap. 12. *In Ecclesia Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum Progressiones sunt: imitationes gloriæ angelicæ*. Progressiones profectus designant de uno in alium locum superiorem. Tum si *Episcopatus* à *Presbyteratu* non distingueretur, uti *Presbyteratus* à *Diaconatu*, immerito Progressiones illæ dicerentur *Imitationes gloriæ angelicæ*, quum in cælestibus illis Spiritibus diversi æque dignitatis, ac Officiorum Ordines sint constituti.

4 *Episcopi Presbyteris præstant, uti Presbyteri Diaconis*. Origenes, quem Presbyterum fuisse omnes norunt Hom. II.

in Hierem. scribit: *plus à se exigi, quam à Diaconis; ab his vero plus quam à laicis; plus rursus ab iis, quibus super Diaconos, et Presbyteros commissum est regimen, et principatus Ecclesiae.* Non absimili ratione loquuntur antiquissimi Ecclesiae Patres, Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, Eusebius, aliique: ac præcipue in genuinis S. Ignatii M. Epistolis crebræ occurrunt in hanc rem sententiæ. Speciminis loco sit singulare ex Epistola ad Magnesianos testimonium, ubi exhortatur eos, *ut in concordia omnia agant Episcopo præsidente Dei loco, et Presbyteris loco Senatus Apostolici, et Diaconis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi.*

XXIII. Rem omnem paucis contraham. Ordinis natura, uti modo vidimus, in eo est, ut officium Ecclesiasticum significet, vel potius illius exercendi jus ritu mystico collatum. Igitur ubi distinctus consecrationis ritus, distincta potestas, distincta munia, ibi profecto distincti ordines. Atqui Episcopatus, et Presbyteratus invicem, distinguuntur ritu consecrationis, potestate, progressionem, auctoritate. Id modo producta argumenta evidentè demonstrant: igitur Episcopatum à Presbyteratu, Ordinem ab Ordine prorsus distinguendum non est.

(\*\*) XXIV. Verum qui Episcopatum distinctum à Presbyteratu Ordinem esse inficiantur, reponunt, manuum impositionem super caput inaugurandi in Episcopum aliam esse ab ea, quæ in Presbyteri ordinatione fit, sed ritu, non reipsa distinctam; potestatem aliam esse, at non potiorem, sed æqualem erga conficiendum Corpus Christi, ad quod institutum est Sacramentum Ordinis: alias quoque esse fatentur progressionem, et imitationem coelestis gloriæ; at imbecillia esse contendunt momenta ex allegoriis depromta: denique Episcopos Presbyteris præstare concedunt, sed dignitate, non ordine, uti Papa Patriarchis, Patriarchæ Archiepiscopis, Archiepiscopi Episcopis. (\*)

XXV. Quod vero ad primam Clericalem Tonsuram attinet, nobis magis probanda Gonzalezii opinio videtur, qui in *Cap. Præterea I. de Apostatis* fatetur quidem clericorum nomine aliquando simplices attonsos comprehendi, quod hos, quippe qui laici non sunt, sed à vulgo selecti, et in

sortem Domini adscripti, Ordo Clericalis complectatur; at *ibidem* diserte docet, *ex veriori sententia dicendum proprie, et stricte primam tonsuram non esse ordinem, sed præviam dispositionem ad ordines, cujus cooptationis ratione ita tonsuratus dicitur habere ordinem clericalem, et per consequens fruitur privilegio Canonis, et privilegio fori.*

XXVI. Et sane 1. per clericalem tonsuram nulla conferitur initiatis spiritualis potestas; neque 2. peculiare aliquod Ecclesiasticum munus ipsis exercendum committitur. Ad sistere enim cum superpelliceo Ecclesiæ ministeriis; nec non ordinum minorum officia in defectu eorum, qui illos susceperunt, exercere, jure novissimo attonsis æque commune est, ac laicis. 3. Concilium Tridentinum *Sess. XXIII. cap. 6.* illam expresse ab ordinum albo expungere videtur: *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus &c.* 4. Catechismus R. Part. II. Cap. 7. num. 13. diserte tonsuram *quandam ad ordines suscipiendos dispositionem* adpellat. 5. Demum ex Trid. *ibid. cap. 8.* unusquisque à proprio Episcopo est ordinandus; si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum sit suspensus. Verum Sacra Congregatio, fatente ipso Fagnano in *cap. Cum contingat num. 38.* declaravit, Episcopum Hieracensem ob primam tonsuram extraneo collatam suspensioni non esse sub iudicium; quoniam *Tonsura à Concilio non habetur pro ordine.* Verum non est cur in hac re diutius immoremur.

## TITULUS VIII.

### De Prærogativis, et Privilegiis Clericorum.

I. **A**C 1. antiquitus Clerici pluribus iisdemque honorificis titulis decorati sunt: nempe communi loquendi usu dicebantur: *Patres, Domini, Doctores, bene vivendi Auctores, Angeli Dei &c.* Tum τῶν τῶ φημῶν Ordo Sanctuarii, ac eorundem diversi Ordines *Imitationes gloriæ angelicæ* dici consueverunt. Naz. *Orat. XX. in laud. Basilii.* Clem. *Strom. Lib. VI. et Pædag. Lib. III. cap. 12.*

II. In publicis precibus, sacris Processionibus, aliisque

ecclesiasticis functionibus primum semper locum obtinent, laicosque anteeunt : quinimmo in Ecclesiis laicis omnino vetitum est, dum divinum officium, et Missæ sacrificium celebratur, ingredi sacra septa plerumque cancellis distincta, quum in eis solis clericis tunc temporis consistere liceat: *Canon LXIX.* Sextæ Syn. Adhæc S. Benedictus licet omnes indiscriminatim suos monachos ejusdem prorsus regulæ fibula obstrinxerit, attamen Monacho Clerico primum locum in choro concedendum præscribit.

III. Haud contemnenda illa prærogativa est, qua fruuntur Clerici: nimirum ut vitam agant ex redditibus Ecclesiæ, Decimis, Primitiis, aliisque populi oblationibus. Et sane I. isthoc obsequii genere tum populus Judaicus suos Sacerdotes, tum Abrahamus Melchisedecum honore est prosecutus.

2 Idipsum Christus tum exemplo, tum doctrina probavit. *Exemplo*: plures enim mulieres Christum sequebantur, ut quæ ipsi, ejusque Apostolis necessaria essent, de suis facultatibus ministrarent. *Matth. XVII. et Luc. VIII. Doctrina*: Apostolos enim ad evangelizandum mittens eos ab civitatum, locorumque incolis hospitium, et alimenta recipere jussit, rationem subnectens: *Dignus enim est operarius cibo suo.* *Matth. X. et Luc. X.*

3 Idem Paulus Apostolus pluribus demonstrat haud semel in suis Epistolis, ac præsertim *I. ad Cor. cap. 9.* et quidem I. ex jure gentium. Neque enim miles tenetur suo sumtu militare, sed à provincialibus, uti Augustinus loquitur, accipit decreta sibi stipendia. 2. Ex ratione. Quisnam unquam prohibetur de vineæ fructu edere, vel cujuslibet arboris à se plantatæ? aut num qui pascit gregem, de lacte gregis non manducat? 3. Ab inæqualitate dati, et accepti, idque sub metaphora seminantis, et metentis; quasi diceret: qui seminat multo plus à terra metere exspectat, quam in eam projecit: atqui spiritualia, quæ seminantur, oppido potiora sunt carnalibus, quæ metuntur: qui igitur grave videbitur, si nos spiritualia vobis subministrantes, vicissim carnalia recipiamus? 4. Demum ex Lege Mosis, quæ *Deuter. XXV.* idipsum per allegoriam Bobis triturantis indicat, cui os alligare, sive obturare *φιλῶσαι* nimis crudelita-

tis est argumentum. In quo sane Spiritum S. id præcipue intendisse docet Apostolus ; nimirum , ut Evangelii ministri ab iis quos instituunt , quo nutriantur , accipiant. Unde concludit : *¿Nunquid de bobus cura Deo est ? ¿An propter nos utique hoc dicit ? Nam propter nos scripta sunt.... ¿Nescitis , quoniam qui in sacrario operantur , quæ de sacrario sunt , edunt ; et qui altari deserviunt , cum altari participant ? Ita et Dominus ordinavit his , qui Evangelium adnuntiant , de Evangelio vivere.*

4 Demum eadem semper fuisse videtur antiquissima Ecclesiæ consuetudo , ut Clericis à plebe honesta corporis alimenta præberentur : et quidem vel ex oblationibus super altare fieri solitis , ubi non panis tantum , et vinum , sed res etiam aliæ necessariae , et nonnunquam pecuniæ in Ecclesiæ sustentationem offerebantur : Hieron. *in Ezech. XVIII.* (\*\*) et Syn. Emerit. *Canon XIV.* (\*) vel ex fructibus , avibus , et animalibus , quæ Episcopis , et Presbyteris domum mitti consueverant , Diaconis , et reliquis clericis distribuenda : Canones ex sic dictis Apostolicis *III. et IV.* vel ex oblationibus , quas singulis mensibus in Ecclesiæ arcam fideles pro lubitu inferebant : Tertull. *Apolog. cap. 39.* unde videtur orta consuetudo semel per mensem oblationes inter clericos distribuendi , de qua Cyprianus *Epist. 28. et 66.* vel demum ex agris , et possessionibus Ecclesiæ donatis , quæ licet tribus prioribus sæculis oppido tenues essent , at pace Ecclesiæ reddita valde adauctæ sunt. Verum de his fusius alibi , ubi de decimis , oblationibus , aliisque Ecclesiæ redditibus sermo reddibit.

IV. Porro præcipuum Clericorum privilegium illud semper est habitum , quod tum 1. ab publicis , sordidisque muneribus ; tum 2. ab tributis , et vectigalibus ; tum 3. ab iudiciis sæcularibus immunes fuerint. De tertio hoc exemptionis genere opportunior reddibit sermo *Lib. III.* primum igitur , ac alterum , nimirum personalem , et realem clericorum Immunitatem hic tantummodo explanare adgreddimur.

V. Principio autem statuendum quid realis , quid personalis immunitatis nomine veniat. Realis dicitur Immunitas , quæ bona Ecclesiarum , et Clericorum à tributis , vectigalibus ,  
one-

oneribusque aliis laicalibus eximuntur. *Semel enim Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.* Cap. 51. de Regulis Juris in VI.

VI. Personalis vero Immunitas ita dicta, quod personas Ecclesiasticas spectet, ea est, quæ clericos ab oneribus personalibus, quæ corpore geruntur, eximit: *Cap. 1. et 4. de Immunit. Eccles. et Leg. I. cum seq. Cod. de Episc. et Cler.* Primum de Personali, dein de Reali Clericorum Immunitate lubet verba facere.

#### *De Personali Clericorum immunitate.*

VII. Personalem Clericis immunitatem fidei luce præeunte, Episcoporumque consilio, et hortatu primus indulsit Constantinus M. uti refert Eusebius: *Lib. X. cap. 7.* eandemque pro Regno Neapolitano nova Constitutione firmavit Fridericus II. Constitutione Regni, quæ incipit *Clerici Lib. I. Tit. 72. (\*\*)* et pro Hispano firmarunt Alphonsus Sap. *Leg. L. Tit. VI. Part. I.* et Henricus II. *Leg. V. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop. (\*)*

VIII. Ad personalem immunitatem 1. pertinet exemptio ab eo tributorum genere, quod *Census Caputum*, sive *Capitatio* dicebatur; quæ vel humana erat, sive animarum, scilicet per quam ætatem quisque suam significabat, ut inde constaret, num tributo onerandus quis esset, an non: vel terrena erat, sive agrorum; tributum, scilicet, alias *κασόν* Canon dictum, quod ab hominibus ratione agrorum, et possessionum suarum exigebatur. De terrena mox redibit sermo. At humanam quod spectat, profecto ab ea non modo Clericos, verum et eorundem conjuges, liberos, servos, et ancillas omnino fuisse exemptos constat ex binis Constantii Imp. legibus, quas legere est in Codice Theodos. *Leg. X. et XIII. de Episcop. et Cleric.*

IX. Ad idem immunitatis genus referri quoque posse videtur exemptio ab onere hospitii, quod Romanis *Metatum* dicebatur; cujus vi Imperatoris aulæ stipatoribus, iudicibus, atque militibus hospitia, et alimenta præbenda erant, ubi officii sui causa per provincias iter facerent. Hanc immunitatem concessit Constantinus: *Leg. I. Cod. de Episcop.*

*cop. et Cler.* et confirmavit pro nostro Regno Carolus II. Andegavensis Regni Vicarius in *Cap. 96.* Id quod intelligas

1. de domo quam Clerici habitant, haud vero de domo quam locant: Boetius Epo ad *Cap. 1. de Immunitate.* Tum
2. excipiendus casus obsidionis, vel alterius gravis necessitatis: Choppinus de *Sacra politia Tit. II. n. 3.* Præterea
3. ubi laici recipiendis militibus impares sint, Clerici subsidio erunt: Faber in *Cod. Lib. VIII. Tit. XXX. Def. 26.*

(\*\*) In Hispania quoque Clerici exempti sunt ab onere excipiendi apud se transgredientes quoslibet, nisi forsitan pertranseat Rex, aut alius ex Regia stirpe, et domus Clerici ea sit, qua nulla in populo aptior ad eum excipiendum inveniri possit. Quantum ad milites tamen excipiendos, impletis tantummodo cunctis incolarum ædibus, requiri possunt Clerici, non compelli: *Leg. VII. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop. et Sanct. VIII. Tit. IV. Lib. VI.* vulgo *Autos Acordados.* (\*)

X. Tum Clerici ab publicis æque honorificis, ac sordidis muneribus exempti: sit igitur primo

*De Clericorum ab Publicis Honorificis Muneribus  
Exemptione.*

XI. Honorifica habebantur munera *Municipalia*, quæ etiam *Curialia* dici consueverunt, quod qui ea substinebant, *Curiales* nuncuparentur. Istiusmodi erant *Pecuniarum civitatis publicarum administratio, Exactio annonarum, Judicum præcepta exsequi, susceptores suo periculo nominare, Mansionum, pagorum, ac horreorum Reip. curam gere*, aliaque hujus generis à Jacobo Gothofredo recensita in suo *Cod. Theodos. in Paratitlo Tit. I. de Decurion. Lib. XII.* Porro ab his Clericos prorsus exemptos voluit Constantinus. Exstat apud Eusebium *Lib. X. cap. 7.* egregia ejusdem Imperatoris epistola ad Anulinum Africæ Præfectum an. 313. data, qua Clericos ab omnibus *publicis functionibus immunes conservari* decernit: scilicet *ne à cultu summæ divinitati debito abstrahantur.* Tum idem Imperator sex circiter post annis aliam hac de re legem tulit, quæ sic habet: *Qui divino cultui ministeria religionis impendunt ab omnibus om-*

nino muneribus excusentur: ne sacrilego livore quorundam à divinis obsequiis avocentur: Leg. I. Cod. Theod. de Episc. et Cleric. Huc quoque respexisse videtur lex Valentiniani, et Gratiani *Leg. IX. Cod. Theod. de Decurionib.* Atque Personalis hæc immunitas, quippe quæ Clericis omnino conveniens, scilicet ne à suis officiis avocentur, prima est, quam Clericis indultam reperiamus.

XII. Quum vero nonnulli hujusce immunitatis beneficio abuterentur, dum ad declinanda provinciæ suæ munia titularum quandam ordinationem aucupabantur; hinc tum ab ipsomet Constantino, tum deinceps ab ejus successoribus adversus hujusmodi abusionem variæ leges promulgatæ sunt.

XIII. Ac primo Constantinus, qui eam immunitatem indiscriminatim omnibus Clericis concesserat privata bona sive possiderent, sive non, lege lata vetuit, *ne ullus dives de plebe, quem æquitas ad publica traheret munera, et progenie municeps, vel patrimonio idoneus dignosceretur, clericorum se consortio sociaret. Tum si quis post evulgatam legem id faceret, ex statione sua dimittatur, et curiæ ad explenda munia restituatur*: Leg. VI. Cod. Theod. de Episc. et Cleric.

XIV. Verum hæc Constantini sanctio tractu temporis Ecclesiæ quam maximo fuit detrimento. Ejus enim prætextu identidem Presbyteri, et Diaconi à litigiosis hominibus ad obeunda Provinciæ munia adigebantur. Qua de re, qui secuti sunt Imperatores, ut huic malo prospicerent, suis legibus Constantini sanctionem moderarunt.

XV. Ac 1. Constantius omnes Episcopos tum quod ad personas, tum quod ad possessiones ab eo onere immunes esse voluit: tum idem privilegium Presbyteris, Diaconis, ac reliquis omnibus Clericis indulsit, si curia consentiente, populoque universo expetente, ordinati essent; at secus ordinibus initiati possessionum suarum duas tertias partes cum filiis suis, aut propinquis partirentur, eosque in locum suum substituerent: vel his deficientibus duas bonorum partes curiæ cederent, tertia sibimetipsis reservata: *Leg. II. Cod. Theod. de Decurion.*

2 Valentinianus sub Imperii sui initia Constantii legem  
non



non modo firmavit, verum et magis acuit, ac duriores reddidit: *ibid. Leg. LIX.* Quam deinde septem post annis emollivit, dum omnes in Ecclesiæ ministerio jam constitutos, licet possessionibus, propriisque bonis instructos, prorsus exemit: *ibid. Leg. III.*

3 Valens eos omnes immunes esse voluit, qui decennium in clericatu explevisent, nec intra illud temporis spatium à Curia essent revocati: *ibid. Leg. XIX.*

4 Valentinianus II. Valentis legem firmavit illa adjecta conditione; nimirum *ut alium instructum de facultatibus suis ad munera pro se complenda constituent*: *ibid. Leg. IC.*

5 Theodosius immunes eos omnes voluit, qui ante annum 387. qui erat Imperii sui decimus, ordinati essent; ab iis vero, qui postea ordinibus initiari vellent, requisivit, ut vel in locum suum aliquem substituerent, vel sua bona Curiae cederent: Ambrosius *in Respons. ad Symmachum.*

6 Arcadius instigante Eutropio severæ Constantini legi rursus Clericos subiecit: *Leg. III. Cod. Theod. de His, qui ad Eccl.* At contra Chrysostomo, aliisque sanctissimis Episcopis clamitantibus, statim nova lege eam abolevit, atque æquam Theodosii sanctionem revocavit, firmavitque: hoc tantum excepto, ut inferiores Clerici à Curia revocati ad Patriæ munia per se obeunda adstringerentur: *Leg. CLXIII. Cod. Theod. de Decurion.*

7 Eandem Constitutionem Theodosius quoque Junior, Valentinianus III. et Majoranus firmarunt: uti ex eorundem legibus ad calcem Cod. Theodos. adjectis manifestum est.

8 Tandem Justinianus duriores quidem Arcadii legem primum renovasse videtur: *Leg. II. Cod. de Episc. et Cler.* At postea æquam Theodosii Senioris legem rursus sanxit; duo tantummodo addens: 1. Ut inferiores Clerici à Curia aliqua adsumti, si monasticam vitam non minus quindecim annis implevisent, ordinari possent, quarta bonorum suorum parte sibi retenta, reliquis partibus curiæ, et fisco vindicandis. 2. Ut Episcopi ab obeundis quidem civilibus muniis immunes essent, at vero Vicarium sibi substituerent.

XVI. Ex hactenus dictis illud effici posse videtur, veteres Christianos Principes discrimen fecisse inter publicum

Ecclesiæ patrimonium, cujus intuitu ad nullum civilium munerum onus subeundum Clerici adstringebantur; et privatas Clericorum facultates, quæ civili aliquo titulo notatæ essent; quarum intuitu omnino exempti non erant, nisi vel earum portionem Curia cederent, vel per substitutos debita sibi munera explerent.

XVII. Illud hic non abs re observandum, Clericis, quippe qui ab publicis muneribus exempti, jure feudali vetitum esse in feuda succedere, nec feuda ante Clericatum adquisita retinere, quum illa conditionis mutatio, quæ à servitiorum præstatione eos efficit immunes, Domino obesse nequeat; feuda tamen acquirere per concessionem eis vetitum non est. Namque feuda qui eis concedunt, vel servitia remittere videntur, vel, ut per substitutos ea exercent, patiuntur: *Juris Feud. Lib. II. Tit. 36.* Qua de re nonnulli, etiam in nostro Regno Neapolitano, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Præpositi feuda possident suis Ecclesiis adnexa: (\*\*\*) quod et in Hispania in usu esse constat. (\*)

XVIII. Huc pro Regno Neapolitano pertinere videtur Regia Sanctio, qua Filii *unici* ordinari vetantur; ne scilicet, præsertim in Provinciis deessent, qui publica munera exercerent: atque uti in familiis in quibus plures sint ex eodem parente filii, unus saltem sæcularem vitam amplectatur, reliquis venia indulta, ut possint clericali, vel monastico alicui Instituto nomen dare.

(\*\*\*) XIX. Illud etiam observandum, apud nos Clericos nec admitti debere ad honorifica munera exercenda: *Leg. X. Tit. III. Lib. I. et Leg. XX. Tit. XXV. Lib. IV. Novæ Recop. Regio Decret. 3. Novemb. an. 1770.* inter eos juvenes, ex quibus per sortes deducuntur aliqui ad militiam, computari non possunt Tonsurati, vel in Minoribus constituti, dummodo qualitates habeant, quæ adsignantur in *Leg. I. Tit. IV. Lib. I. Nov. Recop.* et ad unguem observetur, *Philippi II. Instructio ad calcem ejusdem Tit. adposita.* (\*)

#### *De Clericorum ab Sordidis Muneribus Exemptione.*

XX. Ab sordidis muneribus non modo Personæ Clericorum verum et Ecclesiæ prædia erant exempta. Id ex pluribus

bus Constantii, Valentiniani, et Theodosii Legibus liquet, quas non modo confirmavit Honorius, verum et ejusmodi immunitatem antiquum Ecclesiæ privilegium dixit: *Leg. X. et XIII. Cod. Theod. Tribut. in ipsis specieb. et Leg. XV. XXI. et XXIV. de Extraord. sive Sord. Muner.*

XXI. Sordida munera, et ab iisdem exemptiones recensentur eadem Leg. XV. his verbis: *Sordidorum vero munerum talis exceptio sit, ut patrimoniis dignitatum superius digestarum nec 1. conficiendi pollinis cura mandetur, aut 2. panis excoctio, aut 3. obsequium pistrini: ne 4. paraveredorum hujusmodi viris, aut parangariarum præbitio mandetur: 5. operarum, atque artificum diversorum: 6. excoquendæ etiam calcis obsequia, nulla de talibus adjuncta poscantur: 7. materiam, lignum, atque tabulata exceptorum virorum patrimonia non præbeant: 8. carbonis quoque ab hujusmodi viris præbitio desistat: 9. publicis, vel sacris ædibus construendis, atque reparandis: 10. hospitalium domorum minime curæ subjaceant: 11. viarum, et pontium talis sollicitudo non oneret: 12. Capituli, atque Temonis necessitatis nulla mandetur: 13. Legatis, atque Allectis sumtus possessio hujusmodi privilegiis munita non ferat.*

XXII. Verum in his sordidorum munerum speciebus, quæ late explicantur ab Jacobo Gothofred. locis indicatis in *Comm. cit. Legis XV.* omnino oportet distinguere munus personale ab reali præstatione, quæ rationem tributi potius habebat, quam sordidi muneris. Et quidem quoad personalem functionem Clerici semper exempti fuere: at quoad realem præstationem varia fuit sub diversis Imperatoribus Clericorum conditio. Exemplo sint *Angariæ, et Parangariæ.*

XXIII. Hisce nominibus donabantur præstationes agendi, ferendi comæatum pro militibus, aliaque hujusmodi ad Principis ærarium spectantia. Ubi hæ transvectiones fiebant via publica, et ordinaria dicebantur *Angariæ*: ubi vero fiebant cursu transverso dicebantur *Parangariæ*. In utrisque his si munus spectes personale, uti ducere jumenta, plaustra, aliaque vehicula, ab eo sane quod sordidum censebatur, Clerici prorsus, ac semper fuerunt immunes. At idem statui nequit de reali præstatione pecuniæ, equorum, vel plastrorum, ad quam Clericorum, atque etiam Ecclesiarum pos-

sessiones aliquando obligatæ fuerunt : id quod etiam intelligas de instauratione viarum, constructione pontium, aliisque extraordinariis ac sordidis muneribus. (\*\*\*) Ab *Angariis* ceterisque publicis servitiis immunes voluit Clericos *Reccaredus* in Syn. Toletan. III. *Can. XXI.* *Sisenandus* in Tolet. IV. *Canone XLVII. alias XLVI.* et *Alphonsus Sap. Leg. LI. Tit. VI. Partit. I.* Consonat quoque *Lex XI. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop. (\*)*

*De Reali Clericorum Immunitate, sive de Exemptione à Tributis.*

XXIV. Ac primo Ecclesiastica prædia, quibus potissimum Episcopi, ac Clerici alebantur, ea sub Constantino ab tributis omnino fuisse exempta patet ex egregia ejusdem Imperatoris lege: *Leg. I. Cod. Theod. de Ann. et Tributis: Præter privatas res nostras, et Ecclesias Catholicas, nemo ex nostra jussione præcipuis emolumentis familiaris juvetur substantiæ.* Atqui hæc immunitas posteriorum Imperatorum Constitutionibus, vel revocata, vel duntaxat temperata videtur.

XXV. Fortasse sub Constantino, quum Ecclesiæ reditus nonnisi tenues essent, illius bona, ac prædia à tributis generatim immunita fuere; quum vero deinceps Ecclesia possessionibus abundaret, tunc primum ad quædam duntaxat peculiaria tributa pensitanda legibus imperatoriis urgeri potuit. Juvat hic varia tributorum genera distinguere, ac simul à quibusnam Clericorum, et Ecclesiarum bona immunita fuerint, historici tantum partes agendo, indicare.

XXVI. Ac primo illud tributi genus occurrit, quod ab hominibus ratione agrorum, et possessionum suarum exigebatur; quodque in Jure Civili, et vetustis Scriptoribus *Inlatio canonica*, sive ordinaria, ut ab extraordinaria distingueretur, dici consuevit: aliquando etiam *Capitatio terrena* nuncupatum est, ne confunderetur cum humana, sive censu capitum, de quo *supra §. VIII.* egimus. Atqui ab hoc tributi genere videntur non fuisse exempta; quum enim speciali Principum favore Ecclesiæ Thesalonicensis, Alexandria, et Cpolitana immunes prodantur: *Leg. XXXIII. Cod. Theod. de Annon. et Trib. et ib. Leg. VI. de Patrocinii Vicorum;* profecto patet non commune omnium Ec-

clesiarum privilegium fuisse. Quamobrem S. Ambrosius Orat. contra Auxentium de tradendis Basilicis: *Si tributum, inquit, petit Imperator, non negamus; agri Ecclesiastici solvunt tributum.... solvimus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. Tributum Cæsaris est, non negamus.*

XXVII. Alterum erat Tributi genus, quo novi milites, atque equi novi militares Imperatori præstandi erant; hoc tributum *militum tyronum, et equorum canonicorum præbitio* dicebatur. Quum vero pecunia equorum loco pensitabatur, tunc ejusmodi tributum *aurum tyronicum, et stratioticum* dictum est. Ab eo Clericos exemptos voluit Theod. Junior: *Leg. XXII. Cod. Theod. de Tyronibus.*

XXVIII. Lege Constantii immunes quoque erant à vectigalibus pendendis ratione tenuis mercaturæ: *Leg. VIII. Cod. Theod. de Episc. et Cler.* Tunc enim Clericis duntaxat inferioribus fas erat ad victum sibi comparandum modestum quoddam industriæ genus exercere. At vero quum nonnulli ex Clericis hac immunitate ad avaritiam abuterentur, hinc eorum negotiatio ad certam pecuniæ summam est redacta: *ib. Leg. XI. et Leg. XV. de Lustrali Conlat.* Jam vero hæc non de quæstuosa, sed de moderata tantum industria ad victum quærendum Clericis duntaxat inferioribus permissa intelligenda sunt; et quidem pro eo tempore, quo exigui Ecclesiæ redditus ad danda universo Clero honesta alimenta satis non erant. Quare Ecclesiæ redditibus adauctis Valentinianus III. legem fecit, ut Clerici nihil prorsus negotiationis exercerent; vel si vellent negotiari, scirent se iudicibus subditos Clericorum privilegio non muniri.

XXIX. Immunes etiam fuerunt ab omnibus *Superindictis*, sive *Extraordinariis*; hoc est ab iis tributis, quæ Imperatores præter ordinaria, et canonica, urgente quadam necessitate, irroganda decernebant. Ita Constantius Imp. *Leg. VIII. Cod. Theod. de Episc. et Cler.* Tum Honorius, et Theodosius Junior *ib. Leg. IV.* quas leges postea Justinianus firmavit *Novell. CXXXI. cap. 5.*

XXX. Ex eadem Honorii lege exempti quoque erant ab tributis ad viarum, ac pontium conservationem, et instauracionem conferendis: verum aliquot post annis legibus Theodosii Jun. *Leg. III. Cod. Theodos. de Itin. muniendo, et*

Valentiniani III. *Novell. XXI. ad Calcem Cod. Theod.* ea immunitas non modo Clericis, verum, et ipsis Ecclesiis adempta fuit. Lex Theodosii ita se habet: *Ad instructiones, reparationesque itinerum, pontiumque nullum genus hominum cessare oportet. Domos etiam divinas, ac venerandas Ecclesias tam laudabili titulo libenter adscribimus.*

XXXI. Immunes etiam aliquando fuerunt ab tributis solvendis intuitu *Angariarum, et Parangariarum*: uti ex binis Constantii Legibus, scilicet *X. et XIV. Cod. Theod. de Episc. et Clericis*, quas confirmarunt Theodosius M. *ib. Lege V. de Extraord. sive Sord.* et Honorius *ibid. Leg. XL. de Episc. et Cleric.* Verum an. 440. Theodosius Jun. et Valentinianus III. suis legibus sanxere, neminem, neque possessiones, quæ ad sacrosanctas Ecclesias pertinent, ab Angariis, et Parangariis Imperatore iter faciente excusari: *Leg. XI. Cod. de Sacros. Eccles. et Leg. XXI. ib. de Curs. public. Ang. et Parang.* Id quod de Tributo, haud vero de sordido munere præstando intelligas; uti supra §. XXII. notavimus.

XXXII. Tandem bona Ecclesiæ immunia erant à tributo, quod *Denarismus Unciæ*, sive *descriptio lucrativorum* appellabatur. Huic tributo obnoxia erant prædia illa, quæ quis ex curialibus alii cuidam relinqueret. Is, in cujus manus ejusmodi bona pervenissent, non quidem ex causa onerosa, puta ex emtione, sed ex titulo lucrativo, nimirum ex donatione, vel testamento pro singulis jugis singulos denarios, sive uncias solvere quotannis debebat: ita ex binis Theodosii M. Legibus; nimirum *CVII. et CXXIII. Cod. Theod. de Decurion.* quod tributum postea Theodosius Jun. et Valentinianus III. duplicarunt: *ibid. Leg. un. Quemad. muna.* Porro, ubi Ecclesiæ donatione, vel testamento Curialium bona acquirerentur, ab ejusmodi tributo binis Justiniani legibus exempta erant: *Leg. XXII. Cod. de Sacros. Eccles. et Novell. CXXXI. cap. 5.* Num ante Justinianum eadem immunitate fruita sint, non constat.

XXXIII. Igitur Bonorum Ecclesiæ, et Clericorum Immunitas sex prioribus Ecclesiæ sæculis non semper eadem fuit, sed variam diversamque conditionem subiit, prout Imperatores magis, minusve in Ecclesias, atque earum ministros Clericos indulgentes fuerunt.

XXXIV. Jam vero duo constare videntur. Primum: Ecclesias, licet ab pluribus tributorum speciebus immunes, ratione tamen agrorum, et possessionum suarum ordinaria, et canonica tributa jam inde ab iv. exeunte sæculo ad usque Justiniani tempora semper solvisse. Id tum ex modo dictis manifestum est, tum quoque ex binis Justiniani legibus; nimirum *Novell. XXXV.* qua decernit, *ut prædia in Ecclesiis à laicis translata, iisdem oneribus, quibus jam antea subijciebantur, sint obnoxia:* Et *Novella XXXVII.* qua bona ab Arianis ablata Ecclesiis Africanis restitui quidem jubet, sed hac adjecta clausula: *ut tamen publicas pro iis pensiones conferant.*

XXXV. Alterum: Bona Clericorum patrimonialia ab ordinariis tributis exempta non fuisse. Et sane Constantinus Imp. *Leg. XV. Cod. Theod. de Episc. et Cler.* sic statuit: *De his sane Clericis, qui prædia possident, sublimis auctoritas tua non solum eos aliena juga nequaquam statuet excusare, sed etiam pro his, quæ ipsi possident, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgere.* Atque adeo eidem legi adjicitur, hujusmodi Imperatoris decretum æquum visum fuisse Episcopis, ac maxime justitiæ convenire.

XXXVI. Eodem vi. sæculo, quo realis Ecclesiarum, et Clericorum immunitas ex Imperatorum sanctionibus ita se habebat, Galliarum Reges satis amplam Ecclesiis immunitatem concessere; ac primo quidem Chlodoveus, tum postea Chlotarius, cujus constitutio, quæ refertur *Tom. V. Concil. Edit. Labean.* sic habet: *Agraria pascuaria vel decimas porcorum Ecclesiæ pro fidei nostræ devotione concedimus. Ita ut actor, aut decimator in rebus Ecclesiæ nullus accedat. Ecclesiæ, vel Clericis nullam requirant agentes publici functionem, qui avi, aut genitoris, aut germani nostri immunitatem meruerunt.*

XXXVII. Hanc immunitatem, qui secuti sunt Galliarum Reges non confirmarunt modo, verum et ampliarunt. Carolus M. unicuique Ecclesiæ integrum *Mansum* ab omni tributo immunem concessit. *Mansus* Ecclesiasticus dicebatur ea agri portio, quæ in dotem Ecclesiæ adsignari solebat, vel Presbytero Ecclesiæ deservienti cum aliquod mancipiis. Ita Du-cange in voce *Mansus.* Id confirmarunt Ludovicus I.

dovicus Pius *Lib. I. Capitul. cap. 85.* et Carolus Calvus *Capitul. Tit. XXXVII. cap. 11.* Eandem Immunitatem Imperatores ad omnia prædia, et possessiones Ecclesiarum, et Monasteriorum extendisse patet ex Capitularibus *Lib. V. cap. 229. et Lib. VI. cap. 109.* Iisdem tamen Capitularibus *Lib. IV. cap. 37.* decernitur, ut si novæ terræ ad Ecclesiam perveniant censui subjectæ, tributa, quæ inde solvebantur, omni modo persolvere pergant.

XXXVIII. Verum in Regno Neapolitano aliter se res habebant. VII. enim sæculo prædia Ecclesiastica videntur non fuisse à tributis exempta. Namque Constantinus Pogonatus an. 681. Agathonì Papæ indulisit, ut de Patrimoniis S. Petri exstantibus in Sicilia et Calabria nullum exsolveret tributum. Idem etiam pro patrimoniis exstantibus in Lucania, et apud Brutios Romanæ Sedi indulisit Justinianus Rinothmetus. Profecto hæ speciali privilegio indultæ immunitates indicant reliqua Ecclesiastica prædia non fuisse à tributis exempta.

XXXIX. Concilia Ecclesiæ quod spectat, Immunitas à Chlodoveo Ecclesiis tributa refertur in Synodo Aurelian. I. an. 511. *Can. v.* Tum exemptio *Mansi* Ecclesiastici firmata reperitur in Synodis Meldensi an. 845. Wormatiensi an. 868. et Troslejana an. 924. Synodus quoque Valentiana III. an 855. constituit; *ne de dotibus Ecclesiarum ullus census à Sæcularibus exigatur.* Tum Concilia, et Episcopi ix. et x. sæculo in id potissimum incubuerunt, ut unicuique Ecclesiæ integer *Mansus* immunis à tributis assignaretur, et conservaretur. Unde non abs re colligitur bona Clericorum patrimonialia exempta à tributis non fuisse; præsertim quum in *Can. Wormatiensi* relato in *cap. 1. de Censibus* statim subnectatur: *Et si quid aliquid amplius habuerint, inde senioribus debitum servitium impendant.*

XL. Verum Concilia Lateranensia sub Alexandro III. et Innocentio III. bona Ecclesiarum, et Clericorum prorsus à tributis immunita sanxere. Quod de patrimonialibus etiam Clericorum bonis intellexisse inde evincitur, quod hoc sensu illam immunitatem acceperunt Concilia per ea tempora celebratâ; uti Narbonense, Tolosanum, Coloniense &c. et pro Regno Neapolitano Melphitanum sub Urbano II.



an. 1089. *Can. II.* Id quod ratum quidem habuerunt Principes nostri Carolus II. in *Capit. 98.* et Ferdinandus Aragonius *Pragm. III.* at quibusdam adjectis conditionibus; et quidem Carolus II. eam immunitatem tantummodo de bonis ad Clericos legitime spectantibus intelligendam voluit; et Ferdinandus Arag. à Clericis tributa exigi jussit de bonis, quæ per Contractus adquisierint.

XLII. Denique hac de re actum est in novissimo Concordato, quo *Cap. I.* decernitur, ut Bona Ecclesiarum æque ac laicalia in Censum, sive *Catastum* referantur; at Ecclesiæ tantummodo medietatem quantitatis, quam laici solvunt, conferant: tum pro bonis, quæ Ecclesiis in posterum adquirantur, integra exigatur pensio, exceptis bonis Ecclesiarum Parochialium, Hospitalium, Seminariorum, et sacris Clericorum patrimoniis, quæ summam ducatorum quadraginta non excedant, modo Clericus ad titulum beneficii non sit ordinatus.

XLII. Præterea Episcopis conceditur exemptio à vectigali farinæ pro quantitate taxanda à Nuntio Apostolico, habita ratione familiarium, et eleemosynarum panis, quas distribuere solent: Clericis pro sex farinæ modiis: Regularibus, Sanctimonialibus, et Seminariorum alumniis pro quinque: ceterarum vero specierum exemptiones Clericis adhuc constant prout moris erat ante Concordatum. Porro hæc realis immunitas non nisi iis Clericis impertita est, qui sacro Subdiaconatus ordine jam fuerint insigniti. Adhæc neque immunitate à vectigalibus ii Clerici uti possunt, qui licet jam Subdiaconi, tamen extra propriam patriam, vel extra locum domicilii, aut beneficii vitam ducunt. Ubi vero alicujus Ecclesiæ, Scholæ, aut locii pii ministerio fuerint addicti, bene ea immunitate fruuntur, et quidem in loco, ubi ministerio funguntur. Postremo exemptiones, quibus fruebantur Archiepiscopus, Clerus Sæcularis, et Seminarium urbanum Neapol. nihil per Concordatum immutatae sunt, quin potius firmatae.

(\*\*) XLIII. Ad Hispaniam quantum attinet Joannes I. *Leg. XI. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* et Catholicus Reges Ferdinandus et Elisabetha *Leg. VII. Tit. XVII. Lib. IX. ejusd.* bona Ecclesiarum, et Clericorum à tributis, rea-

libusve præstationibus, iis exceptis quæ ad commune bonum respiciunt, exempta judicarunt. At ne plus æquo privilegium extenderetur, Joannes I. eam immunitatem de bonis tantum intelligendam sanxit, quæ aliquo onere reali subjecta non essent: Ferdinandus vero et Elisabetha à Clericis tributa exigenda esse de bonis per negotiationem adquisitis, decrevere. (\*)

(\*\*) XLIV. Verum quum Ecclesiasticorum bona titulis sive oneroso, sive lucrativo acquisita ita in dies augeri cœpissent, ut nisi provide occurreretur, quamprimum eveniret laicorum propria, quæ regiis vectigalibus subjacent, adeo imminui, ut nequaquam iisdem solvendis satis esse possint, serius hac de re actum est in Concordato an. 1737. in cujus articulo VIII. statuitur, ut bona à quocumque Capitulo Ecclesiarum, quocumque Monasterio, quacumque Congregatione, vel Pio loco, qualibet via comparata, præter ea quæ adpellantur *primæ foundationis*, subjecta sint eisdem præstationibus, quibus reliqua aliorum civium bona, dummodo hæc gravata non sint aliqua impositione, ex his, quas Apostolica Sedes concedere consuevit Regibus, ut à Clericis solvantur. Ad hanc tamen solutionem cautum est, ne per ministros Tribunalium laicorum cogantur. (\*)

(\*\*) XLV. Et quidem duo sunt pensitationum genera, quæ ex Apostolica dispensatione Reges nostri exigunt à Clericis. 1. Gratia *Subsidii* ad quinquennium primo concessa à Pio IV. die 2. Martii an. 1561. vi cujus ab omnibus simul Hispaniæ Clericis exsolvenda est quotannis viginti millium ducatorum summa. 2. Gratia *Millionum* ad sexennium concessa à Gregorio XIV. die 16. Augusti an. 1591. vi cujus ab omni simul Clero Sæculari, et Regulari Regnorum Castellæ et Legionis exsolvitur summa decem et novem millionum cum dimidio. Prætermittimus Gratias *Excusati, Novarium, et Tertiarum*, de quibus Lib. II. Tit. de *Decimis*. (\*)

(\*\*) XLVI. Hæc, ita vocatas, Gratias, quas Apostolica Sedes pluries prorogavit, petentibus Philippo III. IV. et V. ac Ferdinando VI. tandem Benedictus XIV. in perpetuum extendit 6. Septemb. an. 1757. (\*)

(\*\*) XLVII. Insuper idem Benedictus eodem die, ac anno Ferdinando VI. ejusque Successoribus indulisit, ut quælibet bo-

na nedum Clericorum quacumque vel Episcopali Dignitate fulgentium, verum et Ecclesiarum, Monasteriorum, omniumque Piorum locorum, et Beneficiorum; et uno verbo, omnia, quæ ab Ecclesiis, vel ab Ecclesiasticis possidentur, in *Catastrum* referantur, et *Unicæ Contributioni* subiaceant; ea adjecta conditione, quod ut servetur illorum immunitas, inter eos singulis annis dividatur duorum millionum et octingentorum millium regalium summa; ita tamen, quod vigente *Catastro*, cessent quinque præfata impositionum genera. Concessit etiam ut possit Rex seligere personam in Ecclesiastica Dignitate constitutam, quæ censuris, et pœnis temporalibus possit Ecclesias, et Ecclesiasticos ad solutionem compellere; salva semper Constit. Clementis V. circa Ornamentorum obligationem, et alienationem. Non tamen conveniens visum est adhuc Regibus nostris *Unicam* stabilire *Contributionem*. (\*)

### *Subsidia Voluntaria.*

XLVIII. Liberum est Ecclesiasticis de bonis Ecclesiæ, et beneficiorum voluntariâ Principi subsidia ob Reipublicæ necessitates offerre. Hujus rei nonnulla occurrunt exempla sæculo VIII. et IX. Ac præcipue ex Synodi Vernensis an. 755. *Can. VI.* et ex Capitulari Ludovici Pii an. 817. constat, eo tempore usum invaluisse, ut Monasteria singulis annis dona quædam, ac munera Regi offerrent, quæ quidem primum voluntaria, dein in quandam necessitatem abiere. In Synodo prope Theodonis villam habita consentientibus gloriosis Principibus Lothario, Ludovico, et Carolo sancitum est ex una parte quidem, ne Principes pro exigendis subsidiis res Ecclesiæ invadant: ex altera vero, ut quisque Ecclesiasticus *juxta quantitatem rerum Ecclesiæ sibi commissæ subsidia, quibus Respublica indiget, promte et ex animo pareret, et impigre studeat offerre.*

XLIX. Tum Concilium Lateran. sub Alexandro III. *Cap. 4. de Immunitate* sub anathemate quidem prohibet collectis, et exactionibus res, et personas Ecclesiasticas gravari: at statim subjungit; *nisi Episcopus, et Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem adspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates ubi non suppetunt fa-*

*cultates laicorum, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.*

L. Ne vero Clerici facilius quam oporteat ea subsidia decernant, consulendum R. Pontificem Innocentius III. *Cap. 7. eodem*; et Bonifacius VIII. *Cap. 3. §. 1. eodem in VI.* Sedis Apostolicæ veniam omnino requirendam sanxere sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ac S. Sedi reservata. Unde orta sunt dissidia inter eundem Bonifacium, et Philippum Pulchrum Galliarum Regem. Videsis Natalem Alexand. *Dissert. VIII. in Sæculum XIII. et XIV.* Quam tamen Constitutionem Benedictus XI. pertinere voluit ad exigentes à Clericis, non ad recipientes à sponte offerentibus. Eandem demum Clemens V. prorsus abolevit: *Clementina unica de Immunitate Eccles.* Pro Regno Neap. jus obtinet, ut Rom. Pontifex petente Rege subsidia conferenda decernat. Quo pacto an. 1743. Benedicto XIV. decernente à Clericis beneficiariis Regni Neap. Carolo Borbonio subsidia collata sunt pro gravissimis impensis factis ad averteudam pestem Messanensem à Regno Neapolitano.

## TITULUS IX.

### *De Summo Pontifice.*

I. Inter plures, variosque Ecclesiasticæ Hierarchiæ gradus principem habet locum R. Pontifex, quippe qui in universa Ecclesia Primatum non humani, at divini juris habet, et Caput est totius Ecclesiæ. Tum primatus hic non modo honoris, et dignitatis, verum et potestatis auctoritatisque est. Qua de re pluribus, iisdemque honorificis titulis præ reliquis Orbis Christiani Episcopis in Ecclesia perpetuo, ac universali more decorari consuevit: et quidem jure meritoque, quum Petrus, cui R. succedit Pontifex ab ipso Christo Domino præcellentem supra ceteros potestatem, auctoritatemque acceperit, et primarium Ecclesiæ fundamentum fuerit constitutus, commutato etiam nomine, nimirum, ut illo Simonis abjecto, dein Syriace *ΡΟΝΟ Cbipho*, Græce *πικρος*, Latine *Petra*, sive *Petrus* nuncuparetur.

II. Igitur R. Pontifex passim in veteri Ecclesia ab antiquis

quis Patribus, et Conciliis meritissimo jure adpellatus est *Pater Patrum*, *Apostolicum culmen*, *Petra*, et *Fundamentum Ecclesiae*, *Apex totius Episcopatus*, *Pontifex Christianorum*, *Summus Sacerdos*, *Ecclesiae Universalis Antistes*, *Summis omnium Praesidum Pontifex*, *Ecclesiae Caput*, *Christi Vicarius*, *Christi Ovilis Pastor*, *Christi vineae Custos*, *Caput omnium Episcoporum*, *Caput unitatis*, *potissimus Sacerdos*, *Caput omnium Domini Sacerdotum* &c.

III. Tum R. Ecclesia utpote S. Petri, ejusque Successorum Sedes, ipsa quoque *Ecclesia Principalis* nominata est: *Petri Cathedra*, *Unitatis Ecclesiasticae centrum*, *Ecclesia*, *unde unitas Sacerdotalis exorta est* &c.

IV. De nomine *Papae*, quo R. Pontifex pluribus abhinc saeculis communi loquendi usu distinguitur, hic pauca dare juvat. Etymon si quaeras, quidam conflatum putant ex notis *Pa Pa*, quae significant *Patrem Patrum*: quo nomine R. Pontifex crebro distinguitur in antiquis monumentis. At vero Vossio, aliisque ductum placet à Græco *πάππαι*, vel *πάππαι*; qua voce blandientes, vel balbutientes pueruli parentes suos compellere solebant; uti pluribus demonstrant Lexicographi; ac praesertim ex Philemone Comico apud Athenæum *Lib. VIII.* ubi legitur: *χαίρει πάππαι φίλοι μου*; et ex Homero *Odyss. Lib. VI.* ubi puerula sic Patrem compellat: *πάππαι*

V. Hoc nomen antiquitus Clericis omnibus commune erat, uti ostendit Walfridus Strabo *de rebus Eccl. Cap. VII.* dein vero solis tributum est Episcopis. Et sane in antiquis Ecclesiasticis monumentis tributum reperitur Cypriano, Athanasio, Augustino, aliisque Episcopis. Sed reverentiae causa peculiariter junior Episcopus seniorem sic vocabat; quemadmodum *ex Can. LIV. Synod. Carthag.* probat Josephus Scaliger *Elencho tribarès. Serrarii.* Denique saeculo XI. Constit. S. Gregorii P. in Syn. Rom. an. 1072. Isancitum fuit nulli in toto orbe licere, sive se, sive alium, praeter R. Pontificem, Papam nuncupare. Videsis Benedictum XIV. *de Syn. Dioces. Lib. I. cap. 3.* et Card. Baronium *in notis ad Martyrol. ad diem XXI. Maii.*

VI. R. Pontificis supra omnes Christiani Orbis etiam Patriarchales Ecclesias Primatum argumentis tum è Sacro Co-

dice, tum ex antiqua Ecclesiastica Traditione depromtis fuisse demonstrant Theologi in Tractatu de *Locis Theologicis*, ubi quoque de ejusdem R. Pontificis ἀρχαία, sermo habetur. Nos pro instituti nostri ratione tantummodo ex eo R. Pontificis Primatum demonstrabimus, quod jam inde ab ævo Apostolico potestatem in universa Ecclesia exercuerit.

VII. Ac I. quidem sese divinus Primatus exercuit canones condendo, canones exsequendo, ad canones cogendo reliquos in Episcopatu Fratres.

2 Sese latius explicuit nutantes in fide confirmando, devios ad fidem revocando, pertinaces à fidei communionem segregando.

3 Sese duculentiùs protulit unitatem commendando, ad unitatem cogendo, unitatem vindicando: unitatis enim, ut centrum est R. Ecclesia, ita Tutor, et Vindex est R. Pontifex.

VIII. Tria hæc capita petitis undequaque ex antiquitate monumentis explicare hic, et adstruere nostri instituti ratio non sinit, id quod, Deo dante, in nostris *Antiquitatibus Christianis* præstabimus. Tantummodo juvat paucis indicare tres præcipuas Sedis Apostolicæ prerogativas ex constitutis illis capitibus, tanquam ex jactis fundamentis, exsurgentes: nimirum I. Ad Romanam Sedem oppressorum omnium ex universo orbe perflugium, ac recursus. II. Romanæ Sedis in dubiis sive doctrinæ, sive disciplinæ communis gravioribus consultatio. III. Ad Romanam Sedem graviorum caussarum sive post, sive etiam antè in Provinciis judicium relatio: nihilque finitum in quaque Ecclesia unquam creditum nisi calculus R. Pontificis accessisset.

IX. Ac primo ex universo christiano orbe ad Sedem Romanam confugere, qui se gravatos putabant, consuevere. Sæculo II. Marcion ab Episcopo suo excommunicatus ad Pium I. Romam contendit, ut absolutionem obtineret. Epiphanius *Heresi XLII.*

Sæculo III. Fortunatus, et Felix à Cypriano, communionem privati ad Cornelium Papam provocarunt: Cyprianus *Lib. I. Ep. 3.* Nec ita multo post Stephano Romanam Sedem habente Basilides in Hispania depositus ad Stephanum supplex accessit: Cyprianus *ib. Ep. 4.* Dionysius Alexandrinus apud

Dionysium Romanum accusatus in Synodo, quæ tunc Romæ habebatur, litteras Apologeticas pro sua *orthodoxia* conscriptas ad eundem Romanum Pontificem dirigendas curavit: S. Athanasius *Lib. de Sent. Dionysii.*

Sæculo IV. Melchiades jus dixit in caussa Cæciliani, qui à septuaginta Episcopis Numidiæ damnatus jam fuerat: Eusebius *Lib. X. cap. 5.* Athanasius Alexandrinus, et Marcellus Ancyranus, ab Orientalibus depositi ad Julium I. sese receperunt, ut restituerentur, à quo in communionem recepti sunt: Sozomenus *Lib. III. cap. 2.* Dein paucis post annis Concilium Sardicense Episcopis permisit, ut in Synodis Provinciæ depositi ad Rom. Sedem adpellare possent; tum subdit: *Alter Episcopus in ejus Cathedra post adpellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi caussa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* Tum eodem sæculo Eustathius Sebastenus ab Arianorum factione vexatus Romam confugit ad Liberium, à quo litteras obtinuit, per quas restitueretur; ut ait S. Basilius *Ep. 74.* Paulinus Episcopus Antiochenus ab Orientalibus rejectus, de horum judicio apud Damasum Papam conquestus est: Basilius *Epist. 349.* Ad Innocentium I. recurrit Chrysostomus, uti ex *binis ejus Epistolis* ad Innocentium. Ad ipsum quoque Innocentium confugerunt Bubalius, et Taurianus in Synodo Illyriciana damnati: Innocentius *Epist. 6.*

Sæculo V. Cælestius Pelagianus in Synodo Carthaginensi an. 412. damnatus ab Africanorum sententia ad Romani Episcopi examen adpellandum esse credidit: Marius Mercator in Commonitorio *Cap. 1.* Apiarius Presbyter ab Urbano Episcopo primum damnatus, dein et ab Synodo Africana, ad R. Pontifices Zosimum, et Cælestinum sese recepit, à quibus benigne exceptus est. At de Apiarii controversia opportunior redibit sermo *Lib. III. Tit. XIV.* Ad ipsum Zosimum Proculi Marsiliensis Episcopi caussa delata est, et quidem instante ipso Arelatensi Metropolita Patroclo, uti ex *binis ejusdem Zosimi Epistolis* liquet. Valentiniæ civitatis Clerici suum Episcopum Maximum apud Bonifacium Roman. Pontificem accusarunt, proponentes per libellum crimina, quæ Maximum, teste tota provincia, adserebant commisisse: Bonifacius *Epist. 3.* Celidonis Episcopus Gallica-

nus in Synodo Arêlatensi rejectus urbem Romam ad Leonem contendit, ibique conquestus est se injusto rigore damnatum: S. Leo *Epist.* 10. Eutyches à Flaviano in Synodo Cpolitana damnatus ad S. Leonem recurrit; uti ex ejusdem Leonis *Epist.* 20. ad Flavianum. Flavianus ipse Latrocinio Ephesino iniqua sententia depositus Legatis Romanæ Sedis adpellationis libellum obtulit, quo se adversus Synodalem sententiam ad S. Leonem provocare declaravit: *Epist.* S. Leonis 39. et 40. Ad eundem Leonem adpellavit quoque Theodoretus, à quo restitutus est: unde Actione II. Concilii Chalcedonensis legimus: *Ingrediaturret Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia restituit ei Episcopatum SS. Archiepiscopus Leo.* Porro in his, aliisque sexcentis, quæ adferri possent, antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, quis non videt singularem Sedis Apostolicæ prærogativam? Scilicet, ut ex universo christiano orbe ad Sedem Apostolicam confugerent, qui se gravatos in Provinciis putarent.

X. Alterum quod spectat, 1. Hieronymus *Ep. ad Ageruchiam* diserte scribit se apud Damasum ad respondendum Synodicis consultationibus, quæ ex Oriente, et Occidente ad R. Sedem mittebantur, operam navasse. Ipse Hieronymus in quæstione, num una in Deo, an tres dicendæ sint hypostases, aperte fatetur se tres hypostases dicturum, si Damasus dici jubeat. Cyrillus Alex. dum Nestorium ad saniores mentem crebrioribus litteris frustra revocare experitur, rem omnem ad Cælestinum ex more Ecclesiarum refert: *Longa Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res sanctitati tue communicentur.* Tum Cælestinus Nestorium hæreseos auctorem sacerdotio privat, et Cyrillo dat in mandatis, ut R. Sedis auctoritate adscita, sententiam istam exsequatur, et Cpolitanae Ecclesiæ prospiciat. Hoc Cælestini judicium in Synodo Ephesina probatum est. In Nestorium enim damnationis sententiam dum proferunt, ad id coactos se Patres fatentur, et à sacris Canonibus, et ab Epistola sanctissimi Episcopi Cælestini: *ἀναγκαίως καὶ παρεχόμεναι ἀπὸ τῶν πάντων πατέρων, ὡς ἐν τῆς ἐπιστολῆς τῆς ἁγιωτάτης πατρὸς ἡμῶν.* Quare legitime, et ex ordine loquitur Justinianus, dum scribit, omnia, quæ ad unitatem, et statum Ecclesiæ spectant, refer-



riâ se ad beatitudinem Papæ veteris Romæ, eo quod sit *Caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum*: Leg. VII. Cod. de Sum. Trinit. Hactenus de Oriente; pauca subnectere liceat de Occidente.

XI. Ac primò damnata hæresi Pelagiana Synodi Milevitana, et Carthag. ad Innocentium I. retulerunt, ut Synodicæ definitioni *Apostolicæ Sedis adhiberetur auctoritas*: Ep. Conc. Milev. ad Innocentium I. Qua de re Augustinus *Serm. II.* de verbis Apostoli: *Jam de hac re duo Concilia ad Rom. Sedem transmissa sunt, inde rescripta venerunt, lis finita est.* Innocentius I. *Epist. ad Synodum Milevitanam* pluribus ostendit antiquam esse consuetudinem, ut in rebus dubiis, præsertim si de fide agatur, ex omnibus provinciis ad Rom. Sedem referatur; *præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, et coepiscopos nostros non nisi ad Petrum.....referre debere, velut nunc retulit dilectio vestra; quod per totum mundum prosit Ecclesiis omnibus.* Jam vero etiã ante Innocentium, quum Hicmerius Tarracon. Episcopus Siricium de quibusdam communis dubiæ disciplinæ capitibus consulisset, consultationi Hicmerii respondens Siricius sic loquitur: *Ad Romanam Ecclesiam utpote ad caput tui corporis retulisti.* Porro non est, cur hic longius immoremur. Videsis Natalem Alexandrum *Dissertat. IV. in Hist. Eccles. Sæc. I.*

XII. Tertio denique graviores causas sive post, sive etiã ante Episcopale in provinciis iudicium, R. Sedi deferri consuevisse pluribus demonstratur. Ac i. uti observabimus *Tit. XIX. §. XVII.* in extraordinariis quibusdam, et inusitatis casibus ad R. Pontificem devolvebatur jus electionis, et confirmationis quorundam Episcoporum etiã Orientalium. Unde S. Leo M. Maximum in Episcopatu Antiocheno: Conc. Chalced. *Act. VII.* et Anatolium in Episcopatu Cpolitano confirmavit: *Epist. ejusdem Leonis ad Marcianum.* Tum S. Gregorius M. passim in suis Epistolis indicat se mittere Pallium, quod est Archiepiscopatus insigne, ad varios Metropólitas Græciæ, Galliæ, Hispaniæ, &c.

XIII. De Episcoporum depositione antiquiora, et perspicuora habemus monumenta, quibus constat, R. Pontifices sæpe rogatos, ut Episcoporum depositionem in Synodis fe-

rendam juxta Canones vel curarent, vel urgerent pro sua ipsorum auctoritate. S. Cyprianus *Lib. III. Ep. 13. ad Stephanum Papam*, ipsum rogat, ut *ad plebem Arelate consistentem litteras dirigat, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur*. Tum Nicolaus I. octo recenset Patriarchas à Rom. Pontificibus depositos. Præterea Dioscorus Alexandrinæ Sedis Episcopus in Œcumenica Synodo auctoritate præcipue Sedis Apostolicæ depositus est: Conc. Chalced. *Act. II.* et Gelasius P. *Epist. ad Episcopos Dardanice*. Flavianus Patriarcha Antiochenus à Damaso Pontifice depositus est: Theodoretus *Lib. V. cap. 23.* Præterea Concilia generalia convocare, iisdem vel per se, vel per suos legatos præsidere, eorumque Decreta confirmare; adhæc in disciplinæ communis præceptis exsurgentibus causis dispensare, et Canones in casibus particularibus ratione boni communis relaxare, semper R. Pontificis jura fuere. Hæc profecto ex antiquissimis Ecclesiasticis monumentis perspicua sunt, quam quæ maxime: at quonam jure, nisi Primatus, tantam in omnes Orbis Christiani Ecclesias potestatem R. Pontifex exercuisse dicendus est?

(\*\*) XIV. In Hispania luculentissima habemus monumenta, quibus demonstrari possit R. Pontificis Primatus. Ac primo quoad Canonum curandam observantiam exstat Siricii P. *Epist. ad Himerium Tarracon.* data 3. Id. Februar. an. 385. in qua præfatus Pontifex, cujus prædecessorem consuluerant Tarraconenses, diserte ait in fine: *Nunc fraternitatis tuæ animum ad servandos Canones....magis ac magis incitamus, ut hæc quæ ad tua consulta rescripsimus, in omnium Coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem*. Tum et Innocentii I. *ad Episcop. Syn. Tolet.* quos ad acutam Concilii Nicæni disciplinam observandam exstimulavit. Tum etiam Hilarii P. *ad Ascanium et reliquos Tarracon. Prov. Episc.* data 3. Kalend. Januar. an. 465. in qua decernit; quod *nihil deinceps contra Nicænorum Canonum constitutum tentetur*. Tum denique Hormisdæ P. *ad univers. Episc. Hispan.* data 4. Nonas April. an. 521. in qua nihil nisi summa in promovenda Sacrorum Canonum observantia, vigilantia adparet. (\*)

(\*\*) XV. Secundo quantum ad fidei confirmanda dogmata,

ta, in eis que firmandos fideles, vel devios revocandos, ex eo vel maxime constat Primatus, quod Leo M. Turibio Asturicensi Episcopo scripserit 12. Kalend. Augusti an. 447. et cuncta singillatim Priscillianæ hæresis capita diris devoverit, ac præterea Synodum totius Hispaniæ, vel saltem Galliciæ ad extirpandas erroris reliquias indixerit. Dein ex Epist. Vigili P. *ad Profuturum Brac.* qua Hispaniensis Ecclesia in detestandis Priscilliani, et Arii erroribus confirmatur. Denique ex Epist. præfati Hormisdæ P. *ad omnes Episc. Hispan.* missa una cum Orientalium Patrum professione, ut unitatem fidei, et nostram cum eis communionem stabilendam curaret. Quoad reliquas Romanæ Sedis prærogativas videsis *Tit. XIV. Lib. III. (\*)*

XVI. Accessit his, quod jure Decretalium R. Sedi reservata manserint: 1. Indulgentias plenarias elargiri. 2. Breviarium, ac Missale corrigere, ac mutare. 3. Servos Dei, qui mortem obiere, in Sanctorum canonem referre. 4. Ordines Regulares, eorumque regulas adprobare. 5. Cathedralis Ecclesias erigere, suppressere, unire, easque vel majori dignitate ornare, vel suis prærogativis exspoliare. 6. Episcopos eligere, et confirmare, iis exceptis Episcopatibus, quorum electiones ex Concordatis, uti suo loco dicemus, vel ad Cathedralium Capitula, vel ad Reges pertineant. 7. Inferiores Ecclesiarum titulos, et beneficia in nonnullis casibus Sedi Apostolicæ reservare. 8. Enormia, et atrocia crimina absolvenda sibi unice adscribere. 9. Celebriora quædam vota relaxandi facultatem sibi tantummodo vindicare, uti reapse Rom. Pontifici reservata sunt quinque vota, scilicet castitatis perpetuæ, ingrediendi Religionem adprobatam, et peregrinationis in Jerusalem, ad limina Apostolorum, et ad S. Jacobum in Compostella. Porro de R. Pontifice, ejusque in universalem Ecclesiam Primatu, juribus, prærogativis &c. fusius in nostris *Antiquitatibus Christianis.*

## TITULUS X.

## De S. R. E. Cardinalibus.

**I.** Summi Pontificis Senatum constituunt Cardinales; ita dicti à *Cardinibus*, hoc est titulis, sive Ecclesiis, quibus adfixi, et mancipati sunt. Cardo enim vel est à Græca *κάρδα* *agito*, quia in Cardinibus janua agitatur, et vertitur, vel potius, ut placet Vossio, à *κάρδος* pro *κάρδος* *robur firmitas*; quia in cardinibus sit totum januæ robur. Merito igitur hoc nomen iis Clericis tributum est, quibus Ecclesiæ in titulum collatæ sunt, ut in his quibus perpetuo adfixi essent, principem haberent locum, atque adeo circa eos Ecclesiæ, veluti valvæ circa cardines, volverentur: sic enim recte ab iis distinguuntur, quibus Ecclesiæ ad tempus, et in commendam concredita fuerint. Unde Gelasius P. Ep. ad Cælestium Episcopum, *Episcopum Cardinalem* ab Episcopo *Interventore*, seu *Visitatore*, cui Ecclesiæ ad tempus commissa est, disertè distinguunt: *Can. iii. Dist. 24.* Tum apud Gregorium M. Cardinales dicuntur *Proprii, ac Ordinarii Ecclesiarum Rectores*.

**II.** Principio singulæ Ecclesiæ suos habebant Cardinales; id est Episcopos, Presbyteros, et Diaconos Diocesisibus, Parochiis, et Diaconiis præpositos; et uti pluribus demonstrat Muratorius *Dissert. LXI. Antiquitat. Italiæ*, Cardinalium etiam titulum pleræque Ecclesiæ per plura sæcula retinuerunt, uti Mediolanensis, Ravennatensis, Florentina, Veronensis, Lucensis &c. præcipue vero Neapolitana. Eru- ditis. Mazochius Appendice ad *Dissert. de Neap. Cathedr. Eccles. Diatrib. IV.* et Cl. Sparanus in suo noviter evulgato Opere *Part. II. cap. 2.* pluribus demonstrant, Neapolitani hujusce Cardinalatus antiquitatem jam inde ab vi. aut saltem viii. sæculo deducendam: familiarem vero ejus vocabuli usum sæculo xii. invaluisse. Profecto Diplomati Sergii Neap. Archiepiscopi an. 1177. tres *Presbyteri Cardinales S. Sedis Neap.* subscribunt. Quod et sequentibus sæculis semper est factitatum; uti ex pluribus Mss. diplomatibus apud

apud Chioccarellum, ex Ritibus Ursinianis, ex libro Comitum, ex Actis Synodi Alphonsi Carafæ; ex Actis Visitationis, et Statu Eccles. Neap. Hannibalis de Capua, aliisque monumentis colligitur. Qua de re perennem ejus tituli fuisse consuetudinem contendit ibid. Mazochius: *Nec unquam, inquit, post id tempus (scilicet Hannibalis de Capua) ab ea adpellatione cessatum fuit; nisi quod ab aliquot annis ad declinandam nominis invidiam, non quidem omnes, sed plerique saltem eo elogio ultro abstinere solent, idque modestiæ adscribunt: cetera de eo parum solliciti, si sic pergant, futurum tempus, quo cupientes titulum revocare nequeant.*

III. Ejusmodi Cardinales antiquitus nonnisi septem fuere, et quidem Presbyteri; at vero sæculo xv. primum Diaconi Cardinales adparent; unde colligere datur, hac ætate primum reliquos Canonicos primitivæ institutionis (scilicet septem Diaconos) *Cardinales* nuncupari cœpisse. Et quidem non immerito: sicuti enim Canonici Presbyteri Cardinalium titulo insigniuntur, quod suis Canonicatibus tituli septem veterum Neap. civitatis Ecclesiarum adfixi sunt; haud secus Canonici Diaconi suis Canonicatibus septem veterum ejusdem civitatis Diaconiarum titulos adnexos habent. Ergo Ecclesia Neap. cum Romana tum illud commune habet, quod sicuti hujus, ita et illius Cardinales æque Presbyteri, ac Diaconi ab initio nonnisi urbanæ alicujus, vel Ecclesiæ, vel Diaconiæ Presbyteri, Diaconive fuere, tum et illud, quod utraque Ecclesia septenarium Diaconorum numerum ex æquo inviolate servasse videatur. Adeundi omnino Mazochius, et Sparanus *indicat. locis.*

(\*\*) IV. In Hispania quoque Clerici ita adscripti, et quasi ad cardinem Ecclesiæ cui fuerant ordinati, adligati erant, ut ad aliam transeuntes, *desertores* adpellaverit Syn. Hispal. II. *Can. III.* At Clericos Cardinalium nomine insignitos non invenimus usque ad sæculum xii. quo Archiepiscopus Didacus Gelmirez septem instituit in ejus Ecclesia Compostellana, ex concessione, ut fertur, Paschalis II. sub die 31. Decembris an. 1102. quibus quidem Cardinalibus indulisit idem Paschalis, ut intra Ecclesiam in majoribus festis Mitra uterentur; sed nec Episcopalis, nec Cardinalitæ dignitatis jura concessit. (\*)

V. Romanam Ecclesiam quod spectat, in ea Tituli partim erant Parochiæ, ideoque Presbyteris creditæ, unde Cardinales Presbyteri; partim vero erant Diaconiæ, ideoque Diaconis commissæ, unde Diaconi Cardinales; Romæ enim præter Ecclesias, in quibus Sacramenta administrabantur, erant quoque Hospitalia cum adhærentibus Sacellis, sive Oratoriis; porro hæc, eo quod Diaconis commissæ essent, inde *Diaconiæ* dictæ sunt.

VI. Sæculo VIII. illustrior fieri cœpit in Ecclesia Romana Cardinalium dignitas, cooptatis inter eos septem vicinarum civitatum Episcopis, qui Ecclesiæ Lateranensi addicti, vel Pontifici sacra peragenti præsto essent, vel ipsi sacris operarentur: quo in munere obeundo per hebdomadas alii aliis succederent. Unde Episcopi Collaterales, et Hebdomadarii dicti sunt: Stephanus IV. *Apud Anastasium Bibliothec.* Hi olim erant septem: nempe Ostiensis, Portuensis, Albanensis, Prænestinus, Sabinensis, Tusculanus, et S. Rufinæ, seu Silvæ Candidæ; verum hoc ultimo Episcopatu cum Portuensi conjuncto sex remanserunt. Jam vero, uti observat Thomassinus *Part. I. Lib. II. cap. 115.* proximiores Romæ Episcopi, quippe qui frequentes in urbe essent, pro majorum more invitari consueverant, ut præsto essent Cleri Romani conventibus, ubi majoris aliquid rei consultandum esset. Qua de re unum cum Rom. Presbyteris veluti collegium jam constituebant.

VII. Jam vero secutis temporibus eorundem Cardinalium Dignitas in tantum aucta est, ut non Episcopis modo, verum et Patriarchis præferri vellent: id quod gradatim factum est. Nimirum amplissimæ pontificiæ legationes frequenter Cardinalibus commissæ, negotia vel ex remotis provinciis ad Sedem Apostolicam delata in Cardinalium Consistorio discussa, ac definita: Summi Pontificis electio à Nicolao II. (\*\*\*) primum excogitata, vel novo, si mavis, ritu stabilita in *Can. I. Dist. 23. I. et IX. Dist. 79.* ut malis in posterum obviam iret, quæ occasione Joannis Episcopi Velitrensis in Pontificem sub nomine Benedicti contigerant, dein et ab Alexandro III. in Conc. Lateranensi III. relato in *cap. 6. de Elect.* (\*) reliquo Clero Romano excluso, solis Cardinalibus tributa: ac demum schisma Græcorum, quidam veluti gradus fuere, per quos

quos Romanus Cardinalatus ad tantum fastigium, ac splendorem euectus est. Profecto uti recte observat Cl. Cavalarius *Instit. Juris Canonici Part. I. cap. 12.* Orientis Patriarchæ, ac Metropolitæ nunquam passi fuissent sibi Romanos præferri Cardinales. Quinimmo, uti post alios Canonistas notat Barbosa *Lib. I. Juris Eccl. cap. 3.* usque ad tempora Bonifacii VIII. *nullus erat Episcopus, qui vellet fieri Cardinalis, quia putabant non licere descendere à majore dignitate ad minorem*; primum sub Alexandro III. uti monet Onuphrius Panvinius de Episcopatibus, Titulis, et Diaconiis Cardinalium pag. 34. *sub quo Romana Ecclesia ad maximum in terris fastigium euecta fuit, ex Episcopis Cardinales fieri cœperunt; ea tamen adhibita moderatione, ut quoties accideret aliquos creari Cardinales, qui Episcopi, vel Archiepiscopi essent, singulis una ex Cardinalibus Ecclesiis (Episcopalibus) tradebatur, quod tunc incongruum videretur ex Episcopo Presbyterum fieri, sed minus inconveniens ex Episcopo, vel Archiepiscopo fieri Episcopum Cardinalem.*

VIII. Jam vero Rom. Cardinalatus dignitate, ac potestate auctus, signis quoque externis splendescere eum oportuit. Hinc rubrum galerum Cardinalibus ad regendas Ecclesiæ terras missis primus indulsit Innocentius IV. quod postea omnibus commune factum est. Paulus II. birretam coccineam concessit, et rubrum pannum, quo equos, et mulas sternerent, dum equitarent. Hæc honoris insignia duntaxat Cardinalibus ex Clero sæculari primum indulta, Regularibus etiam à Gregorio XIV. impartita sunt. Tandem Urbanus VIII. iisdem titulum *Eminentia*, et *Eminentissimi* elargitus est communem cum solis Imperii Ecclesiasticis Electoribus, et Magno Magistro ordinis Hierosolymitani.

IX. Cardinalium numerus incertus olim fuit, ac vagus. Ad sæculum usque XII. videntur fuisse 46. scilicet 28. Presbyteri, et 18. Diaconi, quibus uti nuper indicavimus, 7. Episcopi additi sunt. At post ætatem Honorii II. uti observat Panvinius *ibidem* pag. 18. imminui cœpit, et ad incertum numerum, atque adeo etiam ad summam paucitatem delabi. Profecto in electione Nicolai III. non erant, nisi septem Cardinales viventes. At post, quum rursus cœpisset augeri,

decreto Synodi Basileensis cautum est, ne numerum 24. excederent. Verum Sixtus IV. et qui eum secuti sunt R. Pontifices Cardinalium numerum maxime ampliaverunt; donec tandem Sixtus V. decrevit, ne septuaginta excederent; numerus quidem congruens cum septuaginta in Mosis adjuvamento adsumtis, ac septuaginta discipulis Christi Domini: iisdem addicti sunt sex Episcopatus suburbicarii, quinquaginta tituli Presbyterales, et quatuordecim Diaconia.

X. Præcipuum Cardinalium munus est, Papæ in Ecclesiæ regimine consilio, et opera adesse: et sicuti antiquitus, uti alibi monuimus, R. Pontifices nihil grave, nisi convocato clero, atque adeo Episcoporum Synodis, decernebant; ita tractu temporis majoris momenti negotia in Consistorio Cardinalium tractari cœperunt: unde Cardinales à D. Bernardo *Collaterales, et Coadjutores Papæ* adpellantur. (\*\*). Et Alphonsus Sap. Cardinalium Collegium dixit, partem esse corporis Papæ: *Leg. XXIII. Tit. IX. Part. I.* (\*) Ut autem veluti Synodum Occidentalem repræsentarent, primum Basileensis *Sess. XXIII.* deinde Tridentina Synodus *Sessione XXIV. Ref. cap. 1.* ex diversis nationibus adsumptos voluerunt. (\*\*). Præclare D. Bernardus *Lib. IV. de Considerat.* ad Eugenium III. adloquens, ait: *An non eligendi de toto orbe, orbem iudicaturi?* (\*) Tum eadem de causa Episcoporum qualitates in Cardinalibus Patres Tridentini requirunt: *Trid. ibid.* (\*\*). Verum de dotibus, quibus præditi esse debent eligendi Cardinales, perbelle idem Bernardus *loc. laud.* et Leo X. in Conc. Lateran. IV. *Sess. IX.* in Bulla *Reformat. Curie* 3. Non. Maii an. 1514. (\*)

XI. Igitur Papa utitur consilio Cardinalium in Consistorio; hanc vocem ad denotandum Principis Senatuum in re civili receptam, Papæ suam fecerunt, ut significarent Cardinalium consessum coram Pontifice in ejus Palatio per modum Senatus.

XII. Consistorium duplex est: Ordinarium, et Extraordinarium. In Ordinario non nisi Cardinales cum Rom. Pontifice adsident: unde et secretum vulgo vocitatur. Extraordinarium, magisque sollemne est, cui præter Cardinales alii quoque Prælati, ac Ministri intersunt; unde Publicum



quoque dici consuevit. In Consistorio antiquitus minores etiam caussæ agitari consueverè, quæ, auditis utrinque partibus, per R. Pontifices definiabantur; uti ex Actis Innocentii III. demonstrat Card. de Luca *in Relatione R. Curiae Disc. V. n. 6.* At hodie graviora duntaxat negotia in Consistorio explicantur, quæque forensem, et contentiosam formam non habent, sed solum gratiosam, et politicam, ut Principis supremum Senatuum decet. Porro leviora negotia ad Congregationes Cardinalium rejecta sunt, vel ad Tribunalia Urbis, quæ hodie Romanam Curiam egregia forma constituunt.

XIII. Congregationes sunt Cœtus Cardinalium per Pontifices instituti, quibus peculiaria quædam negotia, aliquando ipso præside Rom. Pontifice excutienda, ac definienda committuntur. Hujusmodi duplicis sunt generis; vel enim Ordinariæ sunt, scilicet, quæ stabilem habent formam, iisque determinata quædam negotia expedienda assignata sunt, uti sunt Congregationes *Indicis, Inquisitionis, Interpretationis Concilii, Sacrorum Rituum, et de negotiis Episcoporum, et Regularium*; vel sunt Extraordinariæ, quæ pro peculiaribus quibusdam negotiis præter consuetudinem incidentibus indici solent; quibus finitis dissolvuntur.

XIV. Atque hæc quidem Congregationes ad res Ecclesiasticas pertinent: nam sunt et aliæ, ut *Sacræ Consultæ* pro caussis criminalibus totius Rom. ditionis extra urbem; *Boni Regiminis* pro tuendis rebus, et juribus Universitatum; *Tribunal Capitolii* pro caussis intra urbem civilibus, uti pro criminalibus *Tribunal Gubernii*: tum et Tribunal *in Monte Citorio*, quod cumulativam habet cum Capitolio *in civilibus*, et privativam à quocumque Tribunali in Ecclesiasticis; atque ut recipit adpellationes totius orbis, ita ab eo ad Sacram Romanam Rotam in utrisque adpellatur. Verum pleraque ex his ad Principatum potius, quam ad Sacerdotium pertinent: nec iis Cardinales, sed Prælati adfiguntur.

## TITULUS XI.

## De Legatis Ecclesiasticis.

I. Legatorum usus uti in Republica civili, ita quoque in Ecclesiastica, jam inde à primis sæculis invaluit. Passim enim in antiquis monumentis Legati occurrunt ab Episcopis ad Synodos, vel ad Principes missi. Quum enim singulis Episcopis commodum non esset ad Concilia convenire, ipsis libertas data est, ut Legatos mitterent, vel Episcopos, vel Presbyteros, qui eorum vice in Conciliis fungerentur. Unde in Actis Conciliorum Carthaginiensium frequenter occurrunt Legati Provinciarum Numidiæ, Mauritanæ, Bizacenæ, et Tripolitanæ. Tum ab ipsis Conciliis Carthaginensibus Legati aliquando ad Sedem Apostolicam, vel etiam ad Imperatores missi sunt, præsertim in causa Donatistarum. Verum supra ceteros semper emicuere Legati Sedis Apostolicæ; hi autem vel sunt *missi*, vel *nati*. De missis primum agemus, dein de natis.

II. Jam vero Legati à R. Pontificibus mitti consueverunt, vel ad negotia expedienda, vel ad Sedis Apostolicæ vices agendas: tum ad negotia expedienda dirigebantur, vel ad Ecclesias; uti Legati Zosimi Papæ ad Episcopos Africæ pro tuendis Adpellationibus à Synodis Africanis ad Sedem Apostolicam: vel ad Principes, et Imperatores; uti Legati Liberii Papæ ad Constantium Imperatorem pro cogenda Synodo Aquilejæ adversus Arianos.

III. Porro Legati, qui ad Sedis Apostolicæ vices gerendas mittebantur, veluti plenam exercebant Legationem: exprimebant enim Summi Pontificis auctoritatem: unde iisdem fruebantur prærogativis, quibus, si Pontifex adesset, uteretur. Unde in Synodo Nicæna Vitus, et Vincentius licet nonnisi Presbyteri essent, attamen, quia Sylvestri Papæ legationeungebantur, Synodo præfuere. (\*\*). Videsis *Tit. IV.* ubi hunc honorem Osio nostro Cordubensi vindicavimus. (\*)

IV. Aliud quoque Legatorum Sedis Apostolicæ genus Ecclesiastica nobis exhibet Historia: eorum nempe, qui longiores in Urbe Regia moras trahebant, quique non alicui

peculiari negotio addicti erant, sed ad quascumque causarum, aut negotiorum Ecclesiasticorum emergentium figuras præsto erant apud Principes. Primum istiusmodi legationis exemplum habemus in Juliano Coensi, qui à S. Leone in Urbe Imperatoria Apostolicæ Sedis Legatus fuit constitutus ad prospiciendum, ne hæreses Nestoriana, et Euty-chiana in Conciliis Ephesino, et Chalcedonensi jam damnatæ invalescerent; tum quæ suggerenda Imperatoribus forent, vice Pontificis insinuaret, ac de rebus ambiguis Pontificem consuleret, eumque de statu Ecclesiarum Orientis creberrimis relationibus admoneret. Hi Legati *Apocrisarii*, sive *Responsales* dicebantur, quod Responsa, seu Mandata exsequerentur eorum, à quibus missi erant.

V. Demum *Legati Nati* dicuntur illarum Ecclesiarum Episcopi, quibus dignitas Legationis Apostolicæ perpetuo est adnexa. Dicuntur *Nati*, quod per ipsam Episcopatus adeptionem sine ulla nova Sedis Apostolicæ, vel Pontificis commissione, Legati Apostolici constituuntur, sive nascuntur. Antiqua hujusmodi Legatorum exempla habemus in Episcopis Arelatensi, et Thessalonicensi, qui frequentibus, ac continuis Sedis Apostolicæ legationibus, veluti hæreditariam sibi legationem fecere. Istiusmodi Legati, sive potius Sedis Apostolicæ Vicarii in Provincias sibi concreditas eandem pæne exercebant jurisdictionem, ac Patriarchæ in suas Diœceses; qua de re secutis temporibus Primates dicti sunt. Atque hæc de Legatis jure antiquo satis.

(\*\*) VI. In Hispania nostra alterum adhuc Legationis genus invenimus, quum videlicet Romanus Pontifex alicui Episcopo curam super Canonum observantiam demandavit. Hujusmodi est Leonis M. ad Turibium Asturicensem, Simplicii ad Zenonem Hispalensem, Hormisdæ ad Joannem Tarraconensem, et Salustium Hispalensem. (\*)

VII. Jure novo triplex agnoscitur Legatorum genus. I. Legati à Latere; (\*\*\*) qui quidem loquendi modus desumptus videtur ex Syn. Sardicensi *Can. VII.* (\*) Cardinales nimirum, qui in legationes abeunt. Quia enim post sæculum XI. uti nuper observavimus, Collaterales Pontificis dicti sunt; hinc à latere Pontificis adsumi censentur, quum ex ejusdem mandato aliquam exercent legationem: qua de re insignis Apos-

tolicæ dignitatis utuntur *Cap. 23. de Privilegiis*; ac iis juris antiqui Legatis respondere videntur, qui ad Apostolicæ Sedis vices gerendas missi veluti plenam exercebant legationem. Jure novo frequentia occurrunt hujusmodi Legatorum exempla apud Reges, et Principes pro bellis componendis, vel pro fœdere adversus infideles, vel hæreticos, similibusve gravioribus negotiis: *Card. de Luca in Rel. Rom. Cur. Disc. IV. n. 2.* Porro Legato à latere in aliquam Provinciam adventante, alterius, si qui ibidem sit, minoris Legati omnis prorsus cessat auctoritas: *Cap. 8. de Officio Legati.*

(\*\*) VIII. Profecto à sæculo XI. non parum excrevit numerus, et auctoritas Legatorum in Hispania, opera præsertim Pseudo-Isidori Collectionis. Horum officium in hoc maxime erat, quod controversias inter Episcopos exortas finirent, Concilia convocarent, ac Metropolitæ ad Canonum promulgationem, et observantiam cogerent. Unde ab Urbano II. missus est Renerius Cardinalis, ut Archiepiscoporum Narbonensis, et Tarraconensis extingueret controversias de Primatu, Toletano Archiepiscopo nuper adserto: ab Innocentio II. Guido Cardinalis, qui Synodum Burgensem collegit: ab Honorio III. Joannes Cardinalis, qui Synodum Ilerdensem coegit, cujus Constitutiones Asparragus Archiepiscopus Tarraconensis ex injuncto sibi à Legato munere promulgavit. Ne plures. (\*)

IX. Legatorum à Latere plurimæ sunt facultates, quas partim extraordinario, specialique mandato habere solent: uti quaslibet Ecclesias quomodolibet exemptas visitare; in causis majoribus, qua civilibus, qua criminalibus, judicare; reos vel enormium criminum absolvere; beneficia vacantia, etiamsi juris patronatus Ecclesiastici sint, reservata, aut affecta conferre; in ordinibus suscipiendis, et in matrimoniorum impedimentis dispensare, aliaque non pauca, quæ videsis apud Fagnanum *de Officio Legati.*

X. Alterum Legationis genus subeunt Legati, qui *Minores* dicuntur, vel simpliciter Missi; quippe qui non sunt de numero Cardinalium, sed duntaxat R. Pontifice jubente Legatorum munere defunguntur. Ex horum numero sunt Nuntii Apostolici antiquis Apocrisariis respondentes, quos

potestate quasi à latere *Legati* instructos Sedes Apostolica ad Reges, Magnos Principes, Resque publicas mittit. Quanta sit hujusmodi Legatorum potestas ex tenore Brevium Pontificiorum dignoscatur oportet. Unde Cardinal. de Luca *Discursu XXXIII. ad Concil. Tridentinum num. 21.* monet, quoad jura Legatorum certam regulam statui non posse, *quum totum pendeat à tenore facultatum.*

XI. Ad tertium tandem Legationis genus pertinent Legati nati, qui sane iidem sunt, atque illi, qui jure antiquo ex privilegio suarum Ecclesiarum legationis munus obibant: de his satis §. V. Hujusmodi prærogativa fruuntur Episcopi Cantuariensis, et Eboracensis in Anglia, Arelatensis, Bituricensis, et Lugdunensis in Gallia, Toletanus, et Bracarensis in Hispaniis, Pisanus in Italia pro Corsica, aliique.

XII. Nec tantum Episcopis, verum et Principi alicui ob præclara in Ecclesiam merita munus *Legati nati* à Sede Apostolica aliquando adtributum est. Ita Siciliæ Rex Legatus natus R. Pontificis est in toto Regno, sive ex Bulla Urbani II. Salerni an. 1098. edita, quam *Monarchiæ Siciliæ* vulgo nuncupant, sive ex Bulla Benedicti XIII. 3. Kal. Septembr. an. 1728. emanata, quæ vim concordiæ habet. Et merito quidem hoc nomine donatur; ea enim Pontifex pacis studiosissimus dissidia, quæ R. Sedem inter, ac Reges Siciliæ diu exarserant, sapienter extinxit.

## TITULUS XII.

### *De Patriarchis, Esarchis, et Primatibus.*

I. **V**ox *Patriarcha* id potissimum significare videtur nimirum *Principem Familiæ, Cognationis, vel Tribus*, *Ἀρχὴ* *χορτᾶ* *πατριῶν*. Apud *Hesychium* *πατριαὶ* idem sonant ac *φυλαὶ*: et apud *Suidam* in voce *πατριαὶ*: *πατριαὶ*, *κῶραι*, *φυλαὶ*, *τοπαρχίαι* id est *πατριαὶ* *Regiones*, *Tribus*, *locorum Præfecturæ*. Primus alicujus familiæ auctor, unde alii descenderint, *Patriarcha* dictus est: *Suidas* ib.

II. Quamvis Socrates, qui Historiam suam edidit an. 440. pri-

primus Episcopis Christianis; qui pluribus provinciis præessent Patriarchæ nomen dederit: *Lib. V. cap. 8.* at publica Ecclesiæ auctoritate in Syn. Chalced. an. 451. primum ita vocati sunt: *Act. III.*

III. Qui serius Patriarchæ dicti sunt, antiquitus *Archiepiscopi*, et *Exarchi Diæceseos* nuncupabantur. Etsi enim nunc unum idemque sint Archiepiscopus, et Metropolitanus; attamen prioribus Ecclesiæ sæculis nomen Archiepiscopi vix ulli dabatur Episcopo, nisi cujus jurisdictio super totam aliquam Imperii Diæcesim se extenderet uti Episcopis Alexandrino, Antiocheno, Ephesino. Quamobrem Justinianus Imp. Episcopatum Justinianæ I. in sedem Patriarchalem erigens sanxit: *Volumus, ut non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fiat:* Novell. XI. *Exarchi* quoque *Diæceseos* vocabantur ad distinguendos eos ab *Ἐξάρχαις τῆς ἑπαρχίας* ab *Exarchis unius cujusdam Provinciæ*, qui tantummodo Metropolitani erant. Ita Dominus Episc. Antioch. *Orientalis Diæceseos Exarchus* in Conciliis Antiocheno, et Chalcedonensi adpellatur.

IV. Uti nomen Archiepiscopi, ita quoque Diæceseos vox antiquitus multo amplioris erat significationis. Ad rem Theodorus Balsamon in Can. ix. Chalced. *Διὸννοισ ὁδὸσι ἡ πῶδας ἑπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ:* *Diæcesis autem est, quæ multas sub se habet provincias.* Rufinus etiam in suo Breviario: *Et in Diæcesi*, inquit, *Macedoniæ Provinciæ sunt septem: Macedonia, Thessalia &c.* At quæ modo Diæcesis adpellatur, antiquitus dicebatur *παρόικια* *Parœcia*: uti observabimus in titulo de Episcopis.

#### *De Patriarcharum Origine.*

V. Ut recte in Patriarcharum originem inquiratur, omnino distinguendum censeo inter dignitatem Patriarchicam ex una parte, et potestatem ex altera. Atqui Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ dignitatem, ac splendorem ex eo præcipue profluxisse, quod à S. Petro fundatæ fuerint, perspicua demonstrant Eusebii, Chrysostomi, Nazianzeni, Theodoretii, aliorumque veterum testimonia, quæ videsis apud Thomas. *de N. ac V. Eccl. Disc. Part. I. Lib. I. cap. 8.* Ad rem Hincmarus Rem. Tom. II. pag. 402. *Sedes Ecclesiarum Romanæ Alexandrinæ, et Antiochenæ*

*idcirco speciales sedes dici... quoniam Sedes sunt, quin potius una Sedes Magni Petri Apostolorum Principis.*

VI. Quid quod ex Sedium dignitate earundem auctoritas, ac potestas effluxit? Profecto quum ex Roma, Alexandria, et Antiochia vicinis, et circumjacentibus regionibus evangelicæ prædicationis lux refulxerit, hinc factum est, ut ceterarum veluti Parentes haberentur, et Matrices. Qua de re ubi in earundem regionum civitatibus Episcopos constitui oportuit, hoc jus non nisi ad Ecclesiæ Matricis Episcopum spectare visum est, à quo ipsa fidei plantatio, et Ecclesiarum institutio profecta agnoscebatur. Hujusce auctoritatis veluti specimen dedit S. Paulus, qui, uti sequenti titulo videbimus, Titum Cretæ reliquit, ut constitueret per civitates Presbyteros, id est Episcopos.

VII. Præterea quum identidem hæreses, et schismata erumperent, ac inter Episcopos controversiæ oborirentur; quidnam fidei tuendæ, ac paci Ecclesiarum fovendæ conducibilis videri poterat, quam ad Ecclesiæ Matricis Episcopum confugere, cui jure paternitatis filiarum Ecclesiarum cura agenda erat? Hoc jure usus est Polycrates, dum ad discutiendam de Paschate controversiam totius Asiæ Concilium convocavit, cui ipse præfuit: *Euseb. Lib. V. cap. 24.* tum medio sæculo III. Episcopi Libyæ Superioris, qui Sabelliano *δωδύματι* adhæserant, nonne ab hæresi recesserunt, Dionysio *δωδύματι* agente, ad *cujus curam*, uti scribit Athan. Epist. de Sent. Dionys. *Ecclesiæ illæ pertinebant*? Tum Episcopum Ephesinum minoris Patriarchæ dignitate refulsisse constat, eo quod, uti scribit Iren. apud *Euseb. Lib. III. cap. 23.* Ecclesiâ Ephesina et à Paulo fundata fuerit, et Joannem usque ad Trajani tempora habuerit Præsidentem. Igitur à gloria Conditoris, et à jure Paternitatis Sedium Patriarchalium primum dignitas, et splendor, dein potestas, et auctoritas est deducenda.

VIII. At, inquires, qui tanta Hierarchiæ Ecclesiasticæ cum civili politia conformitas? Respondeo. Quum Apostoli orbem universum ita inter se divisissent, ut singulis singulæ provinciæ ac nationes adsignarentur, profecto nihil ipsis ad Evangelium facilius, feliciusque disseminandum opportunius visum est, quam ut in civitate principe, sive

metropoli fidei semina ingererentur; ut quum ibi, Deo incrementum dante, radices egissent, sic paullatim, veluti ex stirpe palmites producuntur, et gemmæ erumpunt, vicina quoque oppida, et circumjectæ gentes inde fidei lumen reciperent.

IX. Hinc S. Petrus, cui, uti Apostolorum Principi, præcipuæ Orbis Diœceses obvenerant, Romana scilicet, Ægyptiaca, et Orientalis, profecto sapienter id egit, ut Roma primum, Alexandria, et Antiochia fidei lucem adspicerent. Namque Idololatria ibi eversa, ac prostrata, ubi magis dominabatur, haud difficile futurum erat, eandem in oppidis, et in exiguis, ac minus præstantibus urbibus dejicere. Atque eo intuitu civilis Imperii politia ad patriarchicæ dignitatis institutionem contulisse videtur. Patet igitur primum ab Civilis politicæ ordine, at remotius; dein ab S. Petri dignitate, et quidem proxime patriarchalium Ecclesiarum splendorem, tum et potestatem, ac jurisdictionem profluxisse. At vero, quod Sedes Antiochena tertia esset ordine post Romanam, et Alexandrinam, licet Antiochenam per se, Alexandrinam tantummodo per discipulum suum S. Marcum D. Petrus fundaverit; id nonnisi Politicæ civili tribui quiverit, in cujus ordine Alexandria Antiochiæ præstabat. Adeundus omnino hac de re Ildephonsus Clem. de Arostegui in sua concordia Pastoralis *Lib. I. cap. 2.* unde haud pauca pro adstruendo hoc nostro systemate excerptimus.

X. Patriarchica potestas primitus quidem tribus potissimum constitit. 1. Ut in dubiis Matrix Ecclesia, à qua Pærciarum fides sumsit exordium, consuleretur. 2. Ut ordinatio, quæ ab ea ad Episcopos Diœceseos primum manarat, ab eadem in Metropolitanos saltem continenter flueret. 3. Ut ad Diœcesanam Synodum ii maxime convocarentur, qui civitatem principem consilii causa frequentare consuevissent.

XI. At ultra etiam moribus, et privilegiis ea potestas sensim extensa est, ac tandem *Can. VI.* Nicæno primum Ecclesiastica Sanctione firmata fuit. Et sane verba illa: *Antiqui mores servantur.....sua privilegia, ac suæ dignitates, et auctoritates Ecclesiis servantur;* quid, inquam, verba hæc exhibent, nisi ut Episcopis Alexandrino, et Antiocheno no-



vo Œcumenicæ Synodi Decreto ea jura firmentur, quibus jamdiu ex antiquis moribus fruebantur?

XII. Demum Concilii Cpolitani *Can. II.* ejusdem potestatis distinctius, exactiusque limites præscripti sunt. Sic enim habet: *Episcopi ultra Diæcessim ad Ecclesias, quæ extra suos limites sunt, ne accedant.....sed secundum Canones Episcopus Alexandrinus Ægyptum solum regat &c.* Profecto cur hic Canon ederetur, illud potissimum in caussa fuit, quod nonnulli Episcopi extra proprium territorium episcopali potestate usi fuerant. E. g. Petrus Alex. aliquot Episcopos Cpolim misserat, ut ibi Maximum Cynicum Episcopum consecrarent. Meletius Antiochenus in eadem Imperiali Urbe plures dignitatis episcopalis actus exercuerat. Nimis igitur confidentiæ, ac libertatis Episcopis fræna *Can. Cpolitano* injecta sunt, ne extra propriæ Diæceseos limites Episcopi agerent.

XIII. En igitur quomodo ad Patriarchicam dignitatem, Potestatemque constituendam simul conspirarint Civilis Imperii Politia, Gloria Conditoris, Antiqui *ἡτὰ πόδα* in Ecclesiam inducti mores, *Can. VI. Nicænus*, ac demum *Can. II. Cpolitanus*.

*Patriarcharum Jura, et Officia ex veteri, novaque Ecclesiæ disciplina.*

XIV. Verum Patriarcharum jura præcipua erant. 1. Omnes suæ Diæceseos Metropolitans ordinare. 2. Synodum Diæcesanam convocare, eidemque præsidere. 3. Adpellationes à Metropolitanarum judiciis accipere. 4. In Metropolitans, et Metropolitanis negligentibus, in eorum etiam suffraganeos delinquentes animadvertere, ac etiam censura Ecclesiastica uti. 5. Leges Imperiales ad Ecclesiasticum regimen attinentes suis Metropolitanis impertiri. 6. Enormis culpæ reorum absolutionem sibi reservare. 7. Metropolitans Legatos suos constituere. 8. Demum in rebus magni momenti à Metropolitanis suis consulendi erant. At de his fusiis in nostris *Antiquitatibus Christianis*.

*De Patriarchatu Romano, ejusque Confiniis, et Amplitudine.*

XV. *Can. vi.* Nicæno de Patriarchis Alexandrino, et Romano sic decernitur: *Antiqui mores servantur, qui sunt in Ægypto, Libya, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoque et Episcopo Romano hoc est consuetum.* *ἡμεῖς ἡμεῖς τῶ ἐν τῇ Παύλῃ Ἐπισκοπῇ τῶ το ὑβῆς ἐστ.* Porro ex hoc Canone, uti de Patriarchæ Alexandrini potestate constat, ita ex adverso de Rom. Patriarchatu gravis exoritur controversia: nimirum quinam ejus limites fuerint.

XVI. Petrus de Marca, Thomassinus, Bacchinius, Schelestrate Romanum Patriarchatum ad totum extendunt Occidentem; at contra Dupinius, et Dughetius, alique ad decem Provincias contrahunt Præfecturæ Romanæ subjectas: nimirum Picenum suburbicarium, Campaniam, Tusciam, et Umbriam, Apuliam, et Calabriam, Brutios, et Lucaniam, Samnium, Valeriam, Sardiniam, Siciliam, et Corsicam. Demum prorsus ridenda Salmasii opinio, qua Rom. Patriarchatus intra centesimum ab urbe lapidem clauditur.

XVII. Verum enim vero triplex Rom. Pontificis notio omnino præ oculis habenda est: 1. ut Primas totius Ecclesiæ: 2. ut præcipuus totius Occidentis Inspector: 3. ut provinciarum Vicario urbico subjectarum Rector, et Princeps. Porro si Primatus jure divino in universa Ecclesia statutus inspicitur, ejus potestas Orientem, et Occidentem, totamque Ecclesiam suo sinu complectitur, et per universum Orbem qua late patet fidelium nomen extenditur.

XVIII. Si vero, ut totius Occidentis latiori quodam sensu Patriarcha consideratur, peculiaria quædam ei jura conveniunt, et quidem ex primæva antiquitate. Sicuti enim S. Petrus, uti Princeps Apostolorum, totius Christiani Orbis Caput erat, et Primas: at ratione Apostolatus ipsemet in Provinciarum partitione totius Occidentis Diœceses obvenere. Sic R. Pontifex S. Petri successor, licet in universum Christianum Orbem non honoris modo, verum et jurisdictionis primatum haberet: Occidentales tamen Diœceses ad

ipsum peculiari quodam jure semper attinere, quarum specialiolem curam sollicitudinemque gessit. Unde à Basilio *Ep. 10.* Δυστηνὸν κορυφαίος *Occidentalium Coryphæus* dicitur, et ab Augustino *Lib. I.* contra Julianum *Occidentalis Ecclesie Præsidentis*. Tum Patres Arelat. *Ep. ad Sylvestrum Papam*, eum Majores Diœceses tenere scribunt. Eodem intuitu Cyrillus Alex. in Synodo Ephesina Jo. Antiochenum admonebat, ut ii omnes latam à Cælestino Pontifice adversus Nestorium sententiam sequantur, qui totius Occidentis communionem amplecti volunt. His accedit, Episcopis Occidentalibus in more fuisse, in ambiguis Ecclesiastici regiminis expediendis negotiis R. Sedem consulere, ad quos sua Responsa R. Pontifices dedisse antiqua produnt Ecclesiæ monumenta; neque in re satis perspicua juvat diutius immorari: atque adeo ambigendum non est, R. Pontifices Diœceseon Occidentalium specialiolem quandam curam semper gessisse. Videsis Petrum de Marca *Lib. I. cap. 1.*

XIX. Denique si regimen immediatum Provinciarum, quæ Vicario urbico subjiciebantur, attendatur, in quo propria, ac stricta Patriarchatus Romani notio constitit, non ultra decem Provincias superius enumeratas patuisse his ferme argumentis Vir ille doctissimus Petrus de Marca ostendit.

i Potiora Patriarcharum jura semper fuerunt, Metropolititas ordinare, adpellationes à Synodis provinciæ recipere, Synodum Diœceseos indicere, eidemque præsidere. At primo sicuti constat Romanos Patriarchas hisce juribus per decem illas Provincias fuisse usos; ita quoque neutiquam ambigendum, Episcopos, ac præcipue Metropolititas per Gallias, Hispanias, Africam, aliasque Occidentis Diœceses fuisse in Synodis Provinciæ ordinatos. Quinimmo in ipsa Diœcesi sic proprie dicta *Italica*, ut à Romana distingueretur, Episcopi haud quidem à R. Pontifice, sed ab Episcopo Mediolanensi ordinabantur, qui Italiæ sic proprie dictæ veluti Primas erat. Id ex pluribus Ambrosii Epistolis constat, ac præsertim ex XXV. in qua jus sibi tribuit constituendi Episcopos per Æmiliam, Venetias, ceterasque finitimas Italiæ partes. Tum Ambrosius ipse ex Theodoro *Lib. IV. cap. 7.* ab Italiæ Episcopis jussu Valentiniani Mediolanum coactis ordinatus est.

Etiam

2. Etiam post receptos Canones Sardicenses nonnisi raro, et difficulter ex solo Occidente in caussis ordinariis, et minoribus ad R. Pontificem, uti Patriarcham adpellatum reperire est: neque Patres Sardicenses Episcopo Romano, uti Patriarchæ, verum uti Primati totius Ecclesiæ jus tribuerunt, ut qui se gravatos in Provinciis crederent, etiam ab longinquis regionibus ad Romanam Sedem confugerent: *S. Petri memoriam honoremus, ut scribatur ab his &c.* tum constat intuitu potissimum Athanasii, qui ad Julium I. confugerat, hunc Canonem fuisse conditum. Canon igitur Sardicensis Romanum Patriarchatum non spectat.

3. Uti Romana Ecclesia suas habebat Diocesanas Synodos *Romanas* dictas; ita quoque Gallia, Hispania, Africa, aliæque Occidentis Dioceses suas habebant Synodos, de quibus Episcopi in caussis quidem communibus, et ad Ecclesiæ unitatem pertinentibus ad R. Pontificem referebant; at ubi peculiare Provinciarum, et Dioceseon res tractandæ essent, etiam inconsulto R. Pontifice, cognoscebant, et iudicabant. Unde S. Ambrosius in Synodo quadam Italica sententiam rescidit Syagrii Episcopi Veronensis, qui Virginem quandam per calumniam accusatam damnaverat; id patet ex binis ad eundem Syagrium Ambrosii Epistolis.

4. Uti Pontifex Dioceseos Romanæ, ita Dioceseos Italicæ Episcopus Mediolanensis peculiarem quandam curam gerebat. Ambrosius Ep. XXV. ad Ecclesiam Vercellensem: *Conficior dolore, scribit, quia Ecclesia Domini, quæ est in vobis, sacerdotem adhuc non habet...et mihi adscribitur vestra intentio, quæ adfert impedimentum.* Tum ipsemet Ambrosius Vigilio, quem Episcopum Tridentinum ordinaverat, Ecclesiam, quæ est ad Forum Cornelii, commendat: *Commendo tibi Ecclesiam, quæ est ad Forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas, donec ei ordinetur Episcopus. Occupatus diebus Quadragesimæ ingruentibus tam longe non possum excurrere.*

5. Episcopi Italiæ Mediolanensi Antistiti tanquam Exarcho, sive Primati subiciebantur. Id tum ex hactenus dictis, tum quoque ex eo perspicuum est, quod Ambrosius, delectis Bononiæ corporibus SS. Vitalis, et Agricolæ, et Mediolani reliquiis SS. Gervasii, et Prothasii, Epistolas hac de

re ad omnes Diœceseos Italiæ Episcopos dedit cum hæc *ἰνὴ γράφῃ* : *Dilectissimis Fratribus, et universis plebibus per Italiam : Fratribus per omnem Italiam constitutis.* Adhæc Episcopi Italiæ in Conciliis sub hæc peculiari *ἰνὴ γράφῃ* subscribunt ; e. g. in Concilio Sardicensi, *Prothasius ab Italia de Mediolano, Ursatius ab Italia de Brixia, Severus ab Italia de Ravenna &c.*

XX. Porro ex hucusque prolatis illud satis manifesto efficitur, Ecclesias Italiæ ad Episcopum Mediolanensem, haud vero ad R. Pontificem jure Patriarchico stricte sumpto pertinuisse. Id quod potiori jure adfirmandum est de Africa, Hispania, Gallia, aliisque Occidentis Diœcesibus.

XXI. At qui omiserim Rufinum iv. Sæculi *ῥωσολύπαρον*, qui Canonem Nicænum sic vertit, ut Rom. Patriarchatui *Ecclesias Suburbicarias* subjectas exhibeat? Profecto eò sensu dictæ sunt Ecclesiæ suburbicariæ, quo dicebantur *Regiones, et Provinciæ Suburbicariæ*; at Regiones suburbicarias nunquam Occidentem universum, sed nonnisi decem illas provincias Romanam componentes Præfecturam significasse pluribus demonstrat Sirmondus; præcipue vero ex Notitia Imperii, ubi de Vicarii Urbis Potestate hæc habentur: *Sub dispositione V. S. Vicarii Urbis Romæ Provinciæ infrascriptæ. Consularis Campaniæ, Tusciæ, et Umbriæ, Piceni Suburbicarii, Sicilia; Corrector Apuliæ, et Campaniæ, Brutiorum, et Lucaniæ, Præsides Samnii, Sardinia, Corsicæ, et Valeriæ.* Igitur iv. sæculo, quando scripsit Rufinus, Rom. Patriarchatus non ultra patebat.

XXII. Illud hic postremo observandum, Romanum Patriarchatum successu temporis, Apostolicis institutis Vicariis, injecta Metropolitani Palliorum necessitate, ac missis per totum Occidentem Legationibus magis magisque patuisse, donec tandem per Occidentem universum se extendere; atque adeo, uti mox videbimus IX. sæculo inductis Isidorianis Decretalibus, R. Pontifex Prælatos instituerit, sibi subjectos.

XXIII. Reliquis Patriarchis longe eminebat Romanus: et quidem pluribus titulis. 1. Quia R. Patriarchatus Principatui totius Ecclesiæ adhærebat. 2. Quia non Metropolitanus modo, si qui erant, verum et omnes omnino suæ Diœceseos

Epis-

Episcopos ordinabat. In quo sane cum Alexandrino conveniebat : at in eo ipsi præstabat , quod Patribus Nicænis veluti norma fuerit ad æquale jus Episcopo Alexandrino confirmandum. 3. Quia Romanam Ecclesiam S. Petrus per se *apostolicis* fundaverit , neque fundatam dein reliquerit , sed eandem per annos XXV. rexit , ibidem mortem obierit , ac sui corpusculi deposito honestavit. *Simon Petrus* , ita Hieronymus de Viris illustribus in Petro , *Roman pergit , ibique XXV. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Neronis annum , à quo et adfixus cruci martyrio coronatus est capite ad terram verso.*

#### De Patriarchatu Cpolitano.

XXIV. Igitur ad IV. usque sæculum nonnisi tres in Ecclesia agniti Patriarchæ ; scilicet Romanus , Alexandrinus , et Antiochenus. At eodem sæculo tres alii adparent Patriarchæ ; nimirum Ephesinus in Diocesi Asiana , Cæsarensis in Pontica , et Heracleensis in Thracia. Hi sane specialibus quibusdam Patriarcharum Romani potissimum , et Alexandrini juribus non fruebantur ; at præcipua si inspiciamus , profecto veros fuisse Patriarchas haud negabimus. Ordinabantur enim ab omnibus Dioceseos Episcopis , suarum Dioceseon indicebant Synodos , aliaque magis propria Patriarcharum jura exercebant. Neque negotium facessat , quod Exarchorum , haud vero Patriarcharum titulo donati fuerint : antiquitus enim , uti supra notavimus , ad Dioceseon Episcopos designandos promiscue Patriarchæ , et Exarchi adhibebantur adpellationes.

XXV. Ex tribus hisce Exarchatibus unus emersit Cpolitanae Ecclesiae Patriarchatus. Quamvis enim Episcopo Bizantino *Can. III. Cpolitano* nonnisi honoris prærogativa post Romanum concessa fuerit ; at deinceps faventibus Imperatoribus , ac ipsius Urbis splendore id ferente , quandam in tres illas Dioceses potestatem exercere cœpit , donec tandem in Synodo Chalced. reclamantibus tamen Rom. Sedis Legatis , Episcopo Cpolitano in tres illas Dioceses jus Patriarchicum concessum est.

XXVI. Intercesserunt quidem huic novitati R. Pontifices ,  
at-

atque in primis S. Leo, et Gelasius violatam dolentes politiam in Synodo Nicæna inductam, vel duntaxat confirmatam. At Episcopi Constantinopolitani Imperatorum freti auctoritate, præcipue vero Theodosii: Socrates *Lib. IX. cap. 28.* Basilisci Tyranni: Evagrius *Lib. III. cap. 4.* Zenonis: *Legge XVI. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis*, ac demum Justiniani: *Nov. CXXXI. cap. 2.* Patriarchica jura exercere non destiterunt; donec tandem primum in Synodo VIII. *Can. VII. Dist. 22.* dein et in Lateranensi IV. *Can. V.* constitutum fuerit, *ut post Rom. Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote Mater universarum Christi fidelium, et Magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat, servata cuilibet propria dignitate.*

XXVII. Quinimmo VII. ineunte sæculo agente Leone Isaurico R. Pontificibus infenso, specioso Romanam Diocesim decurtandi prætextu, Romano Patriarchatui subtracta sunt, et Constantinopolitano addicta Illyricum, Epirum, Achaia, Macedonia, atque adeo etiam Sicilia, ac plurimæ Regni Neap. Ecclesiæ præsertim maritimæ, quæ sub græco erant imperio. R. quidem Pontifices, et Occidentis Imperatores acriter hac de re Patriarchis, et Imperatoribus Orientis resistere: sed Occidentalium conatus, et vota pervicacia Orientalium secundis rebus caruere ad sæculum usque XI. quo Northmanni Principes nostri græcis devictis suas R. Pontifici Ecclesias omnes cum pristinis juribus restituerunt.

*De Patriarchatu Hierosolymitano.*

XXVIII. Uti ob Sedem Imperialem Constantinopolitana, ita ob sanctitatem Urbis Hierosolymitana Ecclesia Patriarchatum obtinuit. Canone quidem VII. Nicæno nonnisi honoris prærogativa Episcopo Hierosolymitano tributa est, *Metropoli*, nimirum Cæsareensi, cui tanquam suffraganeus suberat *propria dignitate servata.* Verum Episcopi Hierosolymitani hanc prærogativam non satis habentes, primum jura Metropolitanæ Cæsareensis, dein et Palæstinæ subjectionem sibi vindicare tentarunt. Adversus hujusmodi usurpationes

magnis animis agentibus Episcopis Antiocheno, et Cæsareense, quorum jura Episcopi Hierosolymitani ambitione violabantur, controversia ad Synodum usque Chalcedonensem protracta est; in qua *Act. VII.* Maximi Antiochenis, et Juvenalis Hierosolymorum Episcopi consensione statutum est, ut *Antiochenus Episcopus duas Phœnicias, et Arabiam sub propria habeat potestate; Hierosolymitanus autem tres Palæstinas itidem sub propria habeat potestate.* Igitur ab Synodi Chalcedonensis tempore jam quinque recensiti sunt Patriarchæ, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus.

*De Primatibus in Ecclesia Occidentali.*

XXIX. Patriarchis in Oriente respondent quodammodo in Occidente Primates, seu potius Sedis Apostolicæ Legati; uti Thessalonicensis per Illyricum, et Arelatensis per Gallias. Iisdem pæne fruebantur juribus, ac Patriarchæ Orientis; nisi quod non potestate Patriarchica ea exercerent, sed potius jure à R. Pontificibus mutuato, quorum vice fungebantur. Quamobrem iidem fuisse videntur atque illi, quos posterior ætas *Legatos natos* dixit.

XXX. Verum x. ineunte sæculo receptis per Occidentem putidis Isidori mercibus, primum per Pontifices instituti sunt Primatus Bituricensis, Cantuariensis, Lugdunensis, Narbonensis, Armachanus, aliique, quibus à Metropolitibus adpellationes concessæ, et jus etiam datum anteferendæ crucis. In Regno Neapolitano Salernitani Archiepiscopi Primatus certo constat. Profecto Urbanus II. Constitutione edita Salerni an. 1099. Alfanium Metropolitanam Salernitanum, ejusque successores Primatis prærogativa auxit in Metropolitibus Acheruntinum, et Compsanum, atque eorundem Episcopos suffraganeos, quibus obedientiæ juramentum ipsi, tanquam Primati, præstandum jussit. Tum omnes earundem Provinciarum Episcoporum electiones ipso Archiepiscopo Primati præsentate, ac dirigente peragendas decrevit. Videsis Baronium *ad eundem annum* 1099. et Ughellum *in Archiep. Salernit.*

(\*\*) XXXI. In Hispania quantum ex nostris Conciliis colli-



ligere est, Primates olim iidem erant, qui Metropolitæ: at inductis putidis Isidori Decretalibus, in quibus Primates à Metropolitanis distinguere visus est impostor ille, Metropolitanorum non pauci in Primatis titulum intendere cœperunt; quibus et adpellationes concessæ, et *Crucem* ante se elevatam in jurisdictionis, et potestatis signum deferre permisum; uno verbo cuncta Patriarcharum jura Primatibus donata, ita ut utrumque vocabulum pro una eademque re sit usurpatum. Videsis à *Leg. IX. Tit. V. Partit. I. (\*)*

(\*\*) XXXII. Eo quoque honore insignivit Bernardum Archiepiscopum Toletanum Urbanus II. in Constit. data Agnaniæ idib. Octob. an. 1088. Quædam ipsius verba lubet transcribere: *Teque (sicut ejusdem urbis antiquitus constat existisse Pontifices) in totis Hispaniarum Regnis Primatem privilegii nostri sanctione statuimus.... et auctoritatem pristinam Toletanæ Ecclesiæ restituere non negamus.... Primatem te universi Hispaniarum Præsules respicient, et ad te, si quid inter eos quæstione dignum fuerit, referent.* Et sane ipsi aliquam supra reliquos Hispaniæ Metropolitanas præferentiam tribuere videtur Syn. Tolet. XII. *Can. vi.* Sed protinus apud Apostolicam Sedem auditæ sunt Narbonensis, et Tarraconensis querelæ, quas Legatus ab Urbano missus sedare cupiens, Toletanum nedum in collato sibi titulo confirmavit, sed et Legati à Latere Pontificis prærogativa decoravit; quin et indultum Toletano privilegium apertis eisdemque fere verbis, quibus Urbanus, eidem Bernardo adseruerunt Paschalis II. 2. Novemb. an. 1110. Gelasius II. 13. Novemb. an. 1119. et Calixtus II. 5. Novemb. an. 1122. Raymundo Honorius II. 30. Novemb. an. 1125. et Lucius II. 13. Martii an. 1144. Joanni Eugenius III. 13. Februarii an. 1152. &c. (\*)

(\*\*) XXXIII. Non ideo sopitæ sunt controversiæ: diu et acriter disceptatum est de Primatu à Compostellano, Bracarensi, et aliis. Hæc serio perpendens pacis studiosissimus Eugenius, non semel omnibus injunxit Hispaniarum Episcopis, ut Toletano tanquam Primati parere non dubitarent; immo suspensionem inflicturum se comminatus est Bracarensi, nisi à die 19. Decembris usque ad Dominicam in Palmis Primatum Toletanum agnoscere deliberaret. Et quum ab Anastasio IV. indultum impetrasset exemptionis à Toleta-

no Compostellanus, illud Hadrianus IV. ac bis Alexander III. irritum habuere, eo quod *neque de communi, neque de sanioris partis fratrum consilio fuisset elicitum*. Tandem vero Toletani Primatum supra Bracarensem, et Compostellanum firmavit Alexander III. 15. Julii an. 1163. et supra Hispalensem Honorius III. quocirca Philippus V. per Secretioris Consilii Ministrum Hispalensi, qui Romæ aderat Procuratori, indicare curavit die 18. Martii an. 1722. quantum sibi Ecclesiæ suæ pertinentiâ displicuisset. (\*)

(\*\*) XXXIV. Verum etsi tot, tantisque Romanorum Pontificum Constitutionibus confirmatus sit Archiepiscopi Toletani Primatus; quamvis Martinus V. 30. Maii an. 1427. eidem Toletano concesserit, quod Conciliis Nationalibus præset; quamvis Joannes II. 20. Augusti an. 1448. Primatis, et Patriarchæ Hispaniarum, ac Cancellarii Majoris Castellæ honores ab omnibus ipsi deferendos esse decreverit; quamvis Philippus V. eundem Toletanum ob Dignitatis sublimitatem *Excellentiæ* titulo decoraverit *Leg. XVI. n. 11. Tit. I. Lib. IV. Novæ Recop.* et iteratas Tarraconensis Ecclesiæ contentiones represserit 15. Julii an. 1722. institere nihilominus Tarraconenses Archiepiscopi in Primatis epitheto firmiter sustinendo. Videsis *cap. 2. de Auct. et usu Palatii*, Collect. Canon. Tarracon. an. 1591. immo neque desierunt hucusque seipsums Primates adpellare. Nos igitur partium studio penitus seposito, non possumus Tarraconenses Archiepiscopos Primates nominare. (\*)

XXXV. Porro hi quoque Primatus successu temporis exoleverunt; adeo ut Primates, qui supersunt, tales sint titulo tenus, uno excepto Lugdunensi, ad quem, testibus Petro de Marca *Dissert. de Primat. n. CXXII.* et Fleurio *Instit. Eccl. Part. I. cap. XIV. n. 6.* adpellatur à sententiis Metropolitanarum Turonensis, Senonensis, et Parisiensis. Igitur Occidentales hi Primates, veluti medii erant inter Patriarchas, et Metropolitans; dum simul et Metropolitanis præerant, et R. Pontifici tanquam Occidentis Patriarchæ suberant.

## De Patriarchis Latinis Titularibus.

XXXVI. Jam vero, ut ad Orientales Ecclesias redeamus, quum plerique Orientis Episcopi, et Patriarchæ ab obedientia R. Pontificis descivissent, et in variorum errorum tenebris versarentur; hinc factum est, ut pro sectarum multitudine, ac varietate, multi emererint Patriarchæ, partim ex ruinis Patriarchatuum Antiocheni, et Hierosolymitani, et partim ex divisionibus Patriarchatuum Alexandrini, et Constantinopolitani. Hi sunt Jacobita, et Maronita, quorum uterque Antiocheni nomen adsumit, Cophtus, qui, quum Alexandriae sedeat, Alexandrini Patriarchæ titulum sibi tribuit, Armeni duo, aliique plurimi, quos vide apud Thomass. *Part. I. Lib. I. cap. 24.* Ex hujusmodi Orientalibus Patriarchis solus Maronita Catholicus est, et in perfecta communione cum Ecclesia Romana persistit: alii suos aliquando ejurarunt errores, sed eorum fides non diu perstitit.

XXXVII. Patriarchæ Latini Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus tales sunt titulo tenus, quum tantummodo Patriarchalibus insignibus, et consessus prærogativa fruuntur. Horum Patriarcharum origo, uti et ceterorum Episcoporum titularium, ex Patriarchis, et Episcopis repetenda est, quos in subacta primum Palæstina, dein et in debellato Constantinopolitano Imperio Latina Ecclesia constituit. Quamvis enim hujusmodi regiones in hostium redierint ditionem, unde earum Latini Antistites exules facti sunt; variis tamen ex causis, quas enumerat Thomass. *citato Lib. I. cap. 26.* suos, licet titulo tenus, successores habuerunt. Sed et antiquiora Episcoporum titularium exempla inveniri posse observat idem Auctor sequentibus *cap. 27. et 28.*

XXXVIII. Sunt et alii Patriarchæ Minores, qui, ipsis R. Pontificibus deferentibus, et titulum, et honores habent Patriarchicos; et hi sunt Aquilejensis, et Venetus; quibus postea Indianus, et Lusitanus accessere. Videsis Carolum Gagliardum *Instit. Can. Lib. I. Tit. 14.*

(\*\*) XXXIX. In Hispania, Indiarum Regno à Paganorum expugnato dominio, curavit Philippus III. ut Patriarcha sub

hoc

hoc nomine institueretur, id quod probavit Paulus V. qui Didaco Guzmano primum Indiarum Patriarchæ titulum absque ulla prorsus in Indos Episcopos jurisdictione, indulsit an. 1615. quem novis Reges Nostri cumulare studentes prærogativis, Indiarum Patriarchæ, Pro-Capellani Majoris, ut vocant, Regiæ Aulæ, primi Regii Eleemosynarii, et Vicarii Generalis totius Hispaniæ exercitus, et Antistitis insignis Equestris Ordinis Caroli III. dignitates superaddere constituerunt, eique Romani etiam Pontifices Cardinalitiæ dignitatis galero mittere non gravantur. (\*)

## TITULUS XIII.

### DE METROPOLITIS.

#### *Metropolitaram Origo.*

I. **M**etropolitaram origo Apostolicæ institutioni omnino tribuenda videtur. Enimvero Eusebius *Lib. III. cap. 4.* Chrysostomus *Hom. I. in Ep. ad Titum*, Tito Ecclesiarum in Creta Insula, et Timotheo totius Asianæ Provinciæ gubernationem à D. Paulo concreditam aperte statuunt; qui deinceps Episcopus in variis earundem Provinciarum urbibus constituerint. Num vero Apostoli omnibus, ac singulis Provinciis ejusmodi Metropolitans præfererint, recte quæri potest. Vero similior videtur Petri de Marca sententia, qui *Lib. VI. cap. 1. n. 9.* censet, Apostolos in Timotheo, Tito, et fortasse etiam in aliis à se in principibus civitatibus constitutis Episcopis specimen quoddam metropoliticæ potestatis dedisse, executionem vero, et complementum sequentibus temporibus reliquisse.

II. Adhæc quum identidem hæreses, et schismata erumperent, tum inter Episcopos controversiæ oborirentur, fortasse illud maxime opportunum visum fuit, unum aliquem in singulis Provinciis Episcopum constituere, cujus ad arbitrium oborti casus referrentur; atque ita tum fidei tuendæ, tum paci Ecclesiasticæ fovendæ consultum foret: id vero non multo post Apostolorum ætatem.

III. Profecto Canones sic dicti Apostolici *Canone XXXIII.* αδ πρώτος meminere, seu Primarii in quavis provincia Episcopi, quem reliqui, *ceu Caput τῶν κειραλῶν* agnoscant, et nihil faciant, quod sit arduum, aut magni momenti præter illius sententiam. Synodus Illiberit. Can. LVIII. de primæ Cathedralæ Episcopo loquitur; tum Irenæum Lugdunensem ceteris Galliæ Episcopis præfuisse, scribit Eusebius *Lib. V. cap. 24.* Igitur jam inde ab Apostolorum ætate Metropolitanarum vestigia adparent; at vero nullibi ante Concilium Nicænum Can. VI. nomen illud invenies; (\*\*\*) neque in Hispania ante Tarracon. an. 516. Can. V. (\*) primitus enim dicebantur πρωτοι, κειραλαι, *Primæ Cathedralæ Episcopi, Primates Provinciae, Principes, et Primæ Sedis Episcopi.*

IV. In Africa Metropolitanis, qui ex Concilii Carthag. III. Can. XXVI. *Primæ Sedis Episcopi* dicendi erant; interdum adpellati inveniuntur *Patres, et Senes*; uti ex Cod. Africano Can. xc. et ex multis Augustini Epistolis 136. 149. 152. 235. 261. aliisque colligitur: cujus nominis illa ratio est, quod sola Carthagine excepta, cujus Episcopus firmiter Provinciae *Africae* sic dictæ Metropolitanus habebatur, in reliquis Provinciis Primatus, seu jus Metropolitanicum de civitate alia in aliam transferebatur, et semper cum seniore Provinciae Episcopo migrabat; uti ex Concilii Milev. I. in Cod. Afric. Can. LXXXIV. et ex pluribus Augustini Epistolis, præsertim vero ex 217. perspicuum est. (\*\*\*) In Hispania autem perpetuus Metropolitanæ titulus uni videtur adfixus Ecclesiæ in præfato Can. LVIII. *Illiberit.* id quod extra dubitationem obtinebat exeunte eodem sæculo IV. uti colligitur ex Epist. Siricii ad Hicm. an. 385. (\*)

V. Quinimmo et Episcopo Seniori ubi contigerit haud recte suo munere fungi, auferri poterat; quo in casu ad proximum in ordine, qui se ante reliquos omnes consecratum probasset, devolvebatur: Aug. *Ep. 261.* In aliis etiam provinciis quid simile accidebat, ubi Metropolita à recta legum norma descisceret; tunc enim munere ei ad tempus abrogato, Primatus plerumque Seniori in Provincia committebatur: Eusebius *cap. 23.*

VI. Metropolitanæ igitur sunt Episcoporum Provinciae Præsules; dicti Metropolitanæ ex eo, quod in urbe, quæ civili

politia Metropolis erat, plerumque constituti essent. Quinimmo iv. et v. Sæculo jus metropoliticum Ecclesiasticum cum civili adeo conjunctum erat, ut Synodus Taurinensis an. 397. *Can. i.* decreverit: *Qui ex iis comprobaverit suam civitatem esse Metropolim, is totius Provinciæ primatum obtineat.* Et Chalced. *Can. xvii.* *Si qua vero civitas potestate imperiali novata est, aut si protinus immovetur, civiles dispositiones, et publicas, Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordines subsequantur:* hinc, uti ad rem observat Christ. Lupus Schol. in *Can. xii.* Chalced. *divisa per Principem provincia quomodo duos Proconsules, aut Rectores civiles, ita duos acciperet Metropolitæ.*

VII. In Regionibus, quæ modo Regnum Neapolitanum constituunt, num antiquitus fuerint Metropolitanæ gravis inter Eruditos, nec adhuc finita lis est. Plerique ad viii. usque sæculum nullos fuisse censent; atque adeo Rom. Pontificem Ecclesiarum Suburbicariarum Metropolitanam duntaxat faciunt. At contra Petrus de Marca *Conc. Sac. et Imp. Lib. I. cap. 7.* contendit jam inde ab iv. sæculo tum in reliquis, tum vel maxime in iis suburbicariis Provinciis, quæ ad Regnum Neapolitanum pertinent, Metropolitæ, Metropoles, et Provincias Ecclesiasticas agnoscendas; idque pluribus, nec contemnendis ex antiquis monumentis desumptis rationibus demonstrat. Quænam hoc in capite nobis sententia adrideat, in nostris *Antiquitatibus Christianis* aperiemus.

VIII. Sæculo viii. uti Tit. *super.* indicavimus, quum Sicilia ac plures Regni Neapolitani præsertim maritimæ Ecclesiæ ab R. Patriarchatu avulsæ Throno Constantinopolitano adnexæ fuerint, Patriarcha Constantinopolitanus uti Episcopum Syracusanum per Siciliam, ita Episcopos Rheginum, et S. Severinæ per Calabriam Metropolitæ constituit: Nilus Doxopatrius *De quinque Thronis Patriarchalibus* apud Leonem Allatum *de Eccles. Orient. et Occident. perpet. cons.* et Novella Leonis Imp. apud Leunclavium *Jur. Græc. Rom. Tom. I.* In eadem Novella recensentur Episcopi eorundem trium Metropolitanarum Suffraganei: scilicet num. XXXII. *Rhegiensi, sive Calabriæ. 1. Bibonensis. 2. Taurianæ. 3. Lorridis. 4. Rusiani. 5. Scylacii. 6. Tropæi. 7. Amantæ. 8. Crotonæ. 9. Constantiensis. 10. Nicoterensis. 11. Bisuniani.*

12. *Novocastrensis*. 13. *Cassani*. Num. XLIX. *Severianæ, Calabriæ*. 1. *Eurysatensis*. 2. *Acerentinus*. 3. *Gallipolitanus*. 4. *Aisylorum*. 5. *Castriveteris*. Sub *Syracusano Siciliae*. 1. *Taurominitanus*. 2. *Messanensis*. 3. *Agrigentinus*. 4. *Croniensis*. 5. *Lilybæi*. 6. *Drepani*. 7. *Panhormitanus*. 8. *Thermarum*. 9. *Cephaludii*. 10. *Alesæ*. 11. *Tyndarii*. 12. *Melitensis*. 13. *Liparensis*.

IX. Idem Constantinopolitanus Patriarcha nonnullis Episcopis, quos ad Metropolitanam dignitatem evehere ipsi non licuit, honorificum duntaxat Archiepiscopi titulum est elargitus: uti præ ceteris Neapolitano et Messanensi. Unde in eadem Leonis Novella occurrunt *Archiepiscopatus XIV. Neapolis. XV. Messana. LV. Hydruntino qui subsit, nullus est Thronus*. Profecto Sergius Episcopus Neap. uti scribit Joannes Diaconus in Chron. Episc. Neap. dum à Græcorum Pontifice Archiepiscopatum nancisceretur, ab Antistite Romano correptus veniam impetravit. Denique secutis temporibus quum et aliæ Regni Neap. civitates ab ditione Langobardica à Græcis subtractæ fuissent, earundem quoque Ecclesiæ Throno Constantinopolitano adscriptæ sunt, uti Tarentum, Brundusium, Tranum. Unde Doxopatrius ibid. *Melodusac Poeta Dominus Marcus, Hydruntum à Constantinopolitano missus fuisse comperitur. Cum autem universæ Longobardiæ ducatus, quæ vetus Hellas erat, sub Imperatore erat Cpolitano; Papa vero separatus cum aliis gentibus vivebat; propterea Patriarcha Ecclesias obtinebat; nam Brundusium, et Tarentum à Constantinopolitano Sacerdotes accipiebant; idque nullum latet*. Quinimmo Episcopus Bariensis ad Metropolitanæ dignitatem evectus est, ipsique duodecim Suffraganei adsignati sunt. Auctor Hist. Civil. Neap. *Lib. VIII. cap. 6*. Uti quoque Luitprandus Cremonensis Episc. *Legatio ad Nicephorum Phocam pro Othonib.* refert Episcopos Acheruntinum, Turcicum, Gravinensem, Materanum, et Tricaricensem fuisse per Nicephorum Phocam subjectos Metropolitanæ Hydruntino.

X. Dum res ita se habebant in Provinciis Throno Cpolitano subjectis, in reliquis Regni Neap. medio sæculo IX. R. Pontifices quasdam magis conspicuas Ecclesias in Metropoles Ecclesiasticas evehere cœperunt. Ac primo ejusmodi

dignitatem promeruere Campana, Beneventana, Neapolitana, Salernitana, Amalphantana, et Surrentina, quibus suffraganeæ adtributæ sunt Ecclesiæ. Quod institutum dein in omnibus Regni Provinciis servatum est, ac postremo complementum accepit postquam Northmanni Principes nostri, græcis devictis, suas R. Pontificibus Ecclesias restituerunt.

(\*\*) XI. Metropolitæ quoque *Archiepiscopi* cognominati sunt quasi primi inter Episcopos; quæ quidem vox non simul ac inventa est, omnibus tributa est Metropolitæ, sed expectatissimis duntaxat Episcopis, iisque nonnisi in Oriente, neque ante sæculum iv. apud Athanasium in Catalogo, quem Meletius Alexandro dedit, et Epiphanium *Hæres. LXVIII. et LXIX.* Verum usitatio fieri cœpit à sæculo v. et in Occidentem inducta ineunte sæculo vii. Tandem vero à sæculo viii. cuncti fere Metropolitæ *Archiepiscopi* dictione decorati sunt, ea tamen non videmus usos esse Hispaniarum Episcopos in subscriptionibus usque ad Conc. Ovetense an. 1115. (\*)

(\*\*) XII. Hispania igitur, quæ Constantini Magni decreto in quinque civiles Provincias partita erat, in easdem quoque Ecclesiasticas divisa erat, labente saltem sæculo iv. uti evincitur ex præf. Epist. Siricii, in Carthaginensem, nempe, Bæticam, Lusitanam, Gallaicam, et Tarraconensem, quarum institutæ sunt Metropolitanæ, Toletana in Carthaginensi, Hispalensis in Bætica, Emeritensis in Lusitania, Bracarensis in Gallæcia, Tarraconensis in Tarraconensi. Sunt qui putent, Carthaginem Spartariam primo constitutam esse Carthaginensis Provinciæ Metropolitim: nos vero nullum huiusmodi tuendæ opinioni momentum invenimus, et Cajetanus Cennius *Antiquit. Eccl. Hisp. Tom. I. Dissert. II. cap. 3. à §. 9.* acerrime contendit, Toletum fuisse semper ejusdem Provinciæ Metropolitim, cui nostrum etiam calculum addimus, post comperta quoque à Card. de Aguirre Acta Conc. Ovetensis an. circiter 873. in quorum §. 7. hæc traduntur: *Legimus Gotthos dignitatem Carthaginis Toletum transtulisse;* quippe quæ de dignitate civilis Metropolis intelligenda esse, existimamus. Narbonensis, quæ quum sibi eam adsciverit Ataulphus, facta est alterum Hispaniæ nostræ membrum, Narbonæ suum habuit Metropolitam. Duas alias Hispaniarum



Provincias prætermittimus, Tingitanam videlicet, seu Transfretanam in Africa, et Insularum Balearium; eo quod neutra earum ad Hispanam Ecclesiam pertinuisse videatur. (\*)

(\*\*) XIII. Anno 569. quo celebratum est Lucense Concilium, Luco datum est secundam esse Gallæciæ Provinciæ Metropolim; et quamvis non una sit de hoc Concilio eruditorum opinio, exploratum tamen est, tribus annis ab eodem Concilio, Bracaram simul et Lucum fuisse Metropolites, id quod evincitur ex Præf. ad Syn. Bracar. II. an. 572. *Quum Gallicie Provinciæ Episcopi tam ex Bracarensi, quam ex Lucensi Synodo cum suis Metropolitanis.... convenissent;* quin et in purioribus fortassis Codicibus subscribunt, primo, *Martinus Bracarensis Metropolitanæ* cum suis Suffraganeis, dein *Nitigis Lucensis Metropolitanæ Ecclesiæ* cum ejus itidem Suffraganeis. (\*)

(\*\*) XIV. Quænam fuerit sæculo IX. hujus Gallicæ Provinciæ Metropolis, ambigua sane res est, et prorsus obscura. Ovetum fuisse putabimus, si fides adhibenda est Roderico Archiepiscopo Toletano; quippe qui *Lib. IV. De rebus Hispaniæ cap. 18.* refert, Joannis VIII. mandato collectum esse Concilium Ovetense, ut Ecclesia hæc Metropolitanica decoraretur dignitate, id quod innuit quoque Calixtus II. in quodam Rescripto an. 1122. apud Sandoval. Et sane in Actis præf. Syn. Ovetens. §. 5. Bracara simul et Lucus Ovetensi Salvatoris Ecclesiæ subjectæ decernuntur. At si credimus Catalogo Emilianensi quem Floretius suæ inseruit *Hisp. Sacræ Tom. IV. Tract. III. cap. VI. num. 346.* exaratum an. 883. existimans, sola Bracara in Gallæcia Metropolitanico potiebatur honore. (\*)

(\*\*) XV. At undecimo sæculo in quo nullum jam vestigium adparet Metropolitanici honoris Oveti tributi, immo Ovetensis Episcopus sola Episcopi dictione decoratus legitur in Exord. Conc. Cojacen. an. 1050. inter alios forsán disceptabatur, ita ut *Vimarasius Episcopus Lucensis* Metropolitanæ titulo insignitus subscribat Syn. Compostellano an. 1056. et *Didacus Archiepiscopus Jacobensis*, id est Compostellanus Conc. Ovetensi an. 1115. quin et in Catalogis à Floretio editis ubi supra *Cap. VII.* nunc Gallicianus Metropolitana, *Archiepiscopus Emeritensis, vel Compostellanus,* nunc

*Archiepiscopus Emeritensis, Compostellanus* dicitur; donec tandem Calixtus II. an. 1120. Metropolitanam dignitatem Compostellano adjudicandam decrevit, primusque institutus est Archiepiscopus Didacus Gelmirez, ut adparet ex Bulla, quam Floretius exhibet *Tom. XX.* Unde amissa penitus à Lucensibus antiqua prærogativa, et Bracara alterius Regis subjecta ditioni, una inter Gallaicos Metropolis Ecclesiastica Compostella est. (\*)

(\*\*) XVI. In Tarraconensi tres aliæ constitutæ sunt Metropoles, Valentina ab Innocentio VIII. an. 1292. primusque electus Archiepiscopus Rodericus à Borgia, qui deinde ejusdem Innocentii in Sede Romana fuit Successor. Cæsaraugustana à Joanne XXII. et in Syn. Cæsaraugust. an. 1318. sub Petro de Luna confirmata. Burgensis à Gregorio XIII. 22. Octob. an. 1574. (\*)

(\*\*) XVII. In Bætica quoque secunda erecta est Metropolis, Granatensis videlicet ab Alexandro VI. primusque electus Archiepiscopus Ferdinandus à Talavera, charitate, et rerum gerendarum scientia clarissimus. (\*)

(\*\*) XVIII. Unde quum Majoricensium Ecclesia Valentiniæ facta fuerit Suffraganea, et Narbonensis Provincia inter Galliarum Regis ditiones jam diu enumeretur, octo exstant hodie in Hispania Metropolitanæ, scilicet Toletanus in Castella Nova, Hispalensis in Bætica, Compostellanus in Gallicia, Granatensis in Granatensi Regno, Burgensis in Castella Veteri, Tarraconensis in Catalaunia, Cæsaraugustanus in Aragonia, Valentinus in Valentia: binique Episcopatus exempti, Ovetensis videlicet, cujus exemptio à Metropolitana dignitate quondam illi tributa forte provenit, et Legionensis ex privilegio, ut ferunt, Lucii Papæ. Videsis *Ægidium Gonzalez Theatr. Eccl. Legion.* (\*)

XIX. Episcopi igitur, qui Metropolitanis subsunt, vocantur *Suffraganei*, hoc est *Auxiliares*: cap. 11. de *Electione*. Qui licet olim decem minimum esse deberent, tamen usu receptum est, ut etiam longe minores numero esse possint. Metropoli Neap. quatuor habet Suffraganeos Episcopos, scilicet Accerranum, Isclanum, Nolanum, et Puteolanum. Quinimmo Metropoli nomen, et dignitatem Metropolitanam perpetuo retinet, licet Suffraganeos amittat. (\*\*) In

His-

Hispania licet olim Metropolitæ plus decem sub se haberent Suffraganeos, non ita Bracarenſis, et Lucenſis poſt peractam à Concilio diſiſionem, quidquid ſit de hoc Concilio Lucenſi. Bætica etiam, Gallaica, et Narbonenſis ſæculo IX. decem minus præfuerunt Suffraganeis. Videtiſ Catalog. Emilian. apud Floretium *ubi ſupra*. Quantum ad hodiernam ſpectat diſiſionem, ſola Compoſtellana duodecim habet Suffraganeos, ceterarum vero nulla, decem. (\*)

### Metropolitæ Jura.

XX. Ad jura quod ſpectat, præcipua erant I. Episcoporum ſuffraganeorum electiones confirmare, eodemque ordinare; uti ipſe Metropolitæ à ſua Provinciali Synodo confirmandus erat: (\*\*). Syn. Tolet. IV. *Can. XIX.* alias *XVIII.* (\*)

2 Controverſias inter Suffraganeos ſubortas auctoritate ſua decidere, ab iſſique acceptare provocacionem: (\*\*). Syn. Emerit. *Can. VIII.* et Tolet. XIII. *Can. XI.* (\*)

3 Indicere Synodum Provinciæ, eidemque præſidere: (\*\*). Syn. Tarracon. *Can. VI.* et Bracar. I. *Cap. VI.* (\*)

4 Totius Provinciæ Eccleſias inviſere, et in inductos Canonum neglectus, aliasque pravæ conſuetudines inquirere. Verum ex Concilii Trid. *Sess. XXIV. Ref. cap. 3.* hoc jure Metropolitæ uti nequit, niſi ſua Diœceſi prius luſtrata, et ex cauſa cognita, probataque in Synodo Provinciali.

5 Episcopos in ſuo munere adimplendo negligentes inſtar patris, et doctoris monere, et corrigere: (\*\*). Syn. Tolet. XI. *Can. II.* (\*)

6 Eccleſiaſticos Canones, ac Imperiales Sanctiones ad eccleſiaſticum regimen pertinentes evulgare, Suffraganeis communicare, et providere, ut obſerventur: (\*\*). Siricius Papa Epistoſa ad *Hier. Tarrac. in fine.* (\*)

7 Ubi ſedes aliqua Episcopalis intra ſuam provinciam vacaret, ejus curam gerere, negotia dirigere, redditus in tuto ponere, maturamque novi Episcopii electionem procurare: (\*\*). Syn. Tolet. IX. *Can. VII.* id quod viciniorem Episcopum quondam ſpectabat. Syn. Valent. *Can. II.* (\*)

8 In diem, quo Paſcha celebrandum eſſet, inquirere, de

eoque Provinciæ Episcopos admonere: (\*\*) Syn. Tolet. IV. *Can. v. (\*)*

9 (\*\*) Sacrarum Precum ordinem constituere, ac quemcunque alium à Metropolitanæ Ecclesiæ diversum abrogare: Syn. Gerund. *Can. i.* et Tolet. XI. *Can. iii. (\*)*

10 Denique jure Decretalium Vicarium Capitularem sede vacante constituere, si Capitulum infra octo dies ab Episcopi morte eum eligere neglexerit: *Cap. 4. De supplenda negligentia Prælatorum in VI.*

XXI. Jure Tridentini, veluti Ordinarius Coepiscoporum Superior, potest eos quolibet saltem triennio ad Provinciam Synodum cogere: *Trid. Sess. xxiv. Ref. cap. 2.* negligentes ad officium revocare, absentes vero à suis Ecclesiis etiam per fructuum subtractionem ad residendum compellere: *Sess. xxiii. Ref. cap. 1.* et Pius IV. in Constitutione X. quæ incipit: *De salute gregis.*

XXII. Porro jure novo Metropolitanis in Dioceses suffraganeas, siye in Coepiscoporum subditos nullam exercere licet jurisdictionem, nisi 1. in causa adpellationis. 2. in actu visitationis: 3. in casu devolutionis: *Can. i. sequent. Caus. 9. Q. III. in Cap. 1. de Officio Legati ex Alexandri III. Decret.* sancitur: *Archiepiscopus metropolitico jure audire non debet causas de Episcopatibus, nisi per adpellationem deferantur.*

## TITULUS XIV.

### *De Pallio Metropolitico.*

**P** I. Præcipuum Metropolitanarum Insigne est *Pallium*, dictum à Græcis *ἡμωπίδιον*, lanea scilicet Fascia nigris crucibus distincta humeris imposita in circuli forma, atque ante pectus, inque humeros deorsum pendens significans pastoralis officii pro ovium salute sollicitudinem, et amplitudinem potestatis, sumtum ex altari, ubi conditum est B. Petri corpus: adeo ut ex eodem B. Petri corpore sumtum vulgo dicatur: *Cap. 4. de Electione.*

II. Pallium, quod seculis temporibus Metropolitanarum potius ornamentum fuit, quam indumentum, antiquitus peculiar-

liare quoddam vestimenti genus erat, quo totum corpus amiciebatur. Cicero II. de Divinat. 143. *Corpus ejus textit sub pallio*; et III. de Orat. 125. *Hippias gloriatus est pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se manu sua confecisse.* Idem ex binis Pelagii ad Sapaudum Arel. Epistolis, et ex altera Gregorii M. ad Maurinianum Ravenn. perspicuum est.

III. Quinimmo principio ab Imperatoribus caussa honoris, et dignitatis Patriarchis, ac forte etiam insignioribus quibusdam Metropolitans concedebatur; quippe qui Christi Sacerdotium imperialibus insignibus condecorari voluerint: istuc tum ex facto Antimi constat, qui è Constantinopolitana Sede expulsus Pallium, quod habuit, Imperatoribus reddidit: Liberatus in Breviario *Cap. 21.* tum quoque ex Gregorio M. *Lib. 1. Ep. 22.* qui pro Anastasio Antiocheno Patriarcha apud Imperatorem intercedens rogat, ut *eum concesso usu pallii Romam transmitteret, quatenus si ei ad suam Ecclesiam minime reverti liceret, saltem Romæ in honore viveret suo.* Plura huc spectantia videsis apud Petrum de Marcâ *Lib. VI. cap. 6.* et apud Thomass. *Part. I. Lib. II. cap. 35.* Igitur VI. sæculo jam in usu erat Pallium, quo ex Imperatorum liberalitate utebantur Patriarchæ.

IV. Illud quoque constat, Patriarchas acceptum ab Imperatore Pallium, nonnisi de ejus adsensu aliis communicasse; ita Vigilius *Ep. I. ad Auxanium*, et Gregorius M. *Lib. VII. Ep. 5.* Verum dein factum est, ut Pontifices Pallium non requisito Imperatorum adsensu, atque adeo jure nato, ac propria auctoritate concederent; ita ut neque Patriarcha Constantinopolitanus, nisi permittente Pontifice, Pallio uteretur. Qua in re licet per aliquod tempus (si fides Luitprandò apud Baronium an. 934.) varia fuerit Ecclesiæ Constantinopolitanæ disciplina; attamen sæculo XIII. jam per Latinos subacto Græcorum imperio, in Synodo Later. IV. sancitum est, ut Patriarchæ, nonnisi à Pontifice Pallium accipiant; quod suis deinceps impertiant Suffraganeis Metropolitanis.

V. Occidentem quod spectat; principio Pontifices hoc honore decorarunt tantummodo Metropolitanas ad suam pertinentes consecrationem, et Episcopos Sedis Apost. Vicarios; quos

quos posterior ætas *Legatos natos* dixit. Istuc ex Epistolis Vigilii ad Auxanium, Pelagii ad Sapaudum, et Gregorii M. ad Augustinum perquam manifestum est. Unde accidit, ut Metropolitæ Pallii essent cupidissimi. Et quamvis initio Pontifices non nisi parce illud concederent, tamen post liberaliores hac in re fuerunt; adeo ut omnibus generatim Archiepiscopis illud petentibus elargirentur, donec tandem hæc petitio in necessitatem abierit.

VI. Igitur jure novo in Pallio pastoralis officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis adpellatione confertur: *Cap. 3. De Auctoritate, et usu Pallii.* Unde ne nomen quidem quis Archiepiscopi meretur, antequam Pallium receperit, sine quo prohibetur Concilium Provinciale celebrare, Chrisma conficere, Episcopos consecrare, aliaque pastoralia exercere munia, quæ cum Missæ Sacrificio sunt obeunda: Hostiens. in Summa hoc tit. cap. 18. *Cap. 28. §. super eo de Electione, Dist. 100. per tot.*

VII. Archiepiscopo intra tres menses à Consecratione Pallium petendum est, et quidem enixis effusis precibus *instantanter, instantius, instantissime* à Summo Pontifice in Consistorio Cardinalium personaliter, si adsit, absens per Procuratorem, qui juramento spondeat se reverenter delaturum illud, vel ut deferatur, curaturum. Tum Pallium non conceditur, nisi præstito prius fidelitatis, et obedientiæ erga Sum. Pontificem jurejurando. (\*\*). Quo autem tempore hæc conditiones Metropolitæ imponi cœperint, incertum est. Illud Eruditi norunt falso Pelagio tribui, et in *Can. 1. Syn. Ravenn. an. 877.* legi. Videsis *Espenium Jur. Eccl. P. I. Tit. XIX. cap. 5.* (\*) Demum electus præsens in urbe Pallium à Primo Card. Diacono accipit, absens vero ab aliquo Archiepiscopo, cui Papa id delegaverit. (\*\*). At pro Hispaniarum Regnis ad ornandos Pallio Indiarum Archiepiscopos delegatur hodie facultas alicui ex Dignitatibus ejusd. Ecclesiæ. Videsis *Vilar de Regim. Eccl. Part. I. Q. IV. art. 3.* (\*)

VIII. Papa quum consecratur, ipse sibi Pallium imponit, eoque ubique gentium, et semper utitur, quippe cujus potestas per universum Christianum orbem diffunditur: ceteri vero non nisi intra jurisdictionis suæ limites, certisque determinatis diebus: (\*\*). *Cap. 4. hujus Tit.* Sed quamvis pos-

sent olim Archiepiscopi Pallio intra Provinciam ornatī incedere: *Cap. I. hujus Tit.* jure tamen novo peculiare jus est Compostellani: *Cap. 5. ejusdem*, nisi hoc ei de novo interdictum videatur à Trident. *Sess. vi. Ref. cap. 5.* ut putarunt nonnulli. (\*)

IX. Pallii insigne Metropolitæ personæ, ejusque Ecclesiæ ita adhæret, ut neque alteri commodari possit, et secundum, ac tertium petendum sit, si iterum, ac tertio Ecclesiam mutet. (\*\*). Atque hæc de re hujus Pallii petitio magis ac magis in necessitatem abiit, licet quandoque etiam non petentibus concessum sit, uti Leandro Hispalensi Gregorius Mag. *Epist. CXXI. Lib. IX. Indict. II.* (\*) Demum ubi Archiepiscopus sepelitur, cum eo simul Pallium, vel Pallia, si plura receperit, humanda sunt: *Cap. 2. de Auct. et usu Pallii*, *Cap. 4. de Postulat. Prælatorum.*

## TITULUS XV.

### De Episcopis.

I. **A**c primo in vocis *Episcopi* etymon inquiramus. *Ἐπίσκοπος* igitur græce, latine interpretatur *Inspector*; hinc Plutarchus: *ἐπὶ χρηστῶν ἐπίσκοποι, καὶ πονηρῶν ἔργων*, *Dii bonorum inspectores, iniquorumque operum.* Item *alicui rei gerendæ præfectus*: hinc idem Plutarchus in Pericle: *omnia curabat Phidias: πάντων Ἐπίσκοπος Φιδίας.* Exponitur etiam *Custos*: apud Theocr. Idyl. VI. Recte igitur apud Christianos sacri gregis *Inspectores*, primique *Custodes*, ut et æternæ salutis procurandæ *Præfecti* à primis usque temporibus dicti sunt *Episcopi*.

II. Non modo Episcopatum reliquis Ecclesiasticis ordinibus præminere; verum et Episcopos Presbyteris etiam jure divino ordine, et potestate præstare, posset hic petitis ex ima Ecclesiastica antiquitate monumentis demonstrari. Quod sanè Christianæ doctrinæ caput adversus hæreticos sic dictos *Presbyterianos* in Synodo Tridentina definitum est: *Sess. XXIII. Can. 7.* Quare ejus tractationem Theologis relinquere juvat, ne in alienam messem immittere falcem videamur.

III. Hac igitur ratione, quod Presbyteris divina institutione præcellant, pluribus in antiqua Ecclesia honorum titulis ornati sunt: Ac 1. adpellati sunt *Apostoli*, ut à Presbyteris distinguerentur: ævo namque Apostolico Episcoporum, et Presbyterorum nomina utrisque communia illos ab his non distinguebant: *Theod. Comm. in I. Thimoth. 3. et in Philipp. 1. et 2.* at dein *Apostolorum Successores* dicti sunt: *Cyprianus Epist. 42. ad Cornelium*: unde quælibet Episcopi sedes *Cathedra*, vel *Sedes Apostolica* dici consuevit: *Sidon. Apoll. Lib. VI. Ep. 1. et Paulinus Ep. 45.*

2 Aliquando nuncupati etiam sunt *Principes*, *Rectores*, *Præpositi*, *Præsides*, *Antistites*, et quidem plerumque cum addito *Ecclesiæ*, ut à Principibus sæculi distinguerentur.

3 Quinimmo quum Episcopi non populo tantum, sed etiam Clericis præessent, idcirco dicti quoque sunt *Summi Sacerdotes*, *Pontifices Maximi*, *Principes Sacerdotum*.

4 Quod non modo filios per Baptismum, verum et Patres per Sacramentum Ordinis Matri Ecclesiæ pariant, adpellati sunt *Patres Patrum*, *Episcopi Episcoporum*, *Patriarchæ*, atque etiam *Papæ*.

5 Demum, quod ab ipsomet Christo Episcopi positi sint ad regendum Ecclesiam Dei, nuncupari quoque consueverunt *Vicarii Christi*, *Angeli Dei*, ac *Dii terreni*. His, aliisque honorificis titulis Episcopi antiquitus in Ecclesia donati sunt, quorum aliquot partim cum secundi ordinis Sacerdotibus communes habebant, partim etiam cum ipso Summo R. Pontifice, sed illi speciali ratione tributos, uti suo loco dicimus.

IV. Jam vero Episcopi nonnisi frequentioribus civitatibus præficiendi: hinc Synodus Sardicensis *Can. VII.* constituit: *Non licet simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago, vel parva urbe, cui vel unus presbyter sufficit: non necesse est enim illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen, et auctoritas vilipendatur.* (\*\*\*) Eandem disciplinam antiquis adductis Canonibus confirmavit in Hispania Syn. Tolet. XII. *Can. IV.* (\*) Verum hæc regula non ubique adcurate servata est, quum non desint in veteri Ecclesiastica Historia exempla Episcopatum etiam in parvis oppidis constituto-



rum. E. g. Nazianzus, Geras prope Pelusium, Cucusus in Armenia Dolicha, Olbia, aliaque, nonnisi parva erant oppida, et tamen Episcopus habebant: idem dicas de provinciis Romanis, et Africanis, in quibus frequentissimi, vel in oppidulis Episcopatus. Uti patet ex Subscriptionibus Conciliorum: *Vide Dissert. de Ecclesia Setina Cl. Viri Georgii.*

V. Porro Episcopi sive in parvis oppidulis, sive in magnis urbibus sint constituti, eandem omnino habent Sacerdotii plenitudinem, quam Christus in sinum Patris reversurus Apostolis infudit suis dicens: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos.* Qua de re, uti modo notavimus, *Summi Sacerdotes* passim à veteribus adpellati sunt; atque adeo S. Ignatius M. *Epist. ad Trall.* Episcopis Christi adpingit personam: *Revereamur, inquit, omnes Episcopum, ut Jesum Christum existentem Filium Patris.*

VI. Igitur Episcopi à Christo plenitudinem accipiunt Sacerdotii: id constat

1 Ex iisdem modo productis Christi verbis, quibus Apostolos est adlocutus: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum S. quorum remiseritis &c.* atque Apostoli quam potestatem à Christo recta acceperant, eandem in suos successores transfuderunt.

2 S. Paulus *Act. XX.* excitando studium et charitatem Episcoporum erga Ecclesiam, eo utitur argumento, quod à Spiritu S. ad illam regendam positi sint: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos idcirco posuit* (designavit, constituit) *Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

3 S. Cyprianus *Ep. 65.* aperte docet Episcopos æque ac Apostolos, atque adeo in ipsis Apostolis fuisse, tanquam in semine, à Christo Domino institutos: *Apostolos, id est Episcopos, et Præpositos Dominus elegit.* Quum igitur Apostoli à Christo potestatem accepissent, idem profecto de Episcopis sentiendum; præsertim quum idem Cyprianus *Lib. de Unitate Eccles.* de Episcopis scribat: *Episcopos Ecclesiis dominicis, in toto mundo divina dignatione præpositos.*

4 Ex eodem Cypriano *Ep. 69.* Hieronymo *Ep. 1.* Nicolao I. *Ep. 47.* aliisque veterum testimoniis perspicue educitur Episcopus Apostolis *vicaria ordinatione succedere*; tum quoque *Ecclesiam à Christo Apostolis, ac per eos tanquam*

*hæreditario jure Successoribus eorum fuisse commendatam:* denique *Episcopos*, tanquam *Apostolico gradui succedentes Ecclesiam Christi Sponsam gubernare*. Porro de ratione Successoris est suam potestatem ab eodem habere, à quo habuit prædecessor; alioquin vera successio non esset, sed nova institutio. Igitur *Episcopi* æque ac *Apostoli* recta à *Christo* suam habent potestatem. At de his fusius *Theologi*.

VII. Per priora *Ecclesiæ sæcula* quum simul in *Synodo* *Provinciæ* et electio confirmaretur, et novus electus *Episcopus* consecraretur; hinc in *Potestate* *Episcopali* nulla facta est distinctio. At quum secutis temporibus confirmatio à consecratione disjungi cœperit, atque adeo opinio invaluerit solam electionis confirmationem *Ecclesiæ Pastorem* constituere; hinc in *Potestate* *Episcopali* *Jurisdictio* ab *Ordine* separata est; ita ut nomine *Jurisdictionis* omnis potestas intelligatur, quæ *Ordini* non est adfixa; *Ordo* vero ea tantummodo complectatur, quæ *Episcopo* vi sacræ *Ordinationis* conveniunt, quæque aliis committere nequit.

VIII. Adhæc quum jure antiquo omnes prorsus hominum ordines *Diœcesim* incolentium *Episcopo* subjicerentur; adeo ut *S. Cyprianus* *Epist. 69. ad Papiam*. scripserit: *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo; et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse*; post multa tamen sæcula *Monachi*, aliæque conditiones hominum ab *Episcopali* potestate eximi cœpissent: hinc factum est, ut *lex Diœcesana* à *lege Jurisdictionis* distingueretur: et legis *Jurisdictionis* nomine omnis *Episcopi* potestas intelligeretur, quæ in dando, vel faciendo consistit; ideoque utraque simul potestas modo explicata *Ordinis* scilicet, et *Jurisdictionis*. Nomine vero *legis Diœcesanæ* potestas significaretur in res *Ecclesiasticas*, et jura *Episcopo* debita: qualia *Cathedraticum*, *Synodaticum*, similia, quæ enumerantur in *Cap. 16. de Officio Judicis Ordinarii*: atque ita à *lege Diœcesana* *Monachi* exempti haberentur; haud vero à *lege Jurisdictionis*; nisi ejusmodi exemptionem speciali privilegio obtinuerint.

IX. *Episcopalis* potestas primæva sui origine nullis personarum, aut locorum finibus divinitus circumscripta fuit. Namque *Diœceseon*, sive *Parœciarum* distinctio non nisi ju-

re positivo primum inducta est: id quod pluribus constat: et quidem

1. Apostoli, quibus Episcopi succedunt, in universum mundum ad prædicandum Evangelium à Christo Domino missi sunt: qua de re licet ex communi, mutuoque consilio, ut Evangelium facilius disseminari posset, totum Orbem, veluti in quasdam Dioceses diviserint, quarum singuli singulas erudiendas susceperunt, attamen non inde veritabantur, quocumque pervenissent, populos docere, Ecclesias fundare, iisdemque Episcopos constituere.

2. Apostoli aliquando discipulos à se rite institutos et ordinatos ad amplas etiam Dioceses, quo ipsi perungere non poterant, ablegare consueverunt, et quidem cum potestate alios constituendi, et ordinandi; cujus rei exemplum habemus in D. Paulo, qui Titum reliquit Cretæ, *ut ea, ait, quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Cap. I. v. 5.

3. Idem mire adstruitur ex ipsa Episcopatus essentia, qui natura sua unus est Episcoporum multorum concordia unitate diffusus; haud secus ac ipsa Christi Ecclesia, cujus præcipuus character unitas est, licet per varias, diversasque Orbis regiones diffundatur. Ad rem Cyprianus in Lib. de Unitate Ecclesiæ: *Episcopatus unus est; cujus à singulis pars in solidum tenetur.* Institutione divina nimirum ita constitutos Episcopatus, ut et Potestas esset amplissima, et locus non esset circumscriptus: circumscribi tamen posset communi consilio, ac suprema Ecclesiæ Potestate. Qua de re quum id præstitit Ecclesia, non Potestatem, sed Potestati locum circumscripsit.

X. Licet antiquissimo Ecclesiastico jure, atque adeo etiam institutione Apostolica, Episcoporum potestas, nè confusio in Christi corpus induceretur, certis inclusa fuerit locorum limitibus; unde *ibidem* subdit Cyprianus: *singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam negat unusquisque, et gubernet;* attamen non defuerunt Sanctissimi, iisdemque Sapientissimi Episcopi, qui ultra statutos limites, proprias scilicet Parœcias, Episcopalem exercerent jurisdictionem, ubi necessitas, aut salus populi, deficientibus, corruentibus, abscessis Pastoribus id postularet: eo forte principio, quod Epis-

copatus unus sit, cujus in solidum pars tenetur à singulis, adeo ut singuli in solidum obligati ad gregis salutem adcurrerent, ubi deficerent, corruerent, abscinderentur alii, quorum et locum, et onus ex charitate communi subibant. At extra necessitatem suo cuique Episcopo pars gregis circumscripto territorio, extra quod moliri aliquid vetitum, ex Apostolica disciplina est. Atque hinc de S. Cypriano scribit Gregorius Nazianzenus: *Orat. XVIII.* quod non Ecclesiæ solum Carthaginensis, ac totius Africæ; verum et aliarum Ecclesiarum etiam per Orientem curam egerit. Huc quoque faciunt exempla Athanasii, et Eusebii Samosatensis: ille namque teste Socrate *Lib. II. cap. 19.* ex exilio redux per Pelusium iter faciens Alexandriam in quibusdam Ecclesiis ordinationes fecit; hic vero ex Theodoro *Lib. IV. cap. 12.* Syriam, Phœniciam, et Palæstinam militari habitu indutus peragrans Presbyteros ordinavit, et Diaconos, aliosque suffecit Ordines Ecclesiasticos: et *Lib. V. cap. 4.* per Syriam, Ciliciam, aliasque Provincias plures Episcopos creavit. Profecto hi SS. Episcopi, quum de fidei Christianæ veritate adversus gliscentes hæreses ageretur, suarum partium esse duxerunt manum admovere, et pro quibusvis aliis non minus, quam pro suis ipsorum Diocesium necessitate urgente laborare: id quod nunquam præstitissent, si jure divino Diocesium distributio instituta fuisset.

#### *Præcipua Episcoporum munia.*

XI. Quod vero ad Episcoporum munia spectat, profecto primum, ac præcipuum est Verbi Dei prædicatio; hoc sane munus adeo Episcoporum proprium est, ut Apostoli ad illud liberius exsequendum, mensarum, et viduarum servitium in Diaconos rejecerint: *Act. VI.* et Apostolus non dubitaverit adserere se non ad baptizandum, sed ad evangelizandum fuisse missum: *I. ad Corinthios I. 17.* Porro nomine prædicationis quidquid ad fidelium institutionem spectat intelligimus; Sermones nempe publice in Ecclesia habendos; privatas admonitiones, catecheses pro informandis pueris, et rudibus, Epistolas ad populum erudiendum, et in fide, ac in bonis operibus instituendum, aliaque hujus

generis : Trid. Sess. v. Ref. cap. 2. et Sess. xxiv. Ref. cap. 4.

(\*\*) XII. Divini verbi enunciationem esse præcipuum Episcoporum munus probe noverant Hispani Patres, quippe qui in Syn. Tolet. XI. Can. II. ita loquuntur : *Nos . . . qui officium prædicationis suscepimus, nullis curis à Divina lectione privemur : nam quorundam mentes Pontificum ita torporis otio à lectionis gratia secluduntur, ut quid doctrinæ gregibus subditis exhibeat, non habeat præco mutus. Insistendum ergo semper erit Majoribus, ut quos sub regiminis sui cura tuentur, fame verbi Dei perire non sinant.* Profecto revocandis in viam salutis improbis, et componendis Christianorum moribus plurimum confert Episcoporum prædicatione. Unde agebat Syn. Valentina Can. I. *Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad Fidem adtractos evidenter scimus.* (\*)

XIII. Feliciter per quinque priora Ecclesiæ sæcula Episcopi hoc munere functi sunt : nunquam enim sacer fidelium conventus ad Missæ Sacrificium peragendum habitus est sine Scripturarum prælectione, eamque consequente prædicatione, quam nonnisi admodum raro per substitutos exercuerunt. Atque hinc in Africanas Ecclesias, teste Possidio in vita Augustini cap. 5. nonnisi à Valerio primum inducta est consuetudo, ut Presbyteri coram Episcopo, et ex ejus mandato concionarentur. Verum in Ecclesiis Orientalibus facilius ab Episcopis verbum Dei prædicare Presbyteris committi consuevit : uti ex eodem Possidio *ibid.* Socrate *Lib. V. cap. 22.* et *Lib. VII. cap. 2.* Theodoro *Lib. I. cap. 2.* aliisque constat.

XIV. At labentibus sæculis Episcopi plures prædicandi munus adeo neglexerunt, ut omnino conticuisse viderentur : quæ de re Concilium Lateranense IV. *Can. x.* mandavit, ut saltem per alios viros idoneos illud obirent. Verum Tridentina Synodus ad veteris Ecclesiæ disciplinam, quoad ejus fieri poterat, instaurandam, mandavit Episcopis, Sess. xxiv. Ref. cap. 4. *ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus adsument, in aliis autem Ecclesiis per Parochos ; sive iis impeditis, per alios ab Episcopo, impensis eorum, qui eas præstare vel tinentur, vel solent, deputandos in civitate, aut in quacunque par-*

parte Diœccesis censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis, et sollemnibus diebus festis; tempore autem jejuniorum Quadragesimæ, et Adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, divinamque legem adiuvant, et alias quotiescunque id opportune fieri posse judicaverint.

XV. Adhæc quum *Sess. v. Ref. cap. 2.* prohibuerit Regularibus prædicare in Ecclesiis non suorum Ordinum sine Episcopi approbatione, vel in Ecclesiis suorum Ordinum sine Episcopi benedictione; tum de eadem hac re pleniore Concilio disputatum est: unde *Sess. xxiv. Ref. cap. 4.* absolute sancitum est: *Nullus autem sæcularis, sive regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat: (\*\*)* quod pro Hispaniarum Regno firmavit Clemens X. *Constit. Superna* 9. Julii an. 1670. (\*)

XVI. Alterum Episcopi munus est Sacramentorum administratio; quam provinciam antiquitus per se procurarunt. Qua de re S. Ignatius Ep. ad Smyrn. num. 8. *Non licet, inquit, sine Episcopo, neque baptizare, neque agapem facere.* Verum temporis lapsu illam presbyteris aucto fidelium numero demandarunt: ita tamen, ut nunquam ex suo ipsorum arbitrio, atque adeo contra Episcopi voluntatem, sed tantummodo ex ejus mandato illud munus obirent: ad rem Hier. Dialogo contra Lucif. pag. 139. *Sine jussione Episcopi neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi. (\*\*)* Expresius Syn. Hispalensis II. *Can. vii.* (\*)

XVII. At vero Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum ordinatio jure divino adeo Episcopis reservata est, ut Presbyteris committi nequeat. Veteres enim Ecclesiæ Patres, et Concilia de Sacramenti Ordinis administratione loquuntur tanquam de peculiari quadam prærogativa, qua Episcopi à Presbyteris distinguuntur. *Quid enim facit, inquit Hieron. Ep. 85. ad Evagrium, excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Et Chrysost. Hom. XI. in I. Timoth. 3. *Inter Episcopum, et Presbyterum interest ferme nihil... sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus, quam Presbyteri habere videntur.* Idem quoque aperte tradunt Concilia (\*\*\*) antiqua, quæ solis Episcopis, nunquam vero Presbyteris ordinationem adjudicant, (\*) Nicænum *Can. xix.*

Antioch. *Can. IX.* Chalcedon. *Can. II.* Carthag. *III. Can. XLV.*

XVIII. Quinimmo Ordinationes per Presbyteros factæ semper ab Ecclesia, tanquam irritæ habitæ sunt. Unde in Syn. Alex. Ischiras, aliique à Colutho ordinati *ad priorem reversi sunt conditionem*, quippe qui *ordinati à Colutho Presbytero, qui falso Episcopi nomine gloriabatur*: Athan. Apol. pag. 732. Idem omnino de Presbyteris quibusdam in Synodo Sardicensi constitutum est, quippe qui ab Eutychemo, et Musæo, qui Presbyteri tantum erant, Sacerdotio initiati erant. (\*\*). Et Synodi Hispalensis II. Patres *Can. V.* Presbyterum, binosque Diaconos ab officio deponunt, immo ipsorum ordinationem *ignominie eulogium* adpellant, eo quod Episcopus super eos manus imposuerat, Presbytero quodam precationes pronuntiante. (\*)

XIX. Potestatem confirmandi Neophytos Episcopis quoque fuisse antiquitus omnino reservatam perspicua demonstrant Patrum testimonia: Hier. contra Lucif. cap. 4. docet, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manus impositurus excurrat.* Et paullo post: *In Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipit Spiritum S.* Tum Chrysostomus in illud Actuum Apost. *Imponebant manus, et accipiebant Spiritum S.* sic commentatur: *Igitur hoc erat in Apostolis singulare: unde κειραλισ (Præcipuos, hoc est Episcopos) et non alios videmus hoc facere: (\*\*)* et Pacianus noster Epist. de *Nomine Catholico*, et Serm. ad *Fideles, et Catechumenos.* (\*) Verum in specialibus quibusdam casibus posse Presbyteros accepto mandato, ac facultate R. Pontificis, tanquam extraordinarios ministros Sacramentum Confirmationis conferre plerique tenent Theologi. (\*\*). Et merito; si enim antiquitus Presbyteri, sicut et reliqua Sacramenta, ita etiam et Confirmationis Sacramentum, præcipiente Episcopo ministrare poterant, ut evincitur ex Concilio Toletano I. *Can. XX.* his verbis: *Statutum est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, presente vero si ab ipso fuerit præceptum: nunc post hujusmodi dispensationes Rom. Pontifici reservatas, de ipsius mandato fas erit Presbyteris Neophytos confirmare.* (\*)

XX. Ex Ecclesiæ instituto Ordini Episcopali sacræ quædam functiones adeo adfixæ sunt, ut ab Episcopis aliis delegari nequeant: hujusmodi sunt, Consecratio Olei Catechumenorum, et Infirmorum: Innocentius I. *Ep. ad Decentium*: Consecratio Ecclesiarum: (\*\*)*Can. IX. de Consecratione Dist. I.* (\*) et Altarium: (\*\*)*Can. XV. ead. Dist. I.* (\*) Benedictio Abbatum: (\*\*)*Cap. I. de Supplenda negligentia Prælatorum*: (\*) Benedictio major, seu sollemnis: (\*\*)*Can. III. Caus. 26. Q. VI.* (\*) Antiquitus Pœnitentium reconciliatio Episcopo quoque erat omnino reservata: (\*\*)*Can. I. et V. ead. Caus. et Quæst.* (\*)

XXI. Tum inter præcipua Episcoporum munia locum sibi vindicat Oratio; quæ Apostolis adeo cordi erat, ut viduarum, et mensarum cura in Diaconos abjecta, illam æquæ ac prædicationem sibi reservarent. Orationis vero nomine publica indicatur Liturgia, atque ea Liturgiæ pars potissimum, qua Sacrificium pro vivis, atque defunctis offertur. Episcopi nempe, præsertim dum Sacrosanctum Missæ Sacrificium peragunt, pro concredita sibi plebe ferventes Deo preces fundere ex animo debent. Unde Syn. Tridentina *Sessione XXIII. Ref. cap. I.* sic decernit: *Quum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.*

XXII. Ex eadem ratione ad Episcopum pertinet pro Ecclesiæ necessitatibus, aliisque justis de causis publicas preces indicere, orationum formulas concipere, libros eo spectantes evulgare, receptos repurgare, orandi formulas minus pietati congruas abolere, aliaque hujusmodi, quorum nonnulla consecutæ Apostolicæ Constitutiones Rom. Pontifici reservarunt. At de his fusius in nostris *Antiquitatibus Christianis.*

XXIII. Sequuntur Episcoporum munia externam potestatem spectantia. Episcopi igitur partes sunt Fidei, et Doctrinæ Evangelicæ depositum sartum tectum custodire: et quidem ex Apostoli mandato I. *ad Timoth. cap. 6. et II. cap. I.* unde ne aliquis in doctrina fidei, vel morum error obreperet, Synodus Tridentina *Sess. IV. Decret. de edit. et usu Sac. lib.* decrevit, nemini licere imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum



vendere, aut etiam apud se retinere, nisi prius examinati, probatique fuerint ab Ordinario sub pœna anathematis &c. Id quod de libris etiam profanis intelligas, cum ex Bulla Leonis X. edita in Concilio Lateranensi an. 1512. tum etiam ex jam inolita Regni Neap. consuetudine; quam probavit, ac omnino servandam constituit novissimum Concordatum anno 1741. *Cap. 7. num. 2.* At verò multa pecuniaria in typographos hanc legem perfringentes animadvertere Ordinariis regia potestas non permittit. Huc faciunt binæ Constitutiones Pragmaticæ Neap. sub Carolo V. Austriaco ab Petro de Toledo Pro-rege editæ; quarum altera sancitur; ne quis Libros theologicos, aut biblicos Capellano Majore inconsulto edere audeat, aut per fraudem clanculum editos retinere. Altera vero omnino vetat libros quoscunque sine Regis venia typis cudere, aut venales habere. Utraque gravissimas in transgressores constituit pœnas: *Prag 1. et 2. de Impressione Librorum.* (\*\*\*) Illud hic fortasse abs re non erit animadvertere, Bullam Leonis X. laud. *in Sess. x. ejusd. Lateranensis Conc. die 4. Maii an. 1515. celebrata*, editam fuisse, in qua quin de librorum impressione ex instituto ageretur, præter Ordinarii licentiam, hæreticæ pravitatis Inquisitoris adprobationem visum est statuere. Sed 1. in Hispania Ordinarii licentia necessaria non est, nisi ad edendos eos tantum libros, qui in *Leg. XXIV. n. 4. Tit. VII. Lib. I. Novæ Recop.* recensentur, scilicet *Flos Sanctorum, Constitutiones Synodales, Grammatica Latina, Vocabularium*, et alii, qui ad comparandam linguæ latinæ notitiam requiruntur, dummodo hi fuerint jam semel in nostro Regno typis mandati.

2 Pro Libris agentibus de rebus sacris, præter Ordinarii licentiam, quæ expediri non debet adposita voce: *Imprimatur*, vel alia quæ auctoritatem sonet jurisdictionis, exigenda est quoque à Supr. Castellæ Senatu ex *Pragmat. Sanct. 20. Aprilis an. 1773.*

3 Libri, vel folia ad Sanctum Inquisitionis Tribunal spectantia, de solius Inquisitoris Generalis ejusque Regii Senatus mandato imprimuntur: *Lege XXIV. laud. n. 4.*

4 Bullæ quælibet, et quidquid ad Sanctam Cruciatam spectat de Commissarii Generalis licentia prælo donantur: *ead. leg. XXIV. n. 4.*

5 Missale, Breviarium, Martyrologium, Rituale, et id genus alia, quæ publicam respiciunt Ecclesiæ precationem, de ejusdem Commissarii mandato recognita imprimuntur: Videsis *Rescriptum* Gregorii XIII. ad Philippum II. die 10. Septembris anni 1583.

6 Libri à Regularibus concinnati, ut publicæ mandentur luci, ultra licentiam Ordinarii, suorum etiam Superiorum adprobationem, ac dein Supr. Castellæ Senatus facultatem habeant, necesse est: *Sanction. XIII. Tit. VII. Lib. I. vulgo Autos Acordados.*

7 Pro reliquis edendis Libris à solo Castellæ Senatu postulanda est licentia: *eadem Leg. XXIV. n. 2. (\*)*

XXIV. De Sanctorum quoque cultu cognoscere, et iudicare; tum eorundem miracula, ac reliquias probare proprium Episcopi munus est: quinimmo antiquitus Servi Dei, qui mortem obibant, ab Episcopis in Sanctorum Canonem referebantur: id quod deinde posteriores Apostolicæ Constitutiones Summo Pontifici reservarunt.

XXV. Episcopo etiam cura incumbit, ut Sacri Canones exactè custodiantur, quique de novo fiunt, canonicè evulgentur; qua de re Diœcesim lustrare, et Synodum Diœcesanam cogere præcipuæ Episcopalis potestatis partes sunt.

XXVI. Episcopum specialio rem quarundam personarum curam gerere oportet; uti pauperum, orphanorum, viduarum, peregrinantium, (\*\*\*) oppressorum: Syn. Tolet. IV. *Can. xxxii.* alias *xxxv. (\*)* virginum Deo dicatarum, atque etiam Monachorum, quos speciali Episcoporum curæ subjecerunt Patres Chalcedonenses: *Can. iv. et viii.* quamvis posterioribus temporibus in id unice incumbuerint, ut Episcoporum excuterent iugum.

XXVII. Postremo ad Episcopum spectat, tum causas omnes Ecclesiasticas, *Civiles* dictas, ex sensu Sacrorum Canonum suo iudicio definire, tum in eos, qui divinam legem, vel Ecclesiasticas Constitutiones transgrediuntur, etiam criminali iudicio animadvertere, tum demum bonâ suæ Ecclesiæ temporalia administrare. Verum de his fusius opportuniore loco agemus.

XXVIII. Duo hic tantummodo liceat subnectere, veluti extraordinaria quædam Episcoporum officia. Primum dissiden-

tes Fidelium animos in concordiam revocare: (\*\*\*) Syn. Palentina an. 1129. *Cap. XI.* (\*) litesque ex bono, et æquo componere: id quod ex Apostoli verbis *I. ad Corinth. 6.* nonnulli Patres, ac præsertim Augustinus derivarunt. Alterum apud Magistratus pro reis intercedere; id quod tum Patres Sardicenses *Can. VII.* (\*\*\*) et Tolet. *VI. Can. XII.* (\*) decrevere; tum veteres Episcopi haud raro præstiterunt: (\*\*\*) Patres præsertim Syn. Tolet. *IV. in Epilogo.* (\*) In hac officii pastoralis parte eluxit Ambrosii, et Augustini charitas, qui sæpius Magistratus ad veniam reis implorandam convenerunt.

XXIX. Ex hactenus explicatis Episcoporum muniis, (\*\*\*) duo prono alveo fluunt. Primum expedire admodum, ut Episcopi sint *sobrii, casti, prudentes, mansueti, et hospitalitatis amantes; mensa sit illis non superfluis, et exquisitis instructa epulis, sed frugalis; non plus æquo magnifica, et ad delicias comparata supellex; non impudica, aut contentiosa familia.... proventus Ecclesiasticos non in quoscunque usus prodige effundant, quos sciunt non hæreditario jure se à majoribus suis accepisse, sed ad res pie, sancteque gerendas sibi adsignatos fuisse; egenis liberaliter subveniant, cognatos, aut adfines bonis Ecclesiæ non ditent, ut totidem verbis constituit Syn. Valentina an. 1565. Sess. III. Tit. III. cap. 1. cui consonat Toletana ejusdem an. Act. II. Ref. cap. 3. id subjiciens, se non posse, non dolere graviter eas delicias in Episcoporum mensas irrepsisse, quæ jure possent à laicorum mensis utcumque splendidis ablegari: et Compostellana Act. III. Decret. 4. 5. et 6. (\*)*

XXX. Secundum, eos ad residendum obstrictos esse, et quidem jure divino: id quod Tridentinum licet tanquam fidei dogma definire noluerit, tamen pro certo omnino habet; præsertim *Sess. XXIII. Reform. cap. 1.* ubi recensitis pluribus, iisdemque gravissimis muneribus Episcopis *Præcepto divino* mandatis, statim subjungit; *ea nequaquam præstari posse ab iis, qui gregi suo non invigilant, et assistunt.* Quinimmo uti ex Cajetano refert Fagnanus ad Caput *Ex parte* num. 21. *Nullus antiquorum contradicebat, quin Pastores animarum tenerentur sub præcepto divino ad personaliter residendum.*

XXXI. Merito igitur Syn. Trid. tum *Sess. VI. Ref. cap. 1.*

omnes innovat antiquos Canones ad eam rem facientes; tum eadem *Sess. XXIII.* novis pœnis illos coercet, qui ultra duos, vel tres menses in singulos annos à Diœcesi absunt: atque adeo etiam in hac duorum, vel trium mensium absentia, eadem *Trid. Syn.* requirit, ut sit *œqua ex causa sine ullo gregis detrimento* ..... et extra festos dies *Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, et Corpus Christi.*

XXXII. Legitimæ causæ à *Syn. Trid. ibid.* probatæ, cur Episcopus etiam diutius Diœcesi abesse potest, sunt *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas.* At eadem *Syn.* statim subdit, easdem *has legitimæ absentiaë causas à Beatiss. Rom. Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente à suffraganeo Episcopo antiquiore.... in scriptis esse adprobandas: nisi quum absentia inciderit propter aliquod munus, et Reip. officium Episcopatibus adjunctum: cujus quoniam causæ sunt notoriæ, et interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit.*

(\*\*) XXXIII. Qualis autem oporteat esse Episcoporum residentia, perspicue expressit præfata *Syn. Compostellana an. 1565. Act. III. Decret. 1.* scilicet, *ut ii, quibus præsumunt, frugiferam esse sentiant, et officiosam. Prædicent igitur, subjectos visitent, Sacramentum Pœnitentiæ, aliaque Ecclesiæ Sacramenta (si necesse fuerit, aut expedire censuerint) per se ipsos administrent.... Denique in omnibus se tum iudices æquos, tum Patres indulgentes exhibeant sicut Dei ministros.* Similia habet *Valentina* mox cit. *Cap. 1. et Tolet. Act. II. Ref. cap. 1.* hoc adjungens: *Caveant Episcopi ne extra Sedem Cathedralis Ecclesiæ locum aliquem Diœcesis ad continue habitandum eligant.... Alioqui sint Episcopi memores eam residentiam neque Deo gratam esse, neque sacris Canonibus consonam, et ab hac Syn. potius absentiam, quam residentiam censendam fore. (\*)*

## TITULUS XVI.

## De Chorepiscopis.

I. Chorepiscopi hoc nomine donati sunt, quod essent *αἱρε Χορηγῶν Ἐπίσκοποι* *Ruris Episcopi*. Illud hic primum non immerito quæritur Episcopi ne fuerint, an vero tantummodo Presbyteri. Presbyteros eos fuisse communis pæne est Canonistarum sententiâ; at contra Barlovius, Hammondus, alique censent Chorepiscopos omnes antiquis commemoratos canonibus veri nominis Episcopos fuisse.

II. Vero similior videtur Cabassutii, Bellarmini, ac doctissimi Thomassini opinio; nimirum Chorepiscopos suapte natura inspecta, meros fuisse Presbyteros, etsi aliquando contigerit, ut Episcopi essent, quippe qui Episcopi ordinati, antequam Chorepiscopi constituerentur. Id in Nicæna Synodo accidit, quæ Novatianis Episcopis ad Catholicam redeuntibus Ecclesiam ita consultum voluit, ut vel ad Presbyteri Oppidani, vel ad Chorepiscopi officium admitterentur: *Can. viii.*

III. Ceterum meros fuisse Presbyteros, plura demonstrant: 1. Ad similitudinem septuaginta Discipulorum constituti dicuntur. Concilium Neocæsar. *Can. viii.* Atqui secundum veterum sententiam Presbyteri Discipulos, Episcopi Apostolos repræsentant: S. Hier. *Ep. ad Fabiolam.*

2 Episcopi ex Apostolica traditione à tribus saltem Episcopis ordinandi: at Chorepiscopi ab uno tantum Civitatis Episcopo constituebantur: Conc. Antioch. *Can. x.*

3 Patres Concilii Hispal. II. severe increparunt Agapium quendam Cordubensem Episcopum, eo quod Chorepiscopos ad Episcopalia munia exercenda delegarit; et rationem subdunt: *quia Chorepiscopi, et Presbyteri juxta Canones unum sunt*: *Can. vii.*

4 Concilium Metense *Can. viii.* præcipit, ut Basilicæ à Chorepiscopis consecratæ ab Episcopis consecrentur: *Quia juxta Decreta Damasi Papæ, Innocentii, et Leonis vacuum est, atque immane quidquid in Summi Sacerdotii Chorepiscopi*

pi egerunt ministerio ; et quod ipsi iidem sint , qui et Presbyteri.

5 Tandem quæcunque antiquis Ecclesiæ canonibus Chorepiscopis adsignantur officia , eadem et Presbyteros quoque obiisse nemo dubitat.

IV. Jam vero Chorepiscoporum haud exigua erat potestas : nam 1. Hypodiamonës , Lectores , Exorcistas , aliosque inferiores Clericos ordinabant : Syn. Antioch. *Can. x.* tum si Episcopatus caractere insigniti fuissent , Presbyteros quoque et Diaconos ordinare poterant : verum consulto prius *Urbis Episcopo , cui subjicitur ipse , et regio ,* uti statuit ipsamet Syn. Antioch. *ibidem.*

2 Potestatem habebant dandi Clericis ruralibus , quibus in aliam Diœcesim proficiscendum esset , Epistolas Dimissorias , sive , ut alias vocabantur , Canonicas , et Pacificas : Syn. Antioch. *Can. VIII.*

3 Curabant Agrorum Presbyteros , et Ecclesias rurales ; quas et in credita sibi regione visitabant : *Thomass. P. I. Lib. II. cap. I. n. 15.*

4. In Ecclesia oppidana Sacris operabantur etiam presentibus Episcopo , et Presbyteris Urbis , quod sane Presbyteris ruralibus non licebat. Ita Conc. Neocæsar. *Can. XIII.*

5 Tandem privilegio fruebantur sedendi , et suffragia ferendi in Conciliis ; hinc Synodorum Nicænæ , Ephesinæ , Neocæsarensis definitionibus nonnullos Chorepiscopos subscripsisse eorundem Acta probant.

V. Ceterum non semper et ubique eandem fuisse Chorepiscoporum potestatem ingenue fatemur : namque , ubi contigisset ipsos Episcopos esse , ex Episcopi Urbis voluntate non modo Presbyteros , et Diaconos ordinabant , uti mox ex Concilio Antioch. observavimus , verum et aliquando Neophytos confirmabant , Virgines consecrabant , aliaque episcopalia munia exercebant.

VI. Verum Chorepiscoporum potestati grave vulnus inflatum est , ubi *negligenter* , hoc est , *Circumcursatores* , sive *Visitatores* constitui cœperunt. Horum prima occurrit mentio in Concilio Laodiceno *Can. LVII.* dein et in Synodis Chalced. *Act. IV.* et Constantinopolit. sub Menna *Act. I.* adeo ut in Oriente ætate Balsamonis jam prorsus exoleverint.

VII. In Occidente, ac præsertim in Gallia, quum ex perperam intellectis Canonibus quibusdam Orientalibus Episcopalia sibi munia vindicare ausi fuissent; hinc tum per Gallicanas Synodos, tum et per ipsos R. Pontifices paullatim esse desierunt Chorepiscopi, quibus successisse videntur Decani, sive Archipresbyteri rurales, de quibus suo loco agemus.

## TITULUS XVII.

### De Coadjutoribus.

I. **I**lla semper in Ecclesia viguit disciplina, ut posset Episcopus vel diuturna morbi pertinacia divexatus, vel senectute confectus, vel alio impedimento obstrictus *Coadjutorem* sibi adjungere, qui ipsi ad Episcopale onus substinendum impari opitularetur, ac veluti suppetias ferret. Sic S. Petrum Orbis præsertim Occidentalis regiones Evangelica prædicatione perlustraturum Linum, et Cletum in Romanæ Ecclesiæ regimine sibi Coadjutores adscivisse scribit Epiphanius *Hæres. LVII.*

II. Jam vero Coadjutoria vel temporalis est, vel perpetua. Temporalis, quum Episcopo ob adfectam valetudinem, aliudque impedimentum præpedito adjutor datur, qui tantummodo dum impedimentum durat, vel Episcopus vivit, in Ecclesia ministret. Verum de his Coadjutoribus, quos proprie Beneficiarios haud dicendos, probant Thomas. *Part. II. Lib. II. cap. 57.* et Gonzalezius in *Cap. 6. de Cler. ægro-tante*, non est hic nobis sermo, quum iidem sint, ac Vicarii Apostolici, de quibus alibi. Coadjutoria perpetua est, quæ sublato impedimento, Episcopoque defuncto non cessat; atque adeo in ejus locum succedit Coadjutor.

III. Ejusmodi Coadjutorum genus jam inde ab prioribus sæculis in Ecclesia videtur obtinuisse. Sic Narcissus Episcopus Hierosolymitanus propter longius protractum senium Alexandrum sibi Coadjutorem delegit, qui una secum Hierosolymitan. Ecclesiam moderaretur: Eusebius *Lib. VI. cap. 2.* Hier. de Script. Eccles. in *Alexandro*. Tum Orionem Palæ-

biscensis Ecclesiæ Episcopum ætate grandævum Siderium sibi Coadjutorem adjunxisse, et successorem per ordinationem designasse, auctor est Synesius *Epist.* 67. Plura hanc rem spectantia passim in Ecclesiastica Historia occurrunt exempla, et quidem etiam post tempora Concilii Nicæni.

IV. Profecto Patres Nicæni *Can. VIII.* de Novatianis omnino interdixere, ne duo in eadem Ecclesia simul essent Episcopi; Cyprianus quoque jam antea scripserat: *Unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, et iudex vice Christi.* Qua de re Augustinus Hipponensium Episcopus vivo adhuc Valerio ordinatus, Canonem Nicænum edoctus, nimia animi perturbatione, ac mœrore percussus est, quasi in Canones Ecclesiasticos impegisset. (\*\*). Et Paullinus Nolanus Episcopus novam hanc miratus eligendi rationem, eam tamen, quasi Deo inspirante peractam ita laudat, ut dixerit, gratulandum, non Augustino quod ordinatus fuisset Episcopus, sed Africanæ Ecclesiæ quod Augustinum habere Episcopum meruisset. (\*) At Regula Ecclesiastica, quæ in una Ecclesia duos non patitur Episcopos, non ita à veteribus videtur fuisse intellecta, tanquam si bini in unaquaque civitate Episcopi omnino prohiberentur; sed duntaxat deficiente justa causa, nec Ecclesiæ utilitate, necessitate, aliave *παραστάσει* *circumstantia* id omni prorsus jure requirente.

V. Jam vero Augustinus in ea videtur fuisse opinione; scilicet non suam cum futura in Episcopatu successione electionem Canonibus adversari, sed tantummodo consecrationem Valerio adhuc in vivis agente. Ipse enim Eradium, Ecclesia consentiente, successorem suum nominavit, licet ordinare, dum viveret, noluerit, dicens: *Quod reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit presbyter, ut est; quando Deus voluerit futurus Episcopus.* Hæc Augustini opinio dein in Ecclesia videtur obtinuisse. Bonifacius namque Archiepiscopus Moguntinus quum à R. Pontifice Zacharia petiisset, ut ipsi vitam adhuc agenti liceret successorem constituere, quod ab ipsius Prædecessore jam fuerat postulatum, Zacharias ipsi indulgit, ut moratum Sacerdotem deligeret, quem interea in Episcopalibus muneribus instrueret, quemque deinde inspectante Clero, ac populo universo sibi successorem renuntiaret; modo tamen



adhuc vivens, manus illi imponere non auderet.

VI. Demum idem colligi posse videtur ex Regesto Epistolarum Gregorii M. ac præsertim ex *Lib. IX. Epist. 4.* ad Anatolium Diaconum Constantinopolitanum de Joanne Episcopo primæ Justinianæ, qua ipsi injungit, ut Joanni gravi morbo ægrotanti Coadjutorem dari curet; novum vero Episcopum haud ordinari permittat. *Et quidem*, scribit, *nusquam Canones præcipiunt, ut præ ægritudine Episcopo succedatur.... sed dispensator illi requiratur talis, qui possit ejus curam omnem agere, et locum illius in regimine Ecclesiæ implere.*

VII. His accedit in antiquis Ecclesiæ monumentis quam frequentia occurrere exempla Coadjutorum, qui Episcopis vel grandævus, vel infirmis dati sunt, ut iisdem postea in Episcopatu succederent; at hi simul Episcopo adhuc vivente ordinati non sunt. Videsis Thomass. *P. II. Lib. II. cap. 57. et seq.* Id quod haud ita intelligas quasi perpetui Coadjutoris ordinatio irrita habenda sit, vel dispensatione locum habere nequeat. Sane Augustinus suam ordinationem improbavit quidem, at irritam non habuit. Id quod etiam indicant modo producta Narcissi Hierosolymitani, et Orionis Palæbiscensis exempla.

VIII. Perpetuum Episcopo Coadjutorem dare antiquitus Synodi Provincialis, plebe etiam consentiente, jus erat, eodem prorsus modo, quo Episcopi eligebantur; at jure novo cujuscunque generis Coadjutores non nisi à R. Pontifice dantur Episcopis; duntaxat in Ecclesiis nimis ab Urbe dissitis, auctoritate Apostolica, vel ipse Episcopus cum assensu Capituli unum, vel plures sibi Coadjutores adsciscit, vel, Episcopo impote, duæ partes Capituli Coadjutorem constituunt. Demum ubi Episcopus Coadjutorem, quo ipsi omnino opus est, accipere nolit, Apostolicis Rescriptis est Ecclesiæ providendum.

(\*\*) IX. Hispaniarum Ecclesia Nicænis edocta Canonibus, ab Episcopatum successione prorsus abhorruit. Exemplo sit Epistola Patrum Tarraconens. ad Hilarum P. eo fine directa, ut indicaret, quid agendum esset in Irenæum, quem Nundinarius successorem in Ecclesia Barcinonensi designarat, quibus ipse rescripsit; repellendum à Barcino-

nensi Irenæum, et alium in ejus locum eligendum esse. Synod. quoque Tolet. IV. *Can. XIX.* alias *XVIII.* inter Episcopalis dignitatis indignos, eos, qui à decessoribus eliguntur, enumerat. (\*)

(\*\*) X. Reges etiam nostri perpendentes, quantum Ecclesiasticæ disciplinæ vulnus infligi frequenti Coadjutorum cum futura successione permissu, omnem Coadjutoriis aditum præcludere, præterquam urgente necessitate in Episcopatibus, et Prælaturis; immo indixere Episcopis omnibus et Capitulis ne executioni mandarent rescripta quælibet, quibus aliquis deputaretur Coadjutor: *Leg. XXIV. XXV. XXVI. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop. et Sanction. IX. Tit. III. Lib. I. Autos Acordados.* Verum post Concordatum Clementem XII. inter et Philippum V. initum 12. Novemb. an. 1737. cujus in articulo 17. Coadjutores ad Præbendas permittuntur, his adpositis conditionibus, quod ipsi prius litteras acciperent ab Ordinario, vel Capitulo, quibus de necessitate, vel utilitate Ecclesiæ testentur, et quod nihil adjiciendum sit pensionis Coadjutoribus, frequentissimæ vigeant Coadjutoria; donec novissimo inter Benedictum XIV. et Ferdinandum VI. inito Concordato, quo totus Ecclesiasticus Patronatus Coronæ perpetuo adjudicatur, obsolevere hujusmodi Coadjutoria, quum Regis, qua Patroni, debeat prius adsensus impetrari. Permittuntur tamen nonnunquam in Beneficijs præsertim Parochialibus Coadjutores etiam perpetui, si vera vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ interveniat, adsignata quadam proprietario reddituum portione, reliqua Coadjutori deputata. Illiteratis, et imperitis Parochiarum Rectoribus ab Episcopo temporaneus deputandus est Coadjutor, atque huic quædam fructuum pars adsignanda, quæ ad congruam vitæ alimoniam sufficere possit: *Syn. Trident. Sess. XXI. Ref. cap. 6.* Immo et quoties opportunum sibi videbitur, Parocho monito, et negligente, per se poterit Episcopus de Coadjutore providere in Parochiis, quæ unitæ non sint Monasteriis, et ab ipso per examen ad curam animarum adprobato, adsignata itidem ab eodem Episcopo congrua fructuum portione *in ea quantitate, quæ pro suo prudenti arbitrio, et conscientia conveniens videbitur, ratione videlicet habita reddituum, et emolumentorum Ecclesiæ Pa-*

*rochialis..... inspectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laborum, et quantitate impensarum, quas commissi officii necessitas postulaverit: Constitutio Apostolici Ministerii §. 13. (\*)*

(\*\*) XI. Vicariis autem perpetuis Ecclesiarum, quæ perpetuo unitæ sunt aliis Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Beneficiis, et Locis Piiis, Episcopus curare debet, quod congrua ipsis portio impendatur, non major centum, nec minor quinquaginta scutorum summa. Pius V. Constitut. *Ad exequendam*, et Innocentius XIII. præfata Constit. *Apostolici Ministerii §. 12. (\*)*

(\*\*) XII. Parochus, qui solus non sufficit omnibus Parochiæ suæ fidelibus Sacramenta ministrare, Coadjutorem sibi adsciscere potest cum congruo stipendio. Verum si quis tot sibi adhibeat ita ut laboriosum Pastoris officium inane reddatur, eosque fortassis vilissima mercede conductos oporteret eum exagitare cum Baronio ad an. 1109. *Quis patiatur censualem Ecclesiam Dei, et ad usufructum altaris alium in otio lucrari, servitii vero onus alium in egestate sustinere?* Ecclesiæ quantum fieri possit propriis Sacerdotibus, non conductitiis regi debent: *Can. v. Caus. 21. Q. II.* Qui à fidelibus alimenta corporalia percipiunt, iidem ipsi fidelibus ipsis spiritualia alimenta rependere debent. (\*)

## TITULUS XVIII.

### *De Sacra Episcopali Visitatione.*

**I.** Jam inde ab iv. Ecclesiæ sæculo exempla occurrunt Patriarcharum, qui suas Dioceses, Metropolitanarum, qui suas Provincias, et Episcoporum, qui suas Paroecias circumlustrarunt. Athanasium Ægyptiacæ Dioceseos Ecclesias visitare consuevisse constat ex ejusd. *Apolog. II.* In Concilio totius Africæ plenario Episcopi Mauritanie Aurelium Primate Carthag. rogant, ut Mauritanie Provincie Ecclesias visitet: *Dignemini etiam, quod hoc anno secundum ordinem distalisticis, vel alio anno Mauritaniam Provinciam visitare: Codex Eccles. African. Can. LII. Conc. Taurinat. an. 397. Can. XXI.*  
dum

dum Metropolitae Arelat. et Vienn. Episcopatus adsignat, qui eorundem Ecclesiasticas Metropoles constituerent, hæc habet: *Unaquæque de his viciniores sibi intra Provinciam vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet* &c. Demum visitationis Parœciæ, quam modo Diœcesanam dicimus, illustria habemus exempla in Martino, Augustino, et Chrysostomo. Martinum *asello impositum in veste hispida nigro pendulo pallio circumtectum* suas Parœcias visitantem, et ubique in vicis idololatriæ reliquias debellantem describit Severus Sulpitius *Dial. 2.* Tum Augustinus in Fussalensi Castro, cujus civitas à Donatistarum schismate ad Ecclesiam Catholicam traduxerat, Episcopum constitutum voluit, quod, quum is locus longius ab Hippone distaret, eum frequenter invisere non posset: *Ep. 261.* Tum *Ep. 237.* easdem visitationes perspicue indicat scribens: *Quoniam visitandarum Ecclesiarum ad meam curam pertinentium necessitate profectus sum.* Demum Chrysostomus inter præcipua Episcopi munia Ecclesiarum recenset visitationem: *Hom. I. in Ep. ad Titum.*

II. Non negaverim in quibusdam Orientalibus Ecclesiis morem viguisse, ut Episcopi per *περιουδευτὰς* Circuitores, sive Visitatores, vel per Chorepiscopos suas Parœcias visitarent: Conc. Laodic. *Can. LVII.* Verum quum et Periodontæ, et Chorepiscopi nec ubique, nec diu viguerint, hinc nonnisi Episcoporum præcipua, ac primaria ea videtur fuisse et cura, et potestas.

III. Ecclesia quidem Occidentalis stabiles illos Visitatores non agnovit; at vero permisit Episcopis ægritudine, aliove detentis impedimento opera uti Presbyterorum, vel Diaconorum: Conc. Tolet. IV. *Can. XXXVI.* alias *XXXV.* quo in munere post secutis temporibus Archidiaconi, et Decani rurales successere: Conc. Later. III. *Can. IV.* id quod Syn. Trid. *Sess. XXIV. Ref. cap. 3.* pro his locis confirmavit, *ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt.* At tria de integro constituit. 1. Ut nonnisi per semetipsos, et quidem adsumto Notario de consensu Episcopi visitare debeant. 2. Ut non ideo Episcopus, vel eo impedito ejus Visitor easdem Ecclesias seorsum ab iis visitare prohibeatur. 3. Ut Archidiaconi, vel alii inferiores visitationis factæ Episcopo, ejusve Visitori infra mensem rationem reddere, et

depositiones testium, atque integra Acta exhibere teneantur. (\*\*) Quosnam autem oporteat esse Visitatores, constituit Syn. Hispalen. an. 1512. Cap. XLV. scilicet *Viri docti, conscientiæ integræ, et Deum timentes*. Quale vero censetur impedimentum sufficiens ut Episcopi possint absque piaculo visitationis munus aliis demandare, perspicue declarat Syn. Toletana an. 1565. Actione II. Ref. cap. 2. *Visitent Episcopi per se, vel per alios proprias Diœceses omnino servantes, quæ à Synodo Tridentina statuta sunt..... neque excusentur ab hac personali visitatione quovis impedimento, quod aliqui benigna quadam indulgentia solet admitti, sed eo tantum quod necessitate quadam sic urgeat, ut nisi maximo cum detrimento vel publicæ, vel propriæ salutis spiritualis, vel corporalis per se ipsos eam visitationem exsequi non valeant, apud hanc Provinciale Synodum de eo fidem facturi, ejusque judicium ea de re, ac censuram non qualemcunque præter divinam ultionem subituri.* (\*) Demum provinciales Visitaciones quod spectat, Metropolitanos jubet, suorum comprovincialium Diœceses non visitare, nisi prius propria plene lustrata Diœcesi, et ex causa cognita, et probata in Concilio Provinciali.

IV. ¿At quorsum Episcopales institutæ visitationes? inquiet fortasse quispiam. (\*\*) Responsio in promptu est: *Ut exquirat Episcopus redivus Basilicarum, et Ministrorum vitam: Syn. Tolet. IV. laud. Can. xxxvi. Ut si qua forte Basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ejus reparetur: Syn. Tarracon. Can. viii. Ut Episcopi per Diœcesim ambulantes discutiant Clericos qualiter quæque officia in Ecclesia peragantur, et postquam suos Clericos discusserint, vel doceant Episcopi, alia die convocata plebe ipsius Ecclesiæ doceant illos, ut fugiant diversa crimina, id est, homicidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium, et reliqua peccata mortifera, aut quod nolunt sibi fieri, non faciant alteri; et sic postea Episcopus de Ecclesia illa proficiscatur in aliam: Syn. Bracar. II. Can. i.* (\*) Paucis præcipuas complectitur rationes Trident. ibid. *Visitacionum..... præcipuus sit scopus, sanam, orthodoxamque doctrinam expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, et admonitionibus ad religionem, pacem, in-*

*nocentiamque accendere; cetera prout locus, tempus, et occasio feret ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere.* Uti providere, ut Ecclesiæ quæ reparatione indigent, reparentur: cura animarum, si quæ illis immineat, aliisque debitis obsequiis non defraudentur &c. Hosce sane visitationum veterum SS. Episcoporum uberrimos fuisse fructus jam supra innuimus, neque post Synodum Tridentinam Carolum Borromæum, Franciscum Salesium, aliosque SS. Præsules minus uberes sacris suis visitationibus fructus tulisse neminem latere arbitror.

V. Personalem totius Dioceseos visitationem Episcopo jure divino incumbere communiter tradunt Canonistæ: Fagnan. *ad Cap. Ex parte 23. de Cler. non resid.* (\*\*). Et vetustissimum hunc esse Ecclesiæ morem evincitur ex Syn. Tarracon. laudata Can. VIII. *Decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, et annuis vicibus ab Episcopo Dioceses visitentur.* (\*) Profecto antiquitus Episcopi non modo Catholicas omnes suarum Dioceseon personas, verum et Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, aliaque loca pia, eorumque bona proprio jure visitabant: Syn. Chalced. *Can. VIII.* Atque adeo Syn. Aurel. *Can. XXIX. Caus. 18. Q. II.* et Gregorius M. *Can. XXVIII. ibid.* Episcopis injungunt, ut non semel, sed sæpius in anno pro suo ipsorum arbitrio Monasteria visitent: id quod imperiali etiam sanctione firmatum est: *Lege XLVI. §. 3. Cod. de Episcop.* (\*\*). Reges etiam nostri plurimum commendarunt Episcopis Parochiarum visitationem: *Lege IV. Tit. XXII. Partitæ I. et Lege VI. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* et Syn. Tridentina *mox cit. cap. 3.* Episcopis injunxit, ut saltem *biennio* perlustrent Diocesim. (\*)

VI. Successu temporum frequentibus inductis ab Episcopali potestate exemptionibus Episcopi visitantis auctoritas multum decrevit: at Syn. Trident. disciplinam Ecclesiasticam pristinæ puritati, qua fieri posset, restituere satagens, plura visitationem spectantia Episcopis jura restituit, licet pleraque potestate duntaxat delegata; scilicet ut nunc Episcopi visitare possint: 1. Capitula Cathedralium quomolibet exempta: 2. Beneficia omnia unita, curata, vel non curata, vel qualitercunque commendata: 3. Omnes, et quas-

cun-

cunque æque sæculares, ac regulares Ecclesias : 4. Monasteria commendata, in quibus non viget regularis disciplina. (\*\*). Ea vero in quibus Regularis disciplina viget, si Superiores ab Episcopo moniti intra sex menses non visitaverint, Episcopi ea possint visitare. *Trid. Sess. XXI. Reform. cap. 8. (\*)* 5. Demum Hospitalia, Collegia quæcunque, et Confraternitates laicorum; non tamen quæ sub Regum immediata potestate sunt, sine eorum licentia; et pia loca omnia, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat. Decretum de visitandis omnibus Locis piis, Hospitalibus, Collegiis, Confraternitatibus &c. uti alibi notavimus, unum ex illis est, quæ Neap. Reges tanquam inveteratis Regni consuetudinibus contraria temperanda censuerunt. Quamobrem novissima Concordat. lege *Cap. V. art. 1.* constitutum est, ut Episcopi duntaxat *in spiritualibus* Ecclesias, Extauritas, Capellas, Confraternitates, et alia Loca pia per laicos gubernata visitare possint. Verum de hoc capite opportunius *Libro sequenti.* (\*\*). At in Hispania Ecclesiæ, vel pia Loca, quæ immediate Regiæ protectioni subsunt, à Supr. Camera Tribunalis Delegatis visitantur: *Adnotatione 10. ad Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop. (\*)*

### De Procurationibus.

VII. Jam alibi demonstravimus, Clericorum jus esse de Ecclesiasticis proventibus, decimis, aliisque populi oblationibus vitam transigere: mirum igitur non sit, si Episcopi visitantes ab Clericis locorum procuraciones accipiant; nimirum vel sumtus ad frugalem victum necessarios, vel ipsa victualia. (\*\*). *Leg. I. et II. Tit. XXII. Part. I. (\*) Procurare* enim apud Latinos quandoque est cibaria præbere. Faciunt huc Christi verba. *Luc. X. v. 8. In quamcunque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* (\*\*). Verosimile est à primis sæculis originem ducere jus hoc Procurationum, uti colligitur ex Syn. *Tarracon. præf. Can. VIII. Decrevimus.... quia tertia pars ex omnibus per antiquam traditionem, ut accipiatur ab Episcopis novimus statutum. (\*)*

VIII. At vero illud summo opere mirandum, mediis sæculis, quando scilicet Ecclesiæ prædiis, aliisque redditibus

abundabant, procurationes in tantam abiisse abusionem, ut (\*\*) Syn. Bracar. II. Can. II. post taxatam Episcopis duorum solidorum procurationem, hæc subjunxerit: *Et Parochiales Clerici servili opere in aliquibus operibus Episcopis servire non cogantur, quia scriptum est: NEQUE UT DOMINANTES IN CLERO.* Syn. Tolet. III. Can. xx. *Cognovimus Episcopos per Parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desævire, et dum scriptum est: Forma estote gregis, neque dominantes in Clero; exactiones Diœcesi suæ vel damna infigunt; ideoque... alia quæ hucusque præsumpta sunt, denegentur; hoc est neque in angariis Presbyteros, et Diaconos, neque in aliquibus fatigent indictionibus, ne videantur in Ecclesia Dei exactores potius, quam Dei Pontifices nominari.* Syn. Tolet. VII. Can. iv. hæc refert: *Inter cetera, quæ communi consensu nos conferre competenter oportuit, querimonias etiam Parochialium Presbyterorum Galliciae Provinciæ solertissime decernere decuit, quas contra Pontificum suorum rapacitates necessitas (ut comperimus) tandem compulit in publicum examen deferri. Hi enim Pontifices..... indiscreto moderamine Parochianas Ecclesias prægravantes, dum in exactionibus superflui frequenter existunt, pæne usque ad exinanitionem... quasdam Basilicas perduxisse probantur. Quas inter abusiones ita coacta fuit indulgenter providere. Quum Episcopus Diœcesim visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec unquam quinquagenarium numerum evectionis excedat, aut amplius quam una die per unamquamque Basilicam renorandi licentiam habeat. Eadem videtur indulgentia usam esse, et eadem ferme verba transcripsisse (\*) Synod. Lateran. III. an. 1179. Can. iv. quæ quendam imponere modum volens, exemplum Apostoli primo proponit, qui prædicationi et Evangelicæ propagationi incumbens, se, suosque propriis manibus sustentabat: dein constituit, ut Archiepiscopi Parochias visitantes, pro diversitate provinciarum, et facultatibus Ecclesiarum, quadraginta, vel quinquaginta evectionis numerum non excedant: Episcopi viginti, vel triginta nequaquam excedant: Archidiaconi quinque, aut septem: Decani constituti sub ipsis, duobus æquis existant contenti. Nec cum canibus venatoriis, et avibus proficiscantur; sed ita procedant, ut non quæ sud*



sunt, sed quæ Jesu Christi quærere videantur: nec sumtuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honeste, et competenter fuerit illis ministratum. Hæc Toletana, et Lateranensia Statuta alicui forte offensionem erunt, quippe quæ nimium Visitoribus indulgeant; at recte hic ad rem animadvertit Thomassinus *Part. II. Lib. III. cap. 80. n. 3.* eo Lateranensi Canone non multum quidem exigi, sed multum recidi: tum damnari quidem quod prohibetur; at non statim, quod toleratur, probari; præsertim quum ibidem, et Episcoporum, qui modestiori comitatu uti consueverint, mos retinendus decernatur, et Statutum illud tanquam gravi morbo pro temporis ratione adhibitum lenimen, tolerantiam uni, et indulgentiam tribuatur, et demum in pauperioribus Parœciis ea omnino tenenda præscribatur mensura, ut Episcopi visitantes iisdem nec oneri sint, nec offendiculo. (\*\*). Hoc profecto moderamen adhiberi voluit ab Episcopis Alphonsus Noster *Leg. II. Tit. XXII. Partit. I. (\*)*

IX. Atqui eodem hoc medio ævo non desunt SS. Episcoporum exempla, qui more Apostolico suas lustrarent Parœcias. Radulphus Episcopus Cicestrensis uti à Willelmo in *Lib. de Gestis Pont. Angl.* perhibetur, ter quolibet anno suam circuibat Diœcesim nihil à quoquam exigens, spontanea licet dona non respuens. Tum Malachias Hiberniæ Episcopus, auctore S. Bernardo, omnes suæ Diœceseos Ecclesias visitans, *nec vehebatur equo, sed pedes ibat; erogabat vel ingratis cœlestis pabuli mensuram:* apud Thomass. *ibidem.*

X. Denique Synodus Tridentina uti in ceteris, ita quoque in hoc capite sacras visitationes ad veteris disciplinæ normam exegit. Sanxit enim 1. ut Episcopi nihil causa visitationis, etiamsi ultro oblatum, recipiant, exceptis tantum victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra, erunt ministranda. (\*\*). Id ipsum decrevit Syn. Toletana an. 1565. *Act. II. Ref. cap. 7. (\*)* 2. Ut in optione eorum qui visitantur sit, num pecuniam, de qua antea jam conventum fuerat, an vero ipsa in specie victualia præbere malint. 3. Ut si qui gratuito visitare consueverint Episcopi, ab receptis moribus ne discedant. 4. Si qui autem aliquid amplius exigere non vereantur, duplum intra mensem restituant, pœnisque

vel in jure, vel in Statutis Synodi Provincialis præscriptis subjaceant. (\*\*\*) Insuper quum procuraciones Episcopo debeantur, eo quod possit itineris expensas sustinere, oporteret, ut una die duas visitans Ecclesias, ab una tantum procuracionem exigeret: *Cap. unic. de Censib. in VI.* et Synod. Hispal. an. 1512. *Cap. XLV.* vel potius à ditiore, aut partem ab unaquaque. Oporteret etiam, ut nihil sibi pendendum exspectaret Episcopus ex ejusdem Civitatis Episcopalis Ecclesiarum visitatione. Espenius *Part. I. Tit. XVII. cap. 2. n. 10.* (\*) Verum per hæc decreta Tridentini Patres nihil immutatas velle antiquas cum Ecclesiis, Monasteriis, aliisque piis locis conventiones expresse edixerunt.

XI. Quænam in visitatione ab Episcopo præcipue intendenda sint, jam supra ex Syn. Trid. notavimus; pauca hic observanda supersunt. 1. Episcopo visitanti, non judiciali, sed potius paterno more procedendum: *Cap. unic. §. Sane de Censib. in VI.* 2. Episcopus in visitatione nec processus conficiat, nec sententias ferat, nec ordinarias irroget pœnas; sed in iis, quæ morum emendationem, et correctionem respiciunt, sine strepitu judicii decernat: Sac. Congreg. Conc. 24. Apr. 1595. et 1. Febr. 1607. 3. Ubi hosce limites non excedant Episcopi decretorum visitationis executionem nulla exemptio, aut adpellatio impedire potest: h. e. adpellatio effectum suspensivum in his nullum habet: Trid. *Sess. XXIV. Ref. cap. 10.*

XII. Postremo illud hic juvat subnectere, nimirum consuevisse Episcopos Diœceses visitantes suas, regios sibi adsciscere ministros *Missos dominicos* sic dictos, ut fideles enormium criminum reos, vel invitos publicæ pœnitentiæ subjicerent, vel etiam pœnis corporalibus addicerent; tum ut quæ corrigi oporteret, facilius corrigerentur: Syn. Mogunt. *cap. 20.* Hincmarus Rem. *Tom. II. pag. 131.* Thomass. *P. II. Lib. II. cap. 79.* quod ad imminutionem, vel usurpationem Ecclesiasticæ potestatis factum non est, sed tantummodo, ut Episcopalia decreta facilius exsequerentur. Id quod et ipsi Reges diserte fassi sunt: *Lib. II. Capit. cap. 17. Ut si quos,* (verba sunt Syn. Arel. an. 813. *cap. 17.*) *Sacerdotalis admonitio non flecteret ad justitiam, Regalis potestas ab improbitate reduceret ad pietatem, et obedientiam.*

## TITULUS XIX.

## De Electione, Confirmatione, et Consecratione Episcoporum.

I. **A**postolica, eique proxima insecuta ætate quatuor potissimum fuisse videntur Clericos qua superiores, qua inferiores deligendi rationes: nimirum 1. *sortitione*; 2. *selectione primitiarum ex conversis gentilibus*; 3. *speciali mandato, et inspiratione Spiritus S.* 4. demum via ordinaria *examinationis, et electionis.*

II. Prior in Matthiæ ad Apostolatum designatione ex communiori interpretum sententia observata est: *Act. I. 26.* Eadem in Hispania VI. duntaxat sæculo viguit; quod ex *Canone III. Concilii Barcinonensis an. 599.* colligere licet, ubi post plura ad Clericorum electionem spectantia hæc subnecuntur: *Duobus, aut tribus quos antea consensus Cleri et plebis elegerit, Metropolitanæ judicio, ejusque Coepiscopis presentibus, quem Sors præeunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante, monstraverit, benedictio consecrationis adcumulet.*

III. Alterius, nimirum per selectionem primitiarum ex conversis gentilibus præclarissimum nobis præbet monumentum S. Clemens R. in priori ad Corinthios *Ep. num. 42.* in qua scribit: *Apostolos per regiones, et urbes verbum prædicantes primitias eorum, spiritu probantes, Episcopos, et Diaconos eorum, qui credituri erant, constituisse.*

IV. Tertius sacros ministros eligendi modus erat per speciale Spiritus S. mandatum. Hac ratione haud paucos primis illis Ecclesiæ temporibus ordinatos novimus: uti Paulus, et Barnabas *Act. XIII. 17.* Ecclesiarum Asianarum Clerici, quos S. Joannes ex Patmo insula redux ordinavit, id attestante Clemente Alexand. *apud Eusebium Lib. III. cap. 23.* Fabianus Romanus Pontifex ex eodem Eusebio *Lib. VI. cap. 29.* Alexander Hierosolym. Episcopus: Eusebius *ibid. cap. 11.* Alexander itidem sic dictus Carbonarius: Nyssenus in *vita S. Gregorii Thaumaturgi.*

V. Quartus denique, et communior magisque ordinarius ad sacrum ministerium, præcipue vero ad animarum regimen promovendi modus erat *Electio* stricto sensu sic proprie dicta, quam recte defines: *Est personæ idoneæ ad Ecclesiæ vacantis, aut personarum regimen canonice facta vocatio*. Hæc definitio æque Episcopos, ac reliquos etiam Prælatos inferiores complectitur. Adhæc vocula illa *canonice* adjecta est, tum ut à tribus prioribus extraordinariis sacros ministros deligendi rationibus distingueretur, tum vel maxime ad indicandum, semper in Ecclesia secundum peculiare quosdam statutos canones fuisse peractam, licet non eadem semper hac de re fuerit Ecclesiæ disciplina; quam per diversas, variasque juris canonici epochas, qua fieri poterit, distincte, ac exacte expendemus.

*De Electione Episcoporum per octo priora Ecclesiæ sæcula.*

VI. Hoc temporis spatio, quod jus Canonicum *Primigenium*, sive *Arcanum*, et *Adultum*, sive *Publicum* complectitur, ad electionem ex æquo aliquid conferebant Metropolitæ, Synodus Provinciæ, Clerus, et Plebs; eo tamen ordine, ut Plebs proponeret, peteret, testaretur: Clerus vota, petitiones, testimonia Plebis expenderet, expensis aut accederet, aut refragaretur, ac Plebem ad alium designandum diverteret, dirigeretque. Synodus Provinciæ electionem à Plebe, Cleroque peractam examinaret, iudicioque suo confirmaret. Metropolitæ denique adstantibus saltem duobus, aut tribus Provinciæ Episcopis electum consecraret. Quod quidem communi jure receptum patet ex omnium Ecclesiarum prisca consuetudine.

Et quidem 1. de Romana Ecclesia id innuit Cyprianus de Cornelio Papa loquens Lib. II. Ep. 2. *Factus est Cornelius Episcopus de Dei, et Christi ejus iudicio, de Clericorum pæne omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, et de Sacerdotum antiquorum, et honorum virorum collegio.*

2. De Africana tum ipse Cyprianus Lib. I. Ep. 4. *Quum ipsa, inquit, maxime plebs habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi:* tum et Concilium

Car-

Carthag. IV. Can. 1. *cum consensu Clericorum, et laicorum, et conventu totius Provinciae Episcoporum, maximeque Metropolitanani vel praesentia, vel auctoritate ordinetur Episcopus.*

3 De Alexandrina testatur Theodoretus Lib. IV. cap. 22. *rejectum à Petro Alexandrino Lucium, quod non in Orthodoxorum Episcoporum Synodo, non suffragio legitimorum Clericorum, non postulatione plebis electus fuerit, sicuti Ecclesiasticae leges requirunt.*

4 De Cæsarensi in Cappadocia refert Nazianzenus *Oratione XIX.* de Eusebio, *quod quum in plures sententias multitudo distraberetur, aliique alium proponerent (quemadmodum in huiusmodi rebus fieri consuevit) . . . tandem plebs tota uno consensu primarii ordinis virum in sacrario collocarunt, et Episcopis obtulerunt, ab iisque petere instituerunt, ut eum initiarent, et Antistitem proclamarent.* Et Basilius Ep. 28. ad Neocæsareenses: *Nunc vestrum quidem est petere animis à contentione, et ambitione repurgatis, Domini vero ostendere.*

5 De Asia universa idem innuit Julius I. *Epist. ad Orientales apud Athan. Apol. II.* ubi Gregorium in Alexandrinam Sedem ab Arianis intrusum eo rejicit, quod homo externus non illic baptizatus, nec à Presbyteris, vel Episcopis, vel à plebe postulatus fuerit.

6 De Oriente testem habemus Synodum Æcumenicam Cpolitamam I. *Ep. ad Damasum,* in qua hæc habentur: *Nec tarium in Concilio Generali communi omnium consensu, praesente Imperatore, totius denique Cleri, totiusque Civitatis suffragiis, Episcopum constituimus.*

7 Eadem quoque disciplina in Ecclesiis Galliarum vigebat. Id quod evincitur ex Synodi Aurelianensis III. Can. III. *De comprovincialibus ordinandis cum consensu Metropolitanani, Cleri, et Civium juxta priorum Canonum statuta, voluntas, et electio requiratur.*

8 De Ecclesia Mediolanensi testis producaturs Theodoretus, qui *Lib. IV. cap. 7.* Ambrosii electionem referens hæc habet: *Cives illius urbis tumultuabantur, dum alii hunc, alii illum ordinari contenderent. . . omnes una voce clamare coeperunt, Ambrosium sibi Pastorem constitui poscentes.*

9 In nostra quoque Neapolitana Ecclesia eandem obtinuisse consuetudinem colligimus ex pluribus Gregorii M. Epistolis, ac præsertim ex VIII. Lib. X. *Nec novum, inquit, nec reprehensibile est in eligendo Episcopo populi se vota in duas partes dividere; sed grave est, quod in hujusmodi causis non ex judicio, sed de solo favore venit electio. . . . cum decreto à vobis facto ad nos eum venire necesse est, ut de vita, moribusque ipsius sollicitius inquirentes vestra in eo, adjuvante Domino, desideria compleamus.*

10 Postremo de toto Occidente, immo vero de Ecclesia universa testatur, et sanxit Leo M. pluribus in locis. Ep. X. cap. 6. *Per pacem, et quietem Sacerdotes, qui futuri sunt, postulentur. Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, et plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Tum Epist. LXXXIV. ad Anatasium cap. 5. *Quum de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebisque consensus concorditer postularit. . . . expectarentur vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum: quæ in Sacerdotum solent Ordinationibus ab his, qui noverunt Patrum regulas, custodiri.* Et Epist. ad Rusticum cap. 1. *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Episcopis cum Metropolitanis iudicio consecrati.* Idem jam antea constituerat Cælestius Ep. II. cap. 5. *Nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis, et ordinis consensus, et desiderium requiratur.* Nihil hisce clarius, disertius nihil.

VII. Cur autem Plebis et votum, et petitio, et testimonium prisco jurè requireretur non una, sed multiplex causa intercessit. 1. Ut arcerentur indigni quorum mores plebs reprobaret: *Episcopus*, ait Cyprianus Epist. 68. *deligatur plebe præsentem, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit.*

2 Ut facilius optimi quique vulgo probati dignoscerentur: Origenes *Hom. II. in Levit.* populi præsentiam in Christianorum Antistitum electionibus requisitam scribit; *ut constaret optimos quosque ad Sacerdotia promoveri:* et S. Cyprianus *Lib. I. Epist. 4.* expresse docet ordinationes Sacerdo-

tales nonnisi sub populi adsistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa, et legitima, quæ omnium suffragio, et iudicio fuerit examinata.

3 Ne populo invito daretur Episcopus: S. Leo M. Ep. 69. ad Anastasium: *Quum de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, Plebisque consensus concorditer postularit . . . nullus invitis, et non petentibus ordinetur, ne plebs invita Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit.* Et in Epist. 69. ad Episcopum Vienn. *Expectarentur, inquit, vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum . . . qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Quinimmo aliquando plebe, et Episcopis consilio divisis Episcopi contra ipsam animi sui propensionem ad suffragia plebis se conformare consueverunt, uti ex Martini Turonici *Sulpit. Sev. vita Mart. cap. 7.* et Demophili Patriarchæ Cpolitani *Philostorg. Lib. IX. cap. 13.* electionibus comprobatur.

VIII. Verum id œconomiae duntaxat causa factum recte dici quiverit, quum ex adverso haud raro plebis petitio omnino ab Episcopis rejecta sit: unde Cælestinus I. qui *Epist. 2.* ad Episcopos Galliae, *nullus, ait, invitis detur Episcopus. Cleri, Plebis, et Ordinis consensus requiratur:* Can. XIII. Dist. 61. idem ipse Pontifex ad Episcopos Apuliae et Calabriae *Epist. 4. Docendus, inquit, populus est, non sequendus: nosque si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere non his consensum præbere debemus.*

IX. Verum quum secutis temporibus plebs inter se divisa, et dissentiens plerumque in coitiones, factiones, et interdum etiam in cruentos tumultus erumperet, uti in electione Damasi Papæ accidisse narrant Socrates *Lib. IV. cap. 29.* et Ammianus Marcellinus *Lib. XXVI. cap. 3.* hinc pro turba advocati sunt Proceres, et Magistratus; nec tamen omnino plebs exclusa, unde S. Gregorius M. epistolas dedit *Clero, Nobilibus, Ordini, et Plebi Neapolitanæ,* eos hortando, ut Episcopum eligerent, qui eam non dedecoraret sanctissimam dignitatem. Eadem de causa epistolas quoque dedit, *Ursicino Duci, Clero, Ordini, et Plebi Ariminensi: Clero, Ordini, et Plebi Perusinæ: Clero, Or-*



dini, et Plebi Nepiensi. Idem in Gallia, aliisque Occidentis regionibus obtinuisse late probat Tomassinus *Part. II. Lib. II. cap. 10.*

X. Quin et aliquando, ne Plebs in incerta diffueret, tres ab Episcopis nominati sunt, data Clero et Plebi optione unum ex tribus eligendi: Concil. Arel. II. *Can. LIV. Tres ab Episcopis nominentur, de quibus Clerici, vel cives erga unum habeant eligendi facultatem.* Idem quoque sancitur Concilii Barcin. an. 599. *Can. III. Uti ex adverso quandoque plebi datum est tres eligere personas, ex quibus melior seligetur electione, et judicio ordinantis: Leg. XLII. in princ. Cod. de Episcop. Præsenti lege sancimus, ut quoties in qualicumque civitate sacerdotalem sedem vacare contigerit, decretum fiat ab his, qui eam civitatem incolunt super tribus personis rectæ fidei... ut ex ipsis idoneior ad Episcopatum promoveatur.*

*De Confirmatione, et Consecratione per octo priora Ecclesiæ Sacula.*

XI. Ubi Clerus, et Plebs de novo eligendo Episcopo inter se convenissent, Metropolitæ partes erant cum Episcopis Provinciæ in urbe vacantis Ecclesiæ convocatis in electam personam inquirere; quæ si idonea comprobaretur, id quod Confirmationis loco erat, statim sequebatur Consecratio: nam jure antiquo uno ferme actu, scilicet *manuum impositione* et electio confirmabatur, et electus consecrabitur. Id tum ex pluribus, tum vel maxime ex eo evincitur, quod in antiquis Canonibus nullibi occurrat Confirmationis mentio, sed absolute decernatur, ut electus à Clero, et à Plebe Metropolitæ, et Episcoporum Provinciæ judicio probetur, et ordinetur: Concilia Carthaginens. III. *Can. XI.* et IV. *Can. I. Nazianzenus Orat. XXI. &c.*

XII. At si contra electio minus legitima videretur, vel si electioni ambitus, vel pecunia intercessisset, Synodus electionem rescindebat: unde nova instituenda erat electio, in qua præcipuæ Metropolitanæ partes erant. Uti quoque divisus cleri, et populi votis Metropolitæ jus erat illum præferre, qui majoribus meritis juvaretur: Leo M. *Epist. 84.* relatus in *Can. XXXVI. Dist. 63.*



XIII. Verum si Metropolitanus in electione coram adesse non posset, decretum præcipuorum è Clero, et populo subscriptionibus munitum ad eum deferebatur, ut illud ratum, et firmum esse juberet. In antiquo Ordine Romano formula quædam Decreti habetur, cui clerus, et populus, quum Episcopum eligerent, subscribebant, ut Metropolitanò, ac Synodo Provinciæ exhiberetur. . . . *ut omnium nostrorum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic Decreto Canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis roborantes subscripsimus.* Ejusdem Disciplinæ perspicua habemus testimonia apud Symmachum Papam *Epist. V. cap. 6.* et apud Gregorium M. pluribus in locis, ac præsertim *Lib. XI. Epist. 16. Qui dum, scribit, fuerit postulatus cum sollemnitate Decreti omnium subscriptionibus roborati, et dilectionis tue testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat.*

XIV. Quod vero Metropolitanarum electionem spectat, profecto Patriarchæ, Exarchi, vel Primatis jus erat illam confirmare. Hæc disciplina æque in Oriente, ac in Occidente vigeat. Concilii Chalced. *Can. xxviii.* quo Episcopo Cpolitano primatus honoris tribuitur post Romanum, eidem quoque potestas datur ordinandi omnes Metropolitanas in Asiana, Pontica, et Thracia Diocæsesibus. Quinimmo, uti observavimus agentes *de Patriarchis*, Patriarcharum Romani, et Alexandrini jus erat ordinandi non modo Metropolitanas, verum et Episcopos omnes suarum Diocæseon.

XV. Ubi vero de Metropolitanis illis ageretur, qui nulli Patriarchæ, Exarcho, vel Primati suberant; eorum electiones vel à Romano Pontifice, vel à Synodo Provinciæ confirmabantur. Atque hinc Gregorius M. *Lib. IV. Epist. 7.* electionem Joannis in Archiepiscopum, sive Primatem Justinianæ Primæ datis ad Synodum Illyricanam Epistolis confirmavit. Tum idem Gregorius de Episcopis Dalmatiæ, quod Maximum Salonæ Metropolitanam ipso inscio ordinassent, graviter conqueritur.

XVI. At contra in Galliis, Hispania, Anglia atque etiam Africa, ubi Metropolitanæ nullis suberant Primatibus, Metropolitanorum electio à Synodo Provinciæ confirmabatur: ita Concilia Aurelianensia II. *Can. iii.* et III. *Can. vii.* Toletanum IV. *Can. iv.* Augustinus *Brevic. Collat. tertia die cap. 16.*

*Romani Pontifices Episcoporum electionibus aliquando intercesserunt.*

XVII. Romanorum Pontificum jure Patriarchico stricte sumto licet tantummodo jus esset Metropolitans ordinandi, atque adeo Episcopos omnes decem Provinciarum suburbicariarum; attamen non deerant aliquando extraordinariæ quædam rerum, locorum, temporumque causæ, quibus necesse fuerit intervenire Sedem Apostolicam, quo stabiliretur Episcoporum quorundam electio. Et quidem 1. ubi Episcopus legitime electus, quominus ordinari, suamque Ecclesiam ingredi posset, inexpugnabiles quidam obices opponerentur. Hinc Hieronymo in Lausanensem Episcopum canonicè electo, quum Carolus Crassus tunc Italiæ Rex huic obstaret electioni, Joannes VIII. ad ipsum Regem, tum ad Metropolitanam Vesuntionensem, et ad Episcopum Vercellensem litteras dedit, ut huic amolendo obici operam navarent.

2 Ubi præter Canones peractam electionem Metropolitanus confirmaret. Atque hinc quum Herimannus Coloniensis Metropolitans, ut Gilleberto Lotharingiæ Duci faveret, Hilduinum Leodiensem Episcopum ordinare præsumeret; huic facinori statim restitit Joannes X. Herimanno præcipiens, ut potius Richerium à Clero, et populo canonicè electum in Episcopum Leodiensem ordinaret.

3 Ubi Episcopi alicujus electio, ut confirmaretur, dispensatione opus esset. Hinc pro confirmanda Wlfadi in Archiepiscopum Bituricensem electione Carolus Calvus litteras dedit ad Nicolaum I. propterea quod ex una parte ab Ebbone Metropoli Remensi jam abdicato Diaconus ordinatus esset, ex altera vero in Concilio Suessionensi restitutio eorum, qui ab Ebbone post suam abdicationem ordinati essent, Sedi Apostolicæ reservata fuerat.

4 Ubi Metropolitanus electionem jam à Clero, et à plebe legitime peractam confirmare negligeret. Hinc Joannes VIII. electione Optati in Episcopum Genevensis sua auctoritate firmavit, id negligente Metropolitans Viennensi; qui ut partes Bosonis regis tueretur, Optati ordinationem differebat.

5 Demum, ubi dissidia partium sedari non potuerint, nisi interventione Summæ Sedis. Atque hinc Joannes VIII. videns Vercellensem Clerum, et plebem impacato dissidio in duos competitores fluctuare, utrumque Episcopatus spe deiecit, ac ipse adsentientibus provinciæ Episcopis, Gosperum Episcopum ordinavit.

XVIII. Atque hæ præcipuæ sunt causæ, in quibus Episcoporum electionibus Sedes Apostolica aliquando intervenit. In quibus cave putes veteres illos Romanos Pontifices Metropolitana jura ulla ratione violare intendisse: quum tantummodo canonicæ devolutionis jure, utilitate, ac necessitate Ecclesiæ id exigente, Episcoporum, et Metropolitanorum extra Italiam electiones confirmaverint. Quamvis negandum non est tenuia hæc fuisse initia, ex quibus tam varia in Ecclesia manarunt mutationum documenta, ut tandem postrema hac ætate Episcoporum confirmatio ab Apostolicæ Sedis examine, et adsensu toto pæne christiano orbe suspensa, et relegata sit; uti recte advertit Cl. Thomassinus de Veteri, et Nova Ecclesiæ disciplina *Part. II. Lib. I. cap. 3.*

*De Regio Adsensu in electionibus Episcoporum.*

XIX. Per eadem tempora Regius quoque Adsensus in Episcoporum electionibus requiri consuevit. Licet enim veteres Christiani Imperatores nullis Ecclesiasticis se interposuerint electionibus, nisi ut exortas dissensiones compescerent, uti in electionibus Nectarii, Nazianzeni, Chrysostomi, aliorumque accidit: attamen paullatim plurimum hac in re Imperatoribus tributum est; præsertim ubi de præcipuis ageretur Ecclesiis. Hinc IV. exeunte sæculo Ecclesia Mediolanensis sacro viduata pastore *Concilium Episcoporum* (id attestante Theodoro Lib. IV. cap. 16.) *contendit ab Imperatore, ut ipse, utpote sapientia, et pietatis insignibus præclare exornatus, Episcopum deligat.* Tum in Oriente Imperatores interdum Episcopum Cpolititanum nominarunt, præsertim ubi populus et Clerus in diversa scinderentur. Atque hinc defuncto Chrysostomo, *visum est Imperatori, scribit Socrates Lib. VII. capit. 29. propter homines inanum*

re

*rerum appetentes neminem ex illa Ecclesia ad Episcopatum illum eligere, sed advenam Antiochia arcessere.*

XX. Romanam Ecclesiam quod spectat, primus Odoacer Italiae Rex defuncto Simplicio an. 483. edicto evulgato vetuit, ne novus se inconsulto Pontifex eligeretur: *Can. 1. Dist. 96.* Tum an. 498. Clero, et Plebe Romana ob novi Pontificis electionem acriter inter se contendentibus, res ad Theodoricum delata est: cujus iudicio Symmachus Romanam Sedem obtinuit: *Anastasius in ejus vita.* Adhæc Cleri, populique concertationibus non adhuc sopitis Felix IV. per eundem Theodoricum ad Romanam Sedem evectus est, uti narrat Cassiodorus *Lib. VIII. Ep. 15.* Porro hæc veluti quædam videntur fuisse præludia illius potestatis, qua Imperatores deinde, re in consuetudinem abeunte, sibi vindicaverunt, ut nec Romæ, nec in famosioribus aliis Italiae urbibus Episcopi crearentur, nisi quos Cpolititanus Imperator confirmasset.

XXI. Atque hinc Pelagius I. *Epistola ad Narsetem Italiae Ducem* (quam Holstenius in Collect. Rom. integram refert, Gratianus in plura dissectam fragmenta) enarrat, Paullinum Aquilejensem, et Honoratum Mediolanensem inconsulto Imperatore contra receptam Italiae consuetudinem Episcopos fuisse constitutos: petitque brachium Principis ad eos coercendos ob schismatis crimen: et Gregorius M. Mauritium Imp. prævenit, ne electioni de se factæ consentiret.

XXII. Hoc Imperatorum jus secutis temporibus modo remissum est, modo revocatum pro variis temporum conditionibus. At x. ineunte sæculo iterum vigere cœpit, postquam in Synodo Ravennatensi an. 904. Othoni Imp. promissum est de non creando Pontifice *præter consensum, atque electionem Domini Imp.* Quod deinceps fere stetit usque ad abdicatas ab Honorio V. per annulum et baculum investituras. Moribus præsentibus Cardinalibus ad Pontificis electionem coactis, quem sibi ex Cardinalibus infensum habent, modeste denuntiant; sicque quominus in Pontificem eligatur sunt impedito. Omittendæ hic non sunt binæ Constitutiones Pragmaticæ Neapolitanæ sub Philippo II. Austriaco per Pro-reges Joannem Zunica, et Comitem de Miranda editæ, quibus omnino quæcunque tum in Rom. Pontificis vitam, aut obitum,

tum, tum et Pontificii Interregni tempore in novi Pontificis electionem sponsiones, sortesque interduntur: *Prag. 2. 3. et 4. de Sponsionibus.*

XXIII. Quod vero ad reliquas attinet Ecclesias, jam inde ab vi. sæculo plerumque Episcoporum electiones imperiali, vel regio adsensu vel ante, vel post accedente, celebratae sunt. Id moris primum in Gallia obtinuit, uti ex Concilio Aurelianensi I. perquam manifestum est.

XXIV. At negandum non est in Episcoporum electionibus præcipuas Episcoporum Provinciae, ac Metropolitanæ partes fuisse. Concilia namque, atque adeo ipsi Principes sollicitè caverunt, ne ob requirendum civilis potestatis consensum, antiqua electionum disciplina, præcipue quod ad eligentium libertatem, vel minimum læderetur.

XXV. Igitur ut paucis rem omnem complectar, octo prioribus Ecclesiae sæculis in Episcoporum electionibus præcipuas sibi vindicabant partes Clerus, et Populus: Populus proponendo, petendo, testando: Clerus vota, petitiones, testimonia plebis expendendo, expensis accedendo, aut refragando, simulque plebem ad alium designandum divertendo, dirigendoque. Tum Synodus Provinciae electionem à Clero, et à Populo peractam examinabat, iudicioque suo confirmabat. Demum Metropolitanæ reservata erat Consecratio. Regius quidem adsensus requiri consuevit; at ea adjecta cautione, ne eligentium libertas ulla ratione violaretur. Plebs quidem successu temporis exclusa; at in ejus locum advocati Proceres, et Magistratus. Tandem extraordinariis quibusdam in casibus Rom. Pontifices Episcoporum electionibus etiam extra Romani Patriarchatus fines intercessere. Atque hæc ad octo priora Ecclesiae sæcula quod spectat.

(\*\*) XXVI. Ad Hispanias quantum attinet, eandem existimamus viguisse electionis methodum, à Clero simul et Populo peractæ saltem ad sæculum usque V. i. Pro tribus prioribus sufficit unus nobis S. Cyprianus, qui Ep. LXVIII. ad Clerum, et Populum Hispaniæ: *Diligenter, ait, de traditione Divina, et Apostolica observatione observandum est.... ut ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciae proximi quique convenient, et Episcopus eli-*  
ga-

gatur plebe præsentē, quæ singulorum vitam plenissime novit.... Quod apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ Fraternalitatis suffragio, et de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, iudicio, Episcopatus ei deferretur.

2 Pro sæculo iv. exstat Epistola Siricii ad Hicmerium Tarracon. §. 10. *Qui dum initiatus fuerit Exorcista.... Acolytus et Subdiaconus fiat, et sic ad Diaconatum.... proveheatur. Exinde jam accessu temporum Presbyterium, vel Episcopatum, si eum Cleri ac plebis evocarit electio, non immerito sortietur.*

3 Sæculo v. eandem adhuc perdurasse electionum formam, evincitur ex *Epist. Innocentii I. ad Episcopos Synodi Tolet. Cap. 2.* qui ordinationes à Ruffino et Minutio peractas, irritas declaravit, quod nec Metropolitæ iudicium, nec plebis voluntas intercesserit. Item Episcopi Tarracon. Provinc. Sylvanum apud Hilarum P. accusarunt, de eo quod *nullis petentibus populis* Episcopus fuerit inauguratus.

4 At in ipso sæculo vi. exitu pristinam visa est Syn. Barcinon. an. 599. mutasse electionis methodum. Siquidem, uti dictum est, ex ejusdem Synodi *Can. III.* Clerus simul et Populus duos, seu tres eligendos proponebat, et decisio sortiti dabatur, Metropolitæ iudicio, et Comprovincialibus adstantibus. Quamvis enim jam tum esset edita Martini Bracar. Collectione, cujus in Cap. 1. populis adimebatur antiqua in electionibus facultas, non videntur tamen populi tunc primum jus hoc penitus amisisse.

5 Nam sæculo vii. ineunte Concilium Tolet. IV. *Can. XIX.* alias *XVIII.* avitam restituit electionum formam: *Sed nec ille deinceps erit Sacerdos, quem nec Clerus, nec populus propriæ civitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitanæ, vel Comprovincialium Sacerdotum adsensio exquisivit.*

6 Verum exeunte jam sæculo vii. omne omnino electionis jus Regibus tributum est, et relicta Metropolitæ Toletano quasi Primario, confirmatio, vel consecratio. Ita Synod. Tolet. XII. *Can. vi. Salvo privilegio uniuscujusque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoscunque Regalis Potestas elegerit, et jam dicti Toletani Episcopi iudicio dignos esse probaverit, in quibuslibet Provinciis...*

*successores eligere.* Id quod indicat Braulio *Epist. V.* ad Isidorum, et Isidorus *Ep. VI.* ad Braulionem: Risco *Append. ad Florezium Tom. XXX. Hispan. Sacr.* Unde non immerito dixit Philippus II. Regium hoc jus ab antiqua emanare consuetudine: *Leg. I. Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop.*

7 Sed non multo post eodem jam jam exeunte sæculo primævam eligendi rationem renovasse partim videntur Patres Syn. Tolet. XVI. qui *Can. XII.* Felicem loco depositi Siseberti ab Egica Rege ad Toletanam Sedem electum confirmare noluerunt, nisi cum consensu Cleri ac Populi.

8 Denique sæculo VIII. quo nullum unquam Hispanis, aut obscurius, aut infelicius esse poterit, quum nec Episcopis, nec Regibus integrum esset de Episcoporum electionibus vel cogitare, necessum fuit, ut hoc sibi jus adsumerent Ecclesiarum Capitula. (\*)

### De Electione, et Confirmatione Electionis

Sæculis IX. X. et XI.

XXVII. Nono sæculo requirendus Principis consensus, ac regiæ Episcoporum nominationes in sollemnes abiere investituras. Nomine *Investituræ significabatur Regius adsensus electionibus adhibitus, et concessio bonorum ecclesiasticorum sollemni baculi, et annuli pastoralium facta traditione.* Hic mos ex eo ortum duxisse videtur; quod quum feuda Ecclesiis donata sint, Episcopi, et Abbates non secus ac alii feudatarii investituras acciperent, quæ deinde ad cetera Ecclesiastica bona extensæ sunt. Vi investituræ Principes rogandi erant, ut canonicas electiones permitterent, electi Regibus ad recipienda bona Ecclesiastica sistebantur, ac tandem sequebatur Ordinatio.

XXVIII. At quum hujusmodi mos in eam evaderet abusionem, ut Episcopi sola Principis auctoritate, nullo Cleri, Synodi Provinciæ, aut Metropolitanarum judicio instituerentur; atque adeo passim pretio concessæ Ecclesiæ, et Monasteria: hinc R. Pontifices, et Episcoporum Synodi recentem invasionem totis viribus reprimere conati sunt, donec sæculo XII. abolendis investituris tandem consentirent Principes pactis cum Sede Apostolica conventis. Henricus

Imperator pro regis Germaniæ disidiis cum Rom. Sede compositis in Synodo Lateranensi I. sub Calixto II. primus omnium Ecclesiasticis personis liberam dimisit Episcoporum, et Abbatum electionem: at ea adjecta conditione, ut electi regalia per sceptrum jura ab Imperatore reciperent, qui suum Episcoporum provinciæ judicio adsensum præberet.

XXIX. Jure Neapolitano concordia inita inter Hadrianum IV. et Willelmum I. Northm. Regem Neap. an. 1156. de Electionibus inter ipsos ita convenit, ut fierent quidem à Clericis; quas tamen non promulgarent, nisi post præstitum à Rege adsensum.

XXX. Reginæ Constantiæ, et Friderico ejus filio Innocentius III. regii in electionibus consensus jus confirmavit; uti colligitur ex Pontificiis investituræ litteris apud Rainaldum *ad an. 1198. num. 67.* Unde ipsemet R. Pontifex tanquam Balius ejusdem Friderici II. Suevi minorensis electiones confirmavit Episcoporum Campani, et Pennensis vice regia, sive Regis nomine: *Cap. 17. et 18. de Electione.*

XXXI. Sequenti sæculo Clemens IV. investituræ litteris ad Carolum I. Andegavensem datis cavit, id quod Rex se observaturum promisit, nimirum, *ut in eligendis Ecclesiarum Prælatiis nec ante, nec post, neque in electione Regis adsensus, vel consilium ullatenus requireretur, salvo jure patronatus solum in Ecclesiis regii patronatus.* Idem Capitulis Caroli II. Andegavensis ab Honorio IV. probatis firmitus constitutum est.

XXXII. Regio adsensu vix abdicato statim præsto fuit auxilium *Placiti regii*, sive *regii Exsequatur*, sine quo Reges Neap. nunquam passi sunt Episcopos jam electos, et consecratos Ecclesiarum administrationem, possessionemque inire. Id juris agnovisse videtur Nicolaus IV. dum Carolo II. Andegavensi indulisit, ne quis Regi suspectus ulli Regni Ecclesiæ præficeretur: *Apud Bart. Chioccarell. Archiv. Tom. IV.* Atque adeo ipsemet Carolus II. Manfredi Gifonio regium placitum petenti concedi vetuit; id quod, ne Ecclesiam Melitensem regendam ingrederetur, ipsi impedimento fuit: *Ughellus Ital. Sacr. Tom. I. in Episc. Melit. n. 16.* Porro in Ecclesiis regii juris patronatus integrum Regibus Andegavensibus jus restitit adsensus Electionibus præstandi, uti



ex Epist. Benedicti IX. ad eundem Carolum II. perspicuum est.

XXXIII. Igitur sæculo XII. abolitis investituris Episcoporum electiones solis Cathedralium Capitulis cessere; exclusis non modo plebe, nobilibus, magistratibus, verum et reliquo Clero; quippe quod soli Canonici unum cum Episcopo corpus constituere, universumque referre presbyterium censerentur: *Capit. 4. et 5. De iis, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.*

(\*\*). XXXIV. In Hispania, quum primum lugubres vestes mutare cœperit, vel Reges ipsi recens expugnatis urbibus Episcopos præficiabant, ut Ferdinandus Gonzalez Castellæ Comes an. 930. Silonem Monachum ad Oxomensem elegit Ecclesiam: et Ferdinandus I. Pelagium ad Legionensem, ut ipse de se testatur in ejus vita; vel de Regum licentia Ecclesiarum Capitula, uti colligitur ex *Actis* Conventus Pamplionensis 3. Kalend. Octobr. an. 1023. Quocirca Bernardus electus est ad Ecclesiam Toletanam *Ildephonsi Excellentissimi Regis* consensu: Urbanus II. in *Epist. ad eundem Bernardum* an. 1088. Id quod ratum habuit Alphonsus Sapiens *Leg. XVIII. Tit. V. Partit. I.* et Alphonsus XI. *Leg. III. Tit. III. Lib. I. Ordinamenti Reg.* quæ inserta est *Sanct. I. Tit. VI. Lib. I. vulgo Autos Acordados*; et Juri Canonico est conforme ut ex *Capit. 18. de Electione* satis aperte colligitur. (\*)

(\*\*) XXXV. Sequitis tamen temporibus quum Capitula ab hac exciderint prærogativa, illam sibi Romana Sedes reservavit, ita ut deinceps, *ad Regum supplicationem precario à Pontificibus Romanis Episcopi instituerentur*; ut refert Mariana *Hist. Hisp. Lib. XXVI. cap. 5.* quod quidem saltem obtinuit à Ferdinandi Catholici ævo, ut liquet ex *Lege XIII. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* (\*)

#### *Variæ Electionis formæ jure Decretalium.*

XXXVI. Porro Capitulis Cathedralium tres eligendi formæ jure Decretalium propositæ sunt; ut ex ipsis quam malent, sequerentur; nimirum *Inspiratio, Compromissum, et Scrutinium*: *Cap. 42. de Electione.* Inspiratio, quum omnes,

qui in electione jus habent suffragii, veluti numine ducti, ad unum eligendum conveniunt: *Cap. eodem*. Id si R. Pontifice eligendo accidat, electio dicitur facta *per Adorationem*.

XXXVII. Per Compromissum electio fit, quum universum Capitulum omne jus suum in unum, aut in plures sive ex suo corpore, sive extraneos transfert, ut illius, vel eorum sit eligendi arbitrium. Atqui compromissariis mandati forma omnino observanda est, adeo ut si contra egerint, electio nulla sit: *Cap. 32. eodem*. Hac electionis forma Summum Pontificatum adsecutus est Gregorius X.

XXXVIII. Denique per Scrutinium celebratur electio, ubi Capitulum ex eligentium numero tres deligit fide dignos, qui secreto, et sigillatim suffragia singulorum diligenter exquirant, eaque in scriptis redacta mox in communi evulgant; ut is demum collatione habita, electus habeatur, in quem omnes, vel major, et sanior Capituli pars consenserit. (\*\*). Videsis Alphonsum Sap. à *Leg. XIX. usque ad XXI. Tit. V. Part. I.* in quibus hosce electionum modos mirifice explicantur. (\*)

XXXIX. Dicitur *major, et sanior pars*, quæ eligentium non modo numero, verum et sapientia, ac meritis præstat: at major pars, nisi scienter indignum elegerit, semper sanioerem vincit, ubi duplo eam superaverit: *Cap. 42. eodem*. Verum ex Bonifacii VIII. Constitutione in *Cap. 43. §. Sane eodem in VI.* non sanior pars minor, sed major duntaxat vocum numerus attendendus ob æquale singulorum eligentium jus; idque abrogata antiqui juris sententia.

XL. Per scrutinium quoque dicitur fieri electio, quum eligentium quisque suffragium suum secreto in schedula scriptum in urnam immittit, ut suffragiis numeratis is, in quem plura conveniunt, electus intelligatur.

XLI. Priore scrutiniî forma eliguntur Episcopi, et Prælati inferiores, qui Ecclesiarum suarum perpetuo titulares existunt. Altera vero ex jure Concilii Tridentini *Sess. XIV. de Regular. Cap. 6.* prorsus eligi oportet temporales Monachorum, aliorumque Regularium Superiores, qui antea nullam ex jure communi certam scrutiniî formam habebant. Tum eadem prorsus electionis forma eligendi quoque sunt eorundem Superiores Generales licet perpetui, uti

sunt illi Prædicatorum, et Augustinensium: Cisterciensi tantummodo, et Cluniacensi exceptis, qui si scrutinio eligi velint, haud posteriori, ut reliqui Regularium Prælati, at priori prorsus scrutinii forma eligantur necessum est, quum ambo sint titulares perpetui Abbatiarum Cisterciensis, et Cluniacensis.

*De iis, quæ ad electionem requiruntur jure  
Decretalium.*

XLII. In electione jure Decretalium plura requiruntur, et quidem tum ex parte ipsius electionis, tum ex parte eligentium, tum demum ex parte eligendorum. Igitur ex parte ipsius electionis 1. requiritur, ut Ecclesia vacet; id quod morte Episcopi præcipue contingit; quo casu exsequiæ prius celebrentur oportet: *Cap. 36. de Electione.*

2 Omnes citandi sunt, qui jus habent suffragii, dummodo sint in provincia: *Cap. 35. de Electione.* Quod si vel unius citatio neglecta fuerit, irrita per judicis sententiam declaranda erit electio, nisi is qui vocatus non fuerat, suo saltem silentio illam adprobet: *Cap. 28. de Electione.*

3 Legitime absens potest impedimento jurejurando probato, suffragium suum, et instrumentum procurationis, uni ex Canonicis mandare, vel etiam extraneo, Capitulo consentiente. Tantummodo in electione Summi Pontificis nec Cardinales citari oportet, nec eorundem absentium mandatum procurationis admittitur.

4 Qui nomine alterius eligit, et suo, non potest ancipiti conscientia dividere suffragia in diversos, sed utrumque debet in eandem personam conferre; nisi ad certam determinatam personam eligendam fuerit speciatim constitutus: *Cap. 46. §. Porro de Electione in VI.*

5 Tandem electionis locum Ecclesiam vacantem esse convenit; eamque intra tres menses à die vacationis omnino fieri oportet: *Cap. 41. de Electione.* Ubi tamen de minoribus dignitatibus, perpetuis tamen, agatur, spatium sex mensium conceditur: quibus elapsis temporibus jus eligendi cum iisdem spatiis ad proximum superiorem devolvitur; ab eoque ad alios, si qui sunt, donec ad Summum

Pontificem perveniatur : *Cap. 41. de Electione* : *Cap. 5. de Concessione Præbendæ.*

XLIII. Quod vero ad eligentium attinet qualitates : 1. jure communi non nisi Cathedralis Ecclesiæ Canonorum jus est Episcopum eligere. At alii etiam ex consuetudine , pacto vel privilegio illud cum ipsis commune habere possunt , modo laici non sint : *Cap. 8. de Consuetudine* : *Cap. 32. et 51. de Electione.*

Immo 2. nonnunquam et illi , qui in Capitularium Collegium sunt cooptati , eligendi jure destituuntur ; et quidem vel impedimento naturæ ob consilii inopiam , uti impuberes , furiosi , mentecapti : *Cap. 32. de Electione in VI.* vel impedimento legis , uti suspensi , interdicti , excommunicati per sententiam judicis : *Cap. 16. de Electione* : et *Cap. unic. Ne Sede vacante in VI.* Item hæretici , schismatici , apostatæ , si publice denunciati , seu non tolerati sint , vel opposita saltem exceptione repulsi : *Extravag. Ad evitandum* : ac demum , qui sacros Ordines nondum susceperunt : *Clementina 2. de Ætate , et Qualitate.*

3 Eligendi facultatem ad tempus amittunt , tum qui laicos ad jus suffragii in electione ferendum admittunt , quæ electio ab Innocentio III. in *Cap. 43. de Electione* dicitur facta per sæcularis potestatis abusum ; tum qui electionem , si justum impedimentum non obstiterit , ultra tempus à jure præscriptum protraxerint : *Cap. 41. ibidem* : ii denique , qui vel normam à jure præscriptam in electione servare contemserint , vel scienter indignum eligere voluerint.

4 Postremo hic observare juvat jure Neapolitano , scilicet Capit. Caroli II. Regis Andegav. constitutum olim fuisse , quod *Officiales , Comites , Barones , vel aliæ quæcunque personæ laicales non intromittant se in electionibus prælatorum , collectionibus feudorum , seu beneficiorum Ecclesiasticorum directe , vel indirecte , nisi hoc ex privilegio , vel ratione juris patronatus aliquibus competat* : Capit. 6. Tit. de Privilegiis , et immunit. Eccles.

XLIV. Illud hic omnino animadvertendum , in electione per scrutinium , qui jure suffragii gaudet , non posse illud in semetipsum convertere : *Cap. 26. de Jure patronatus.* At quorsum hoc ? Profecto tum ob alias rationes , tum vel maxime

ne ambiendarum dignitatum Ecclesiasticarum daretur occasio: at contra in electione per compromissum, data compromissariis facultate eligendi unum ex ipsis, compromissarii recte poterunt eligere unum ex se, et electus electioni de se factæ recte consenserit; neque ambitionis nomine accusari poterit, quippe quod ex forma compromissi licuit compromissariis unum ex se eligere, atque adeo compromissarius quisque totius Capituli sententia dignus est, qui promoveri possit: *Cap. 35. de Electione.*

XLV. Postremo eligendorum qualitates paucis explicabimus. Ac 1. ex Concilii Later. III. *Can. III.* Episcopus eligi nequit nisi qui trigesimum ætatis annum jam exegerit, legitimo sit matrimonio natus, atque adeo vita, et scientia commendabilis comprobetur.

Tum 2. ex Tridentino *Sess. XXII. Ref. cap. 2.* in Episcopo eligendo requiritur idonea scientia. Qua de re qui Episcopus eligi velit, necessum est, ut antea in aliqua studiorum Universitate Magister, sive Doctor, aut Licentius in Sacra Theologia, aut Jure Canonico merito sit promotus, vel publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.

3 Nedum ab Episcopatu, verum et à Presbyteratu arcetur Neophyti: *I. ad Timoth. III. v. 6.* scilicet ne superbiant. Quamobrem ex eodem Tridentini decreto Episcopus eligi nequit, qui saltem Hypodiaconus ante sex menses non fuerit ordinatus.

4 Prohibentur etiam ab electione Irregulares omnes, de quibus plenius suo loco. Quinimmo qui à Rom. Pontifice in defectu natalium impetrata venia ad ordines sacros admittitur, non censetur ideo legitimus, qui dignitatem, personatum, curam animarum, ac potiori jure Episcopatum consequatur, nisi speciale novum hæc ipsi indulgeat R. Pontificis rescriptum: *Cap. ult. de Filiis Presbyt. Cap. 7. de Electione.*

5 Excluduntur criminosi, vel gravi quadam infamia notati, uti hæretici, eorumque filii, schismatici, excommunicati etiam excommunicatione minori, suspensi, interdicti, eunuchi, bigami &c.

6 Tandem electione prohibentur aliarum Ecclesiarum Epis-

copi, monachi sine superiorum suorum licentia, atque exterì populi, cui præficerentur, idioma haud callentes.

(\*\*) 7 Pluribus profecto, iisque præstantissimis animi dotibus oportet ut fulgeant, et à cunctis vel levissimis nævis immunes sint eligendi ad Episcopatum. In his recensendis egregie *Syn. Tolet. IV. Can. XIX.* alias *XVIII.* Sanctius etiam Navarrae Rex in præf. Conventu Pampil. *Sint*, ait, *largissimi, mitissimi, humiles, amabiles, desiderabiles, probabiles, celebres Oratores, benefactores, concordēs, misericordēs, pii, justī, mansueti, benigni, pacifici, castissimi.... bene instructi ad Ecclesiarum Officia.* Consonat Alphonsus Sap. à *Leg. XXII. Tit. V. Partit. I.* quin et *Leg. XXVI.* poenas statuit in indignum eligentes. (\*)

### De Postulatione jure Decretalium.

XLVI. Antequam ulterius progrediamur, illud hic omnino animadvertendum, scilicet ubi persona eligatur, cui canonicum aliquod obstet impedimentum, dispensationem à R. Pontifice petendam esse. Unde hujusmodi electio in jure nostro *Postulatio* dicitur, quæ quidem nonnisi in eo ab *Electio* differt, quod electio jus tribuat electo, secus vero *Postulatio*, quousque fuerit ex gratia à R. Pontifice probata: *Cap. 3. de Postulatione.*

XLVII. Ubi vero statuimus *Postulationem* ejus esse, qui ab aliquo canonico impedimento eligi vetatur; hoc de iisduntaxat impedimentis intelligas, in quibus venia dari consueverit. *Postulatio* enim dispensationis species est, caussamque requirit: *Cap. 1. de Postulatione.* Quinimmo ubi simul electus, et postulatus concurrant, ille huic est præferendus: tantummodo quum duplo major fuerit postulantium numerus, poterit postulatus electo præponi: *Cap. 3. de Postulatione.* (\*\*) Videsis Alphonsum Sap. *Leg. XXIV. et XXV. Tit. V. Partit. I.* in quibus, quidquid ad *Postulationem* spectat, perspicue invenies explicatum. (\*)

[ *De Confirmatione, et Consecratione jure Decretalium.* ]

XLVIII. Electione peracta 1. exquirendus est electi consensus, qui sane omnino post electionem petendus: namque ubi ante electionem exquiratur, electio propter ambitus suspicionem non subsistit: *Cap. 46. de Electione.* Unius mensis spatium electo conceditur, ut deliberet, num impositum onus subire velit.

2 Tum præstito consensu, nisi quæsito jure excidere velit, omnino intra tres menses confirmationem petat, quam novo Decretalium jure solus impertitur Metropolita examine præmisso, ac omnibus, quorum interest, auditis. Ubi vero electionis examen, et confirmationem Sedi Apostolicæ vel immediata subjectio reservet, vel interposita adpellatio devolvat, tunc electus ex Nicolai III. Constitutione *Cap. 16. de Elect. in VI.* iter ad Sedem Apostolicam intra mensem adripiat, sumto tempore ad itineris longinquitatem necessario: *ibid.*

XLIX. Per confirmationem spirituale inter Electum, et Ecclesiam contrahitur conjugium: *Cap. 2. §.* Sicut enim *de Translatione.* Unde electus impetrata confirmatione omnia, quæ Episcopalis jurisdictionis sunt, exercere potest. Solis Episcopis, et Abbatibus extra Italiam, qui vel *amovs*, Romano Pontifici parent, vel ab ipso confirmationem petere debent, ob locorum distantiam indultum est, ut concordibus suffragiis electi interim Ecclesias administrent: *Cap. 44. de Electione.*

L. Consecrationem quod spectat, profecto licet Confirmationem non statim sequatur; id quod uti suo loco vidimus, per undecim priora sæcula obtinuit: attamen intra tres menses proxime à confirmatione elapsos differenda non est: *Can. III. Dist. 75. (\*\*)* Alphonsus tamen noster sex menses à confirmatione computandos adsignat: *Leg. XXVII. Tit. V. Partit. I. (\*)* et quidem ab eodem celebranda Antistite, à quo confirmatio obtenta est, adstantibus provinciæ Episcopis, vel saltem eorum duobus: *Dist. 65. per totam*; ita ut si in provincia nullus præter Metropolitanam Episcopus fuerit,

vicinæ provinciæ præsules advocandi sint: *Can. ult. eadem Dist. 65.* Ubi vero Metropolitanus justo detineatur impedimento, quominus ipse consecrationem perficiat; non prohibetur vices suas alteri committere: *Cap. 10. de officio Judicis Ordinarii.*

LI. Igitur spirituale fœdus conjugii inter Episcopum, et Ecclesiam consecratione veluti consummatur: unde consecratus non modo quæ jurisdictionis, verum et quæ ordinis sunt Episcopalis jure exercet. Tum qui nonnisi *Episcopus electus* post confirmationem nuncupabatur, post consecrationem simpliciter *Episcopus* dicitur: Fagnanus in *Cap. 7. de Rescriptis num 6. et 7.* Præterea hunc *Venerabilem fratrem* adpellat Pontifex, illum vero *Dilectum filium.*

*De Electione Episcoporum jure novissimo.*

LII. Porro non diu steterunt penes Capitula Cathedralium Episcoporum electiones; paullatim enim Pontificiæ induci Reservationes cœperunt. Et quidem primus Clemens IV. generatim Ecclesias Cathedrales, Dignitates, Personatus, aliaque beneficia apud Rom. Curiam vacantia Sedi Apostolicæ reservavit: *Cap. 2. de Præbendis in VI.* mox alii Pontifices novas inducere reservationes: ac tandem Paulus II. an. 1467. per Constitutionem *Ad Rom. Pontificis providentiam*; Extrav. Comm. *Lib. III. Tit. II. cap. 14.* alique deinceps Pontifices per Regulam II. Cancellariæ omnes prorsus Ecclesias sive Patriarchales, sive Metropolitanas, sive simpliciter Episcopales, etiam apud Rom. Curiam non vacantes, Sedi Apostolicæ reservarunt.

LIII. Per hasce reservationes antiqua electionum disciplina, quæ jam immutari cœperat, ad nihilum pæne redacta est. At nemo inficiabitur, cur hujusmodi reservationes inducerentur, in causa fuisse tum electiones ultra tempus protractas, tum frequentes Reges inter, ac Pontifices, præsertim Avenionensi schismate vigente, discordias, tum demum vel maxime gravia eligentes inter, et electos dissidia plerumque ad Sedem Apostolicam delata.

LIV. Verum quum hujusmodi reservationibus non modo Canonorum Collegia, verum et Reges, ac Principes undi-



dique, ac fortiter reclamarent; hinc primum in Concilio Basileensi prorsus abrogatæ sunt, illa tantum excepta, qua beneficia in Curia vacantia R. Pontifici reservabantur. At non ubique Basileense Decretum æque obtinuit; quinimmo ipsamet Gallia, ubi non modo summo plausu exceptum, verum et in Comitibus Bituricensibus an. 1431. auctoritate Regis probatum est, atque adeo in Pragmaticam Sanctionem conjectum, non diu canonicas electiones retinuit, Pontificibus adversus Pragmaticam Sanctionem strenue agentibus. Qua de re successu temporis Concordatis inter ipsos R. Pontifices, et sæculares Potestates initis res varie transacta est.

LV. In Germania pactis conventis inter Fridericum III. aliosque Principes, et Nicolaum V. electiones Capitulis Cathedralium restitutæ sunt. In Gallia ex Concordato inter Franciscum I. et Leonem X. Rex nominat Episcopos.

LVI. Pro Regno Neapolitano ex Concordato inter Clementem VII. et Carolum V. an. 1529. inito Rex nominat, eligitque Episcopos ad viginti quinque Ecclesias Cathedrales Regni Neap. tanquam regii patronatus: octo scilicet Archiepiscopales, et septendecim Episcopales. Archiepiscopales sunt: Acheruntina cum Materana, Brundusina, Hydruntina, Regina, Tarentina, Tranensis, Salernitana, et Lancianensis. Episcopales vero sunt, Acerrarum, Aquilæ, Ariani, Cajetæ, Casertæ, Cassani, Castri Stabiensis, Crotonæ, Gallipolis, Juvenatii, Monopolis, Motulæ, Uriæ, Potentiæ, Puteolorum, Tropeæ, et Ugenti.

LVII. Illud postremo in Regno Neap. servatur, ut Episcopatus, ac reliqua beneficia omnia nonnisi regnicolis, vel jura civitatis habentibus omnino conferenda sint ex Caroli VI. Imp. Rescripto *Tom. II. Privileg. Neap.* et quidem post acrem cum Rom. Curia concertationem. Id quod ratum habuit lex Concordatorum an. 1741. *Cap. VIII. art. 1.*

LVIII. Hic observare abs re non esse videtur, moris olim fuisse in nostro Regno Neap. ut bonorum Ecclesiarum vacantium administrationem Bajuli, sive inferiores judices in Civitatibus, oppidisque constituti susciperent. Quod vero hi non ita *fideliter, et studiose hoc servitium peragebant, sed male tractabant, et custodiebant res ipsarum Ecclesiarum;* hinc Rogerius Rex Northmannus Const. *Pervenit Tit. de*

*administr. rer. Eccles. in hunc modum sancivit: Quia omnes Ecclesias Regni nostri, et specialiter ipsas, quæ pastori-  
 ribus carent, in manu, et protectione nostra habemus; Nolentes, ut res Ecclesiarum illarum in aliquo minuantur, vel defraudentur; statuimus, et sancimus, ut deinceps si quis Archiepiscopus, vel Episcopus Regni nostri decesserit, res ipsius Ecclesiæ in custodia, et cura trium de melioribus, et fidelioribus, necnon et sapientioribus personis ipsius Ecclesiæ ad custodiendas, et conservandas eas ad opus Ecclesiæ usque-  
 dum de pastore in eadem Ecclesia provideatur, committantur. Eo tamen modo, ut de redditibus, et proventibus ipsius Ecclesiæ ad usum servientium ibidem morantium necessaria rationabiliter, et sufficienter ministrentur; et ex eis ipsi Ecclesiæ multum bene, et rationabiliter serviatur, residuum ab ipsis custodibus ad opus ipsius Ecclesiæ salve, et integre custodiatur; donec ibi pastor fuerit constitutus. Constituto autem in Ecclesia pastore, quidquid de rebus, et introitibus ipsius Ecclesiæ remanserit, ipsi pastori eorum adsignent, et ei rationem inde reddant. Secutis temporibus in Episcopatibus duntaxat regiæ nominationis hoc jure usi sunt Reges Neapolitani.*

(\*\*) LIX. In nostro Hispaniarum Regno, quum ad diurnas sedandas controversias Hadrianus VI. plenam Episcopatum electionem cesserit Carolo I. ac prius Aragoniæ Regibus, Alexander II. Gregorius VII. et Urbanus II. ad ipsos eam non uno titulo spectare declaravit Philippus II. *Leg. I. Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop.* atque exinde Reges nostri nominant ad omnes omnino Archiepiscopatus, Episcopatus, Prælaturas, et Abbatias Consistoriales, iis paucis duntaxat exceptis, quorum Patronatus ad Dominos temporales spectat, relicta tantummodo Pontificibus Romanis confirmatione. (\*)

(\*\*) LX. Illud etiam in nostro Regno observatur, ut Episcopatus, sicuti et reliqua cuncta Beneficia nonnisi Regnicolis, vel jura civitatis habentibus conferenda sint ex Henrici II. Constitutione, quæ exstat in *Leg. XIV. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* Id quod confirmavit Benedictus XIV. in Concordato cum Ferdinando VI. inito an. 1753. etiam quoad quinquaginta duo Beneficia Sedi Apostolicæ in eo reservata. (\*)

(\*\*) LXI. Hic observatione dignum erit, Pontifices Romanos solitos fuisse Apostolicos deputare iudices, qui defunctorum bona Episcoporum suscipere ministranda: Pius V. Constit. *Romani Pontificis*; donec novissimo an. 1753. Concordato jus hoc in Reges nostros transtulerunt, qui per *Generalem Spoliorum Collectorem*, aliosque in singulis Diocesisibus deputatos Collectores relicta, solutis debitis, ab Episcopis decedentibus bona erogant in pios usus, et præcipue S. Cruciatæ: *Ex Adnotatione 31. et 32. ad Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* (\*)

(\*\*) LXII. Insuper recenti Caroli III. Decreto an. 1771. sancitum est, ex spoliis bonis quoddam in unaquaque Sede Episcopali constituere pecuniæ caput, ex quo Successoribus expensæ pro Bullarum expeditione persolvantur, et Episcopales ædes adpositæ, uti Episcopum decet, instruuntur: ex quo etiam publica instituitur Bibliotheca, Episcoporum etiam libris ad eam instruendam adsignatis. (\*)

*De Confirmatione, et Consecratione jure novissimo.*

LXIII. Per Pontificias reservationes sicuti Capitula Cathedralium jure eligendi, ita Metropolitanæ jure confirmandi, et consecrandi exciderunt. Unde jure novissimo omnium prorsus Episcoporum, etiam illorum, qui à Regibus nominantur, et eliguntur confirmatio, et consecratio R. Pontifici est reservata. (\*\*) Qua de re Episcopi suo prorsus inconsulto Metropolita, à quocunque Catholico Antistite ex Rom. Pontificis delegatione, à quo confirmationem obtinent, inaugurantur. Verum Tridentina Syn. *Sess. xxiii. Ref. cap. 2.* decrevit, quod *consecratio, si extra Romanam Curiam fiat, in Ecclesia ad quam promoti fuerint, aut in Provincia, si commode fieri possit, celebretur.* Atque hac sane constitutione Partitarum jus aliquantulum derogatum, ex quo in Metropolitana Ecclesia consecratio fieri debebat, liberumque Consecratori erat, aliam, quam voluerit, eligere: *Leg. XXVIII. Tit. V. Part. I.* (\*) Illud duntaxat discriminis agnoscitur inter electos à Papa, et nominatos à Regibus, quod hi confirmatione omnino indigeant, contra vero illi; quum ipsa  
per

per R. Pontifices ad Episcopatum promotio confirmationis robur habeat.

LXIV. Quamvis autem vetus ecclesiastica de electione disciplina pæne abolita sit, adhuc tamen de persona eligenda adcurata inquisitio facienda est. Ergo R. Pontifex electionem confirmaturus tria potissimum de electi persona inquit: scilicet ætatem legitimam, morum honestatem, et sufficientem doctrinam. Ex quibus omnibus Acta confari debent, et quidem ex Constitutionibus Gregorii XIV. et Urbani VIII.

LXV. Hujusmodi porro Acta Romæ conficiuntur, si quæstio sit de Episcopis Italiæ, atque Insularum adjacentium: componuntur vero in Provinciis, si agatur de Episcopis, qui Sedem Episcopalem habent extra maria, et montes. Quoniam vero ob gentium, et morum varietatem ubique eadem norma observari nequit: hinc scite Tridentini Patres sanxere, ut in unaque Provincia Metropolitana cum Episcopis provincialibus methodum, quæ obtinere debeat, hac de re præscribat. Porro in Episcopatibus Italiæ, atque Insularum adjacentium ex Constitutione Clementis VIII. pars, et quidem præcipua Actorum est improvisum examen coram Pontifice, Cardinalibus, Prælatibus, Theologis, et Canonistis ad id selectis ab promovendo subeundum, à quo, si Cardinales excipias, nemo sane potest eximi.

LXVI. Actis Romæ concinnatis, vel ex provinciis Romanam perlatis, in iisque electi prærogativis expositis, statim ea committuntur examini Card. Relatoris, et aliorum trium Cardinalium, qui iis subscribunt simul profitentes se omni omnino adhibita cura, et diligentia ea in electo invenisse, quæ à jure, et à Synodo Tridentina requiruntur. Hæc à Cardinali Relatore Pontifici exponuntur in Consistorio: in quo tamen Pontifex electionem confirmare nequaquam solet, sed rem in alio Consistorio definiendam relinquit. In priori *Præconizatio*, in altero *Propositio* fieri dicitur.

LXVII. Ceterum jure Neap. novis electis, vel etiam consecratis Episcopis nullum permittitur Episcopalis potestatis munus exercere, nisi prius Litteris Pontificiis regium *Placitum* accesserit, et corporalem adepti sint possessionem.

(\*\*) LXVIII. In Hispania novis electis Episcopis juramen-

mentum exigendum est de Regum juribus, et redditibus non invadendis, et hoc priusquam administrationem suscipiant: *Leg. XIII. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* et in Indiis de non usurpando Regio Patronatu. *Leg. I. Tit. VII. Lib. I. Recop. Ind. (\*)*

(\*\*) LXIX. Postremo hic animadvertere lubet, Indiarum Episcopos non posse nisi in illis consecrari Regnis. *Ex Reg. Decret. 19. Aug. an. 1643. et 11. Febr. 1644.* idque absque dispensatione. Possunt tamen ab uno inaugurari Episcopo, et duobus adsistentibus Abbatibus, vel qui dignitate fulgeant Ecclesiastica. Si promoti, certiores de primo Navium transitu ad eas partes profectionem procrastinaverint, amittunt fructus Dignitatis usque ad adventum, et Ecclesiæ suæ fabricæ adjudicantur: *Constit. Gregorii XIII. 28. Febr. an. 1568. ad supplicationem Philippi II. edita. (\*)*

*De Antistitum Sanctimonialium Electione.*

LXX. In Antistita eligenda plura requiruntur: 1. Ætas quadraginta annorum. 2. Octennium saltem professionis. 3. Episcopus, vel ejus Vicarius electioni præsit; at non intra Claustra, sed ad crates colligat suffragia. 4. Superior regularis, cui monasterium subditur, vetatur suum suffragium cum suffragiis monialium conferre. 5. Tandem Antistita non eligatur, nisi ad triennium; neque iterum eligi quiverit, nisi alio integro elapso triennio: (\*\*\*) *Synod. Tridentina Sess. XXV. de Regularib. cap. 7. (\*)* et Sacra Congregatio apud Nicolaum.

TITULUS XX.

*De Translatione, Renuntiatione, et Depositione.*

I. Spirituale Conjugium ab Episcopo per Consecrationem cum Ecclesiâ initum, præter mortem, quæ omnia solvit, tribus potissimum modis accidere potest, ut dissolvatur; nimirum Translatione, Renuntiatione, et Depositione. De Depositione sermo redibit *Lib. III.* hic igitur de Translatione, et Renuntiatione tantummodo agendum nobis est.

*De*

## De Translatione.

II. Episcopi ab Ecclesiis, quas semel regendas susceperunt, ad alias transire Ecclesiasticis Canonibus omnino vetantur: ita Concilia Nicænum *Can. xv.* Antiochenum *Canon. xxi.* Sardicense *Can. i. et ii.* et alia quamplurima, quorum Canones ex parte congressit Gratianus in *Causæ VII. Quæst. i.* Qua de re Constantinus M. summis laudibus Eusebium Cæsareensem extulit, atque adeo tanquam Apostolicæ, et Ecclesiasticæ regulæ custodem commendavit; quippe qui Antiochenam, ad quam vocatus erat, Ecclesiam refutarit.

III. Hujusce canonici interdicti duplex potissimum antiquis Patribus profertur ratio. Prima: spiritualis necessitudo conjugii, quod individuum, ac perpetuam Episcopi cum Ecclesia conjunctionem requirit: Innocentius III. *Cap. 2. et 3. de Translatione.* Altera: ad compescendam ambitionem, et avaritiam Episcoporum, qui ob sua privata commoda sedem mutare adpetunt; quum nonnisi de minori ad majorem transferri postulent Ecclesiam: Concilium Sardicense *Can. i.* cujus verba hic placet scribere: *Non tan mala consuetudo, quam perniciosa rerum corruptela est ex ipsis fundamentis penitus exstirpanda, ne cui Episcopo liceat à parva civitate in aliam migrare: ejus enim causæ prætextus est manifestus propter quem talia tentantur; nullus enim Episcopus adhuc inveniri potuit, qui à majori civitate in minorem transferri studuerit: unde constat eos habendi plura cupiditate succendi, et arrogantiae servire, ut videantur majorem habere potestatem.*

IV. Utramque rationem eleganter complectitur Hieron. Ep. 83. ad Oceanum: *Et hoc, inquit, in Nicæna Synodo à Patribus decretum, ne de alia in aliam Ecclesiam transferatur Episcopus, ne virginis pauperculæ societate contempta, ditioris adulteræ quærat amplexus.*

V. Quinimmo tantum ambitionis, avaritiæque facinus gravissima pœna multandum Patres Sardicenses decreverunt; scilicet Episcopos, qui illud admiserint, laica etiam communione privandos, nec in morte Ecclesiæ paci restituendos: *laud. Canonibus i. et ii.*

VI. Sed ad Ecclesiæ utilitatem, necessitatemque non modo jure Decretalium, verum et antiquissimo Ecclesiæ usu Episcoporum translationes admissæ sunt. Indicant quamplurima Episcoporum in Synodis translatorum exempla: Socrates *Lib. III. cap. 26.* Quinimmo in ipsa Nicæna Synodo Eustathius Berœæ Episcopus ad Sedem Antiochenam translatus est: Pagius *Critic. in Baronium ad an. 324.* (\*\*). In Hispania complura habemus translationum exempla. Martinus Episcopus Dumiensis ad Sedem Bracarensem translatus est: In *Conc. Tolet. X. Decret. pro Potamio* Fructuosus Episcopus quoque Dumiensis ad eandem Bracarensem translatus est: In *Tolet. XVI. Can. XII.* Hispalensis in Toletanam, Bracarensis in Hispalensem, et Portucalensis in Bracarensem translatus est. (\*) Igitur illa veterum canonum interdictione ambitiosæ duntaxat Episcoporum translationes vetabantur, haud vero quæ causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ fierent. Ad rem Pelagius II. *Non mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causa avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ delectationis migrat de civitate in civitatem, sed causa necessitatis, vel utilitatis mutatur.* (\*\*). *Non ergo intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis, vel utilitatis fieri posse.* Can. xxxv. Caus. 7. Quæst. I. (\*) Adhæc Syn. Carthag. IV. Can. xxvii. *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis Clericus. Sane si id utilitas Ecclesiæ faciendum poposcerit, decreto pro eo Clericorum, et laicorum Episcopis porrecto in præsentia Synodi transferatur..... inferioris vero gradus Sacerdotes, vel alii clerici concessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias transmigrare.*

VII. Ex hoc Carthag. canone bina eruuntur veteris disciplinæ capita: 1. Apud Africanos Episcoporum translationes, earundemque causas fuisse in Synodo Provinciæ examinandas, ac probandas. Idem juris apud Orientales quoque obtinebat; uti ex Concil. Antiochen. *Can. xxiii.* colligere est. Verum procedente tempore Patriarchæ jus translationum usu suum fecere: Socrates *Lib. V. cap. 8. et Lib. VII. cap. 36.* donec tandem Rom. Pontifici reservaretur. (\*\*). *Cap. 1. de Translatione, et Alphonsus Sapiens Lege V.*

*Tit. V. Partit. I. (\*)* Porro hujusce Pontificiæ reservationis jam inde ab v. sæculo tenuia licet quædam initia reperiunt; Socrates enim modo indicatis locis translationibus Perigenis è Patrensi oppido in Corinthi Metropolim, et Procli è Cizico in Cpolitanam sedem R. Pontificis auctoritatem intervenisse scribit.

VIII. Alterum, quod ex Carthag. canone efficitur, illud est, nimirum inferiorum Prælatorum translationes facilius admittendas, quippe quod inter Ecclesias, et Clericos Episcopis inferiores tanta necessitudo non est, quanta inter Episcopos, et Ecclesias, quibus spirituali quodam conjugii foedere artissime copulantur, haud secus ac ipsemet Christus cum Ecclesia; id quod *Magnum Sacramentum*, dicit Apostolus: *Ad Ephesios V. v. 32.* Igitur inferiores illi Antistites, ubi proprii Episcopi accedebat auctoritas, relictis suis Ecclesiis, ad alias recte migrabant. At contra invito proprio Episcopo ad aliam transire Ecclesiam Clericis omnino vetitum: Concilia Nicænum *Can. XVI.* et Antiochenum *Can. III. (\*\*)* et Tolet. I. *Can. XII.* Tolet. II. *Can. II.* Hispanens. II. *Can. III.* et Tolet. XIII. *Can. XI. (\*)*

#### De Renuntiatione.

IX. Ex eadem mox explicata spiritualis conjugii ratione prohibentur Episcopi proprio arbitrio à suis se abdicare Ecclesiis, ut vitam deinceps agant privatam. At ubi legitima subsit causa, Episcopalis muneris abdicatio canonibus Ecclesiasticis permessa. Hinc ex una parte Cyrillus Alexand. Epistola ad Domnum præter *Ecclesiasticas leges esse*, scribit, *quod nonnulli Sacerdotes recusationum libellos offerant, quippe si digni sint, ministerium sacrum obire; sin autem minus, non renuntiare, sed velut damnato excedere oportere.* At ex altera Augustinus Epist. 238. *Longe est gloriosius*, inquit, *Episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quam propter regenda gubernacula suscipisse.*

X. Jam vero hujusmodi abdicatio duobus modis fieri potest; scilicet gradum duntaxat Episcopalem dimittendo, vel gradum simul, et dignitatem. Qui posteriori hac ratione se

Epis-



Episcopatu abdicat, licet Episcopalis characterem ordinis retineat, attamen in simplicium presbyterorum clasem omnino redactus censetur; adeo, ut quæ ordinis sunt Episcopalis neque ex Diœcesani Episcopi permissu rite exercebit; atque adeo qui ordines ab eis susceperint, sunt suspensi: Toto Titulo *De ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatu.*

XI. Et qui priori modo suam dimittit Ecclesiam, jurisdictionem tantummodo Episcopalem exercere vetatur, honorem tamen, et dignitatem retinet, unde quæ ordinis sunt Episcopalis ab Episcopo Diœcesano rogatus rite exsequetur: *Cap. 1. de ordinatis ab Episcopo &c.* Concil. Ephesinum *Ep. ad Syn. Pamphil.* de Eustathio Episcopo Pergæ sic decernit: *Nomen retineat Episcopi, et honorem, et communionem, ea tamen lege, ut neque ordinandi ipse auctoritatem habeat, neque in ulla Ecclesia ex propria sacrificet auctoritate; nisi id sibi, vel adjuvandi causa, vel concessionis ratione, adfectu, amoreque christiano à fratre, et Coepiscopo, si ita contigerit, liberaliter deferatur.*

XII. Quinimmo his suo muneri renuntiantibus Episcopis etiam antiquitus nonnunquam ex dimissi Episcopatus reditibus ad vitam sustentandam canonica pensio indulta: Conc. Chalced. *Action. X.* in causa Domni Antiocheni, qui Ecclesiasticæ pacis causa Antiochenam Ecclesiam libenter dimisit: *Dignemini et statuere ei certus sumtus de Ecclesia, quæ sub me est:* ita Maximus, qui Domno succedebat. Universa Synodus vociferata est: *Omnes cogitatum ejus laudamus.* Notanda omnino hæc Chalcedonensis Synodi Sanctio; inde enim primæva pensionum Ecclesiasticarum origo simul, et ratio hauritur.

XIII. Justæ renuntiationis causæ sex enumerantur. 1. Conscientia criminis. Prioribus Ecclesiæ sæculis quodcunque grave delictum sufficiens abdicationis causa erat. Quare Potamius Episcopus Bracarensis quum se carnali quodam crimine polluisset, oblato in Synodo Toletana libello admissum facinus confessus sese Episcopatu abdicavit: *Acta Concil. Tolet. X. Decret. pro Potamio.* Porro jure Decretalium non nisi crimine, cui irregularitas illigata sit, adigitur Episcopus ad se munere suo exspoliandum.

2 Debilitas corporis, vel ex infirmitate, vel ex senectute. Hac de causa in Concilio Pamphyliæ congregati Patres renuntiationem admittunt Eustathii ejusdem Pamphyliæ Metropolitanæ: *Epist. Syn. Ephes. ad Syn. Pamphyliæ.*

3 Delectus scientiæ, quæ in Episcopo oppido est necessaria; verum licet Episcopo eminenti opus sit scientia, mediocris tamen satis habetur, præsertim ubi charitatis perfectione suppleatur.

4 Malitia plebis, quæ eo veniat, ut Episcopum commisso sibi gregi regendo reddat inhabilem: præsertim si plus vice simplici animorum dissidentium reconciliatio tentata, perfici nunquam potuerit. Hoc nomine Martyrius Ecclesiam Antiochenam dereliquit his verbis: *Clero rebeli, populo inobedienti, Ecclesiæ contaminatæ nuntium remitto, reservata mihi Sacerdotii dignitate*: Theodorus Lector *Lib. I.* et Nicephorus Calixtus *Lib. XV. cap. 18.*

5 Grave occasione Episcopi obortum scandalum, quod alias reparare nequeat. Eam ob causam Nazianzenus Seditam Cpolititanam ultro dimisit.

6 Denique Irregularitas personæ: at vero irregularitas ob defectum natalium, justa renuntiandi causa non est: hoc enim casu, quum culpa lateat, injuncta congruâ poenitentia facile venia datur.

XIV. Abdicatio justa ex causa admissa necesse est, ut simplex sit, non subdola, nec in favorem, aut gratiam alicujus fiat. Ab hujusmodi in certæ personæ gratiam conceptis renuntiationibus mirum quantum veteres Patres abhoruerint. Ad rem Origenes Hom. XXII. in Levit. *Propinquis agrorum, et prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit.* Concilium quoque Antiochenum Cap. XXIII. sic decernit: *Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusmodi est constitutum.* Idem et alia antiqua Concilia sancitis Canonibus decreverunt: (\*\* præsertim Tolet. IV. *Can. XLX.* ubi inter eos, qui ad Sacerdotium ex Regulis Canonum promoveri non debent, et illi numerantur, qui à decessoribus in Sacerdotium eliguntur. (\*) At secutis temporibus frequentes evaserunt hujusmodi conditionatæ renun-

tia-

tiationes. Nostra hac ætate rigidior videtur esse hac in re disciplina ; saltem non adeo facile admittuntur.

XV. Nihil tamen prohibet, quominus Episcopus sese Episcopatu abdicans legitimis superioribus proponat, qui sibi magis ad relictum à se munus suscipiendum idoneus videatur. In quo veterum Episcoporum vestigiis insistet, qui ut tumultibus solitis in electionibus concitari irent obviam, ipsi sibi successorem deligebant, quem adhuc viventes eligi curabant. Quemadmodum etiam par æquumque est, ut Episcopo Episcopatum relinquenti pars aliqua Ecclesiasticorum reddituum adjudicetur, qua possit commode vitam transigere. At de hoc capite *Lib. II. Tit. de Pensionibus* redibit sermo.

XVI. Renuntiationes antiquitus in Synodo Provinciæ rationibus expensis vel admittebantur, vel rejiciebantur. At post inductas falsas Decretales Sedi Apostolicæ reservari cœperunt: *Can. XXXIV. Caus. 7. Quæst. I.* Tum ex binis Innocentii III. Decretalibus: *Cap. I. et II. de Renuntiatione:* necnon et ex aliis posteriorum Pontificum Constitutionibus, ac præsertim ex *LVIII. Pii V.* auctoritatem R. Pontificis omnino requirunt.

XVII. Postremo hujusmodi Renuntiationes, sive Resignationes vulgo dictæ *in favorem*, ut suum sortiantur effectum, plura requiruntur. Præcipua sunt: 1. ut Resignans ante diem à facta resignatione vigesimum non decedat: *Regula Cancell. 18*: 2. ut si beneficium sit juris patronatus, patroni assensus habeatur: 3. ut beneficium non sit litigiosum, vel conjunctum, sive unitum, etiam antequam conjunctio, sive unio perficiatur: *Trid. Sess. XXI. Ref. cap. 2*: 4. in beneficiis Episcopatu inferioribus servanda omnino est Constitutio Gregorii XIII. quæ incipit, *Humano vix judicio*: 5. denique Renuntiatione à legitimo Superiore admissa, non est, cur renuntiantem facti pœniteat, quum omne in beneficium, quo se abdicavit, jus prorsus exuerit.

## TITULUS XXI.

## De Presbyteris, et Parochis.

I. Alterum ab Episcopis gradum tenent *Presbyteri*: nomen quod græci peculii est, latine *Seniorem* significat: Seniorem, inquam, sapientia magis et doctrina, quam ætate. Neque enim *πρεσβύτερος* ita majorem natu significat, ut non aliquando gravitatem potius notet, et dignitatem, quæ grandævos comitatur nulla ætatis ratione habita. Quia enim *πρώματον, τὸ πρεσβύτατον*, ut in *Problem. Aristoteles*, hinc simpliciter *πρεσβύτατον* dictum legimus, quod maximo haberetur in pretio, essetque maxime venerandum. Adhæc Hesychio *πρεσβυτάτη* est *ἐντιμωτάτη*. Nec aliter ad *Odys. XIII. 142.* ubi Juppiter Neptunum fratrem adpellat *πρεσβύτατον*: *Schol. ἐντιμωτάτην. ἀλλὰ γὰρ λέγα. Ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γέγονα.* h. e. *maximo honore prosequendum. Alibi enim ait* (Iliad. XIII. 355.) *At prior Juppiter natus.* Ita illud Homero frequens: *πρεσβυθεὶ δὲ veneranda Dea.* Hujusmodi nomen primis sæculis Episcopis quoque commune erat; atque ut notat Balsamon ad *Canon. xv.* Concilii Ancyрани, aliquando omnibus Clericis datum fuit. Senior igitur, sive Presbyter in Ecclesia Christiana is est, qui non propter ætatem, sed propter animi dotes, et merita sub Episcopo jus habet omnia pæne Ecclesiastica obeundi ministeria. Hac notione jam inde ab ætate apostolica voce *presbyter* in suis epistolis sæpissime usus est Ignatius.

II. Dicit quoque consueverunt Sacerdotes, et quidem à sacris, quibus operantur. Profecto hoc nomine Episcopi quoque haud raro donati sunt. *Codex Canon. Eccles. Afric.* Episcopos Alexandrinum, et Antiochenum *Venerabiles Sacerdotes* adpellat. (\*\*) Et Dictinius ad Toletanam Synodum accusatus, ad universum Episcoporum Conventum adloquens, ait: *Audite me, optimi Sacerdotes.* Demum in nostris Conciliis *Sacerdotes* passim vocantur Episcopi, ut in Tolet. IV. *Can. xlx.* (\*) Qua de re distinctionis nomine Episcopi summi Sacerdotes, vel in summo, aut in primo sacerdotii gradu

du constituti; Presbyteri vero Sacerdotes minores, vel secundi ordinis nonnunquam dicti sunt. Unde Hieron. adversus Lucif. cap. 6. *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet.* At in Hierem. III. v. 13. de Presbyteris sic loquitur: *Sacerdotes quoque ipsi, secundus in Ecclesiastico ordine gradus.* Eandem loquendi rationem et alii Patres servarunt. Videsis Suicerum in voce *Presbyter* *Sacerdos.* Eodem adjecto *primi, et secundi ordinis* discrimine dicti etiam sunt Antistites, tam Episcopi, quam Presbyteri. Sidonius Apollinaris *Lib. IV. Ep. 2.* de Mamerto Claudiano fratre Mamerti Episc. Viennensis cecinit:

*Antistes fuit ordine in secundo  
Fratrem fasce levans Episcopali.*

III. Jam vero quemadmodum ætate Apostolica nomen Presbyteri cum Episcopis communicatum est, ita ex adverso nomen Episcopi Presbyteris quoque tribuebatur. Ad rem Theodoretus ad vers. 1. Cap. I. Ad Philipp. *Episcopos adpellat Presbyteros. Utrumque enim nomen illo tempore habebant.*

IV. Presbyterorum potestatem quod spectat profecto maxima semper in Ecclesia fuit. Et sane jam inde ab ætate Apostolica baptizabant, concionabantur, Eucharistiam conficiebant, et administrabant, Ecclesiasticam poenitentibus communionem impartiebantur, aliaque id genus peragebant munia; at nonnisi Episcopo vel absente, vel si præsens esset, ipsis ejusmodi negotia committente. Presbyterorum enim potestatem in omnibus ab Episcopo pendere universa Ecclesiastica tradit antiquitas. Sic Ignatius Epist. ad Smyrn. *Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent.* Et Tertullianus *Lib. de Baptismo Cap. 12. Dandi quidem baptismum jus habet Summus Sacerdos, debinc Presbyteri non tamen sine Episcopi auctoritate.* Idem passim præferunt veteres Ecclesiastici Canones. (\*\*). Et præcipue *Canon xx. Syn. Tolet. I. Sine conscientia Episcopi (Presbyteri) nihil agere præsumant.* Consonat *Hispal. II. Can. VII. (\*)*

V. Maxima quoque Presbyterorum prærogativa in eo erat, quod ipsis cum Episcopo sedere licebat: (\*\*). *Syn. Carthag. IV. Can. xxxiv. (\*)* quod privilegium, ut alibi jam

ob-

observavimus, Diaconis commune haud erat. Immo, quod magis mirum est, Presbyterorum sedes non secus ac Episcoporum *Throni* adpellabantur. Id tamen discriminis inter Presbyterorum, et Episcoporum *Thronos* intercedebat, quod istis competeat *Thronus primus*, sive celsus, illis vero *Throni secundi*, vel inferiores. (\*\*). Ad rem Syn. mox laud. Canone xxxv. *Episcopus in Ecclesia et consessu Presbyterorum sublimior sedeat; intra domum autem collegam se Presbyterorum esse cognoscat.* (\*) Hinc Gregorius Nazianzenus describens quo pacto ipse cum suis Presbyteris, et Diaconis sederet, sic cecinit in *Somnium de Templo Anastasiae*:

*Sede alta, haud alta consedere mente videbar:*

*Nam neque per somnum mente superbus eram.*

*Presbyterique graves sellis utrinque sedebant*

*Demissis, aetas lecta, ducesque gregis.*

*Vestibus in niveis at stabat turba ministra*

*Splendorem referens agminis angelici.*

Quoniam vero hinc atque hinc Episcopo adsidentes presbyteri semicirculi formam efficiebant, factum ex eo est, ut sæpius *Spiritualis corona*, *Circulus Presbyterii*, *Corona Presbyterii*, et *Corona Ecclesiae* audierint.

(\*\*) VI. At in Hispania Presbyteros quoque hoc cum Episcopis sedendi privilegio decoratos esse, ex Conc. Illiberit. quod sæculo iv. ineunte celebratum est, aperte constat in quo haud minus triginta sex Presbyteri sederunt. Similia habemus exempla in Tolet. I. et Bracar. II. ubi observare etiam licet discrimen Presbyteros inter et Diaconos statutum, quod nimirum hi tantummodo ut stantes, illisque ministrantes repræsententur. Quin et in Tolet. IV. *Can. iv.* decernitur, ut in Conciliis *tam Episcopi, quam Presbyteri sedeant.* (\*)

VII. Porro huiusmodi Presbyterorum prærogativa haud quidem purum putumque honorarium munus erat, sed magnam conferebat auctoritatem potestatemque. Etenim ipsi Senatum Ecclesiasticum, sive Concilium constituebant, cum quibus imminentes Ecclesiae tempestates excitatas, et emergentes hæreses, aliaque id genus negotia Episcopus com-

municabat, atque ab illis consilium petebat. Verum hac de re jam satis *Tit. IV. de Conciliis*, ubi etiam ex veterum testimoniis luculenter demonstravimus Presbyteros in Synodis Œcumenicis, et Provincialibus cum Episcopis consedisse, et aliquando etiam subscripsisse.

VIII. Quæ sint Presbyterorum munia jure novo declarat Pontificale Romanum his verbis: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, et baptizare*. Primum igitur Presbyteri munus est oblatio, nimirum Sacrificii Eucharistici, quæ ex nova Ecclesiæ disciplina veluti primaria eorum functio habetur.

IX. Præclarum est, quod Morinus hac in re ex antiquis monumentis docet: *Part. I. de Sacris Ordinatis. Exerc. VIII. cap. 1.* eum nimirum antiquitus morem apud græcos æque, ac latinos obtinuisse, ut simul plures Presbyteri cum suo Episcopo celebrarent, Diaconis, ac reliquis Clericis unoquoque in suo ordine sacris mysteriis ministrantibus, eamque fuisse communionem Ecclesiasticam passim ab antiquis Patribus memoratam, cujus privatio pœna erat in Clericos delinquentes, utpote qui pro criminis ratione modo ad inferiorem ordinis gradum, modo ad infimum deducerentur. Quod si ita postulante facinoris gravitate omnino illius exsortes essent, ad laicam communionem redacti censebantur. Exstat hodie hujus disciplinæ vestigium in ordinatione Episcoporum, et Presbyterorum, qui cum Episcopo ordinante concelebrant.

X. Proximum modo explicato munus est, *benedicere*. At duplex distinguenda benedictio. Prima, quæ major dicitur, quæque Episcoporum propria, nonnisi ex privilegio aliis inferioribus Prælatibus conceditur; altera, quæ dicitur minor, cujus emittendæ jus est etiam penes Presbyteros. Sunt et aliæ benedictiones, uti aquæ, novorum fructuum &c. Sed in his servandi Ecclesiarum ritus, et usus, ex quibus quædam benedictiones vel Episcopis, vel Parochis, vel aliis ab Episcopo delegatis Presbyteris reservantur. (\*\*). Uno verbo, benedictiones, id est rerum consecrationes, eæ in quibus unctio adhibetur, sunt Episcoporum peculiare; reliquæ vero, si publicæ, de Episcoporum licentiâ; si privatæ, inconsulto etiam Episcopo, à Presbyteris peraguntur. (\*)

XI. Tertia Presbyterorum functio designatur verbo *præesse*, atque in eo sita est, quod Presbyteris in publicis conventibus honoratior post Episcopum locus, et primæ partes sint tribuendæ. Id quod quum in ceteris, tum præcipue servandum est, quum totius populi nomine publicis precibus cum Deo agitur, sive in Ecclesiastica solempni liturgia, sive in publicis cujuscunque generis supplicationibus.

XII. Quartum munus exprimitur per verbum *prædicare*. Quod sane de prædicatione verbi Dei, populique in rebus fidei institutione intelligendum nemo inficiabitur. Compertum sane est, Episcopum esse primum verbi Dei Ministrum, et præconem: qua de caussa quum ordinatur, Evangeliorum liber super ipsius humeros imponitur. At vero quoniam Presbyteri in populi institutione socii, et coadjutores Episcopi sunt, ideo Concilium Tridentinum *Sess. xxiii. Ref. cap. 14.* decernit, ut in Presbyteros ordinandi, ad populum docendum *diligenti præcedente examine idonei comprobentur*.

XIII. Quinta demum per verbum *baptizare* expressa Sacramentorum administrationem indicare videtur. Unde et *ibid.* Syn. Tridentina in promovendis ad Presbyteratum scientiam requirit ad rite administranda Sacramenta necessariam. (\*\*). Quocirca Supremus Castellæ Senatus in provehendis ad Presbyteratum, scientiam ad curam animarum exercendam necessariam optabat. Videsis infra *Tit. XXIV.*(\*)

XIV. Verum in his duabus, quas postremo loco recensuimus Presbyterorum functionibus, uti et in ea, quæ significatur per verba: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*, juvat animadvertere, quod licet Presbyteris in sua ordinatione sine ulla restrictione conferantur, per Canones tamen, et consuetudinem Ecclesiarum multis modis restrictæ sunt, neque omnibus *ἀδιαφορῶς* indifferenter ex hodierna Ecclesiæ disciplina Presbyteris conveniunt. At ideo id ex antiquissimo jure originem ducit, quo fiebat, ut Presbyter sine Episcopi venia, à cujus nutu in omnibus pendeat, nihil omnino agere posset. Ad rem Ignatius M. Ep. ad Smyrni. *Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent.* Consonat Tertull. *de Baptismo cap. 17.* Cy-



prian. Ep. 10. Can. xxxviii. ex sic dictis Apostolicis. Verum secutis temporibus quum animarum curam duntaxat ex parte Episcopi Parochis commiserint, hac delegatione semel facta, Parochi agnoscunt quidem Episcopum tanquam superiorem, sed concediti sibi populi curam jure proprio exercent. Ceteris vero Presbyteris, nisi petita Episcopi, aut Parochi venia, neque verbum Dei adnuntiare, neque Sacramenta administrare permissum est.

## DE PAROCHIS.

### Parochorum Origo.

XV. Antiquitus nonnisi una in singulis urbibus constituta erat Ecclesia *κουριακήν τῆς πόλεως*. *Dominicum Civitatis* dicta, ad quam omnes non modo urbis, verum, et vicinorum oppidorum fideles confluebant; atque hinc Presbyteri in civitatibus tantummodo ordinabantur, ut Episcopis in pastoralis fascis levamen præsto essent, ac sub ipsis curam animarum gererent. Qua de re in Synodo Antiochena an. 365. adpellantur *συνάεργοι τῶν ἐπισκοπίων Collegæ, et Comministri Episcoporum*: Eusebius *Lib VII. cap. 24.* et Ep. Syn. ad *Dionysium Rom.* et à Chrysostomo *Compastores*: Serm. de Pseudo-prophetis.

XVI. Jam vero ætate progrediente aucto fidelium numero inferiores quædam Ecclesiæ constitui, ac Presbyteri per easdem, veluti per certos titulos disponi cœperunt, ut plebis mores inspicerent, et de omnibus ad Episcopum referrent. Hac Presbyterorum distributione in frequentioribus potissimum civitatibus opus fuit, veluti Romæ, et Alexandriæ, in quibus sæculo iv. jam plures Ecclesiæ fuere, et in unaquaque peculiaris Presbyter, qui populum doceret, baptismum, et pœnitentiam periclitantibus conferret, sepulturæ martyrum curam haberet, aliaque hujus generis præstaret. Id ex *Can. xiv. ex sic dictis Apostolicis*, ex Auctore Pontificalis Damaso tributi in *Evaristo, Dionysio, et Marcello*, et ex Athanasio *Apol. II.* perspicuum est. Paulo post etiam ruri Ecclesiæ ædificatæ fuere, quibus Presbyteri præfecti sunt, ut rusticanis hominibus, quippe qui urbem adire mi-

nus possent, Ecclesiastica munera impenderentur. (\*\*\*) Sic Conc. Tolet. IV. *Can. XXVI.* alias *XXV.* (\*)

XVII. Inferiores istæ sive urbanæ, sive rurales Ecclesiæ dictæ sunt *Parochiæ*; (\*\*\*) Syn. Toletana IV. mox citato *Canone* (\*) quasi sacræ quædam viciniae; *Diœceses*, quasi divisæ quædam administrationes; et *Tituli*, forte quod illis præpositi Presbyteri inde suum nomen, titulumque ducerent; Auctor Pontificalis *ibid.*

XVIII. Presbyteri igitur inferioribus hisce Ecclesiis præpositi à solo titulo, hoc est Parochia denominabantur. Verum post ob stabilitatem sedis dicti sunt *Cardinales*; et quoniam etiam Diaconi ad titulos, vel ad oratoria, quæ Presbytero vix digna videbantur, constituti sunt, hinc Cardinalium Diaconorum nomen ortum habuit. In Neapolitana Cathedrali Ecclesia, ut alibi jam explicavimus, Canonici exstant *Cardinales Presbyteri, et Cardinales Diaconi* nuncupati: horum enim Canonicatibus Præbendæ adnexæ sunt veterum Cardinalium Presbyterorum, et Diaconorum, qui Ecclesiis, et Diaconiis Neap. Urbis antiquitus præerant.

XIX. Parochi per Parochias distribuuntur æque ac Episcopi per Ecclesias. Verum Episcopus inter et Parochos illud intercedit discrimen, quod Episcopi non nisi singulis singuli præsent Ecclesiis; at contra Parochi possunt plures, atque adeo ad tempus unam Parochiam regere. Quinimmo apud nonnullos etiam superioris subselli Canonistas Parochi in censu Prælatorum minorum habentur, qui ab ipso Christo *immediate* curam animarum exercendi habeant facultatem, tanquam Successores septuaginta duorum discipulorum. Profecto, uti recte observat Thomassinus *Part. I. Lib. II. cap. 26.* Parochorum officium ea ratione spectatum, qua in Episcopatu includitur, ut in fonte, et plenitudine Sacerdotii, divinæ originis, et institutionis recte dici posse videtur. Adeundus omnino Cl. Auctor *ibid.* ubi pluribus demonstrat divinam Parochorum Originem adstruere potius, quam labefactare divinam Episcoporum institutionem,

## Parochorum munia.

XX. Præcipua Parochorum officia ex Concilio Tridentino *Sess. xxiii. Ref. cap. 1.* sunt: I. Sacrificii oblatio, quam ex Bulla Benedicti XIV. edita an. 1744. quilibet Parochus, (\*\*\*) si-ve perpetuus, sive amobilis (\*) sive dives, sive pauper omnibus dominicis, aliisque festis diebus pro populo sibi commisso offerre tenetur: tantummodo ex eadem Bulla Parochi pauperes, (\*\*\*) sed non inconsulto Episcopo (\*) festis diebus eleemosynas à pio benefactore licite, ac libere oblatas accipere possunt, et pro ipso sacrificium offerre: ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo celebrent, quod in diebus festis juxta peculiarem benefactoris intentionem obtulerint. (\*\*\*) Ex quo evincitur ipsos teneri ad Sacrum coram populo peragendum diebus saltem Dominicis, et festis etiam in suæ Parochiæ Pagis, uti jam olim constituerat Syn. Emeriten. *Can. xlx.* Unde poterit binas eodem die Missas celebrare, aliam in Parochia, aliam in Pago si habuerit, *nisi inibi alium habuerit Sacerdotem, qui possit celebrare.* Ita Bened. XIV. Constit. sub die 16. Maii an. 1746. (\*)

XXI. Alterum Parochi munus est verbi Dei prædicatio. Qua de re Syn. Trid. *Sess. v. Ref. cap. 2.* sanxit, ut Parochi, aliique Ecclesiis, quibus cura animarum adnexa sit, præpositi sermonem de rebus divinis ad populum habeant cunctis Dominicis saltem diebus: Quadragesimæ vero, et Adventus tempore ter minimum in unaquaque hebdomada: adhæc pueros fidei rudimenta doceant: (\*\*\*) uti jam pridem constituerat Syn. Hispalensis an. 1512. Cap. I. *Quod si Parochi (subjicit Trid.) ab Episcopo moniti, trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur.* Id quod confirmavit Innocent. XIII. Constit. *Apostolici Ministerii, §. XI.* et Benedictus XIV. *Et si minime nobis.* (\*) Parochus igitur præ ceteris Presbyteris vitæ sanctitate prælucere debet, quæ, ut ibidem loquitur Trident. perpetuum prædicationis genus est. Ad rem II. Synodus Provinc. Neap. Tit. IX. cap. 4. *Parochus Christifideles sibi commissos portet in sinu suo, sicut*  
por-

*portare solet nutrix infantulum.... ut verus Pastor, qui quum emiserit oves suas ante eas vadit, pascat eas verbo, pascat exemplo.*

XXII. Tertium denique est Sacramentorum administratio, quæ generatim (exceptis Confirmatione, et Ordine) à solo Parocho licite suscipi monet Trid. *Sess. XXIV. Ref. cap. 13.*

XXIII. Jam vero ex his præcipuis, aliisque propriis Parochorum officiis recte colligi datur Parochos residentiaë fibula obstringi, et quidem ut explicat eadem Syn. Prov. Neap. *ibid. Aut in ædibus parochialibus Parochi inhabitent, vel intra Parœciæ suæ fines, si parochiales ædes nullæ fuerint (\*\*)* Eandem pro Hispania disciplinam observare jussit Syn. Tolet. an. 1565. Act. II. Reformat. cap. 26. *Parochiarum Rectores continuam habitationem intra Parochiam habeant, et in eo Parochiæ loco, qui ad administranda Sacramenta, et Altaris Ecclesiarumque ministerio sit aptior; et domum incolant propinquam: Syn. Valent. ejusdem an. Sess. I. Tit. I. cap. 6. et in eo Parochiæ loco, quo Parochiani inter se dissiti commode adire, et unde Parochus haud difficulter Sacramenta fidelibus ministrare possit: Syn. ead. Tolet. *ibid. Cap. 27. (\*)* Neque ultra bimestre longius abesse ipsis permittitur: *ita tamen, ut quandocunque eos causa prius per Episcopum cognita, atque probata, abesse contingerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario adprobandum cum debita mercedis adsignatione relinquunt: Syn. Trid. Sess. XIII. Ref. cap. 1. (\*\*)* Atque eos nisi obtenta licentia, de Parochia discedere non permisit laud. Syn. Tolet. *ibid. Cap. 25.* sub pœna amissionis fructuum. Quinimmo ipsos ad personalem residentiam constrinxit sub eadem pœna Jus nostrum Regium *Leg. XXVII. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop. (\*)**

XXIV. Illud denique hic restat observandum, eandem Syn. Provinc. Neap. *ibid.* ex Constitutione Innocentii XII. sanxisse, *ut Episcopi à Parœciis ulla pensione gravandis abstineant, ne quum operarius dignus mercede sua portaverit pondus diei, et æstus, capiant alieni labores ejus: id quod in omnibus beneficiis conferendis dignissimum est observari.* Verum de Pensionibus opportunius Libro sequenti. (\*\*)

Parochos autem intra duos ab obtenta possessione menses publicam fidei

dei professionem teneri in Episcopi manibus emittere, Syn. Trid. jussit *Sess. xxiv. Ref. cap. 12.* id quod jam olim constituerant Concilia nostra Tolet. IV. *Can. xxvii.* alias *xxvi.* et Tolet. XI. *Can. x. (\*)*

## TITULUS XXII.

### DE DIACONIS, ET DIACONISSIS.

*Vocis Diaconus Etymon.*

**V**OX *Διακονος* græce, latine *Diaconus*, generatim notat ministrum à *νομιμ*, quod est *ministrare*; idque juxta Vossium in *Etymolog.* ab Hebræo כַּהֵן *chaban* descendit, quod est *ministrare*, et in specie *Deo*, unde כֹּהֵן *choben*, *Sacerdos*, *Minister*. Qua generali acceptione etiam Episcopi, et Presbyteri nonnunquam Diaconi dicuntur: *Act. I. v. 25. II. ad Corinth. VI. v. 4.* Chrysostomus *Hom. I. in Philipp. cap. 1.* Porro ætatis progressu strictiori notione *Diaconi* dicti sunt, qui tertium in ecclesiastica hierarchia ordinem constituunt.

*Diaconorum Origo.*

**II.** Diaconos ab Apostolis electos *Act. VI.* non solum ut communibus mensis, sed sacris etiam ministrarent ex ipso sacro textu intelligimus. Quorsum enim plenitudo Spiritus S. et sapientia tanta, si temporalium tantum ministerium obituri erant? Quorsum ad ipsos creandos advocata fidelium concio? Quorsum jejunio præcedente, et impositis manibus eos consecrare? His accedit, Diaconos paullo post Evangelium veluti proprio jure gentibus adnuntiasse: *Act. VI. et VIII.* iisdemque Jesu Christi ministerium fuisse demandatum: Ignatius M. *Epist. ad Magnes. n. 6.* Justinus *Apol. II.* (\*\*). Immo ad rurales regendas Ecclesias in quibus verbum Dei prædicarent, et baptizarent catechumenos, deputatos videmus in Syn. Illiberit. *Can. lxxvii.* et Tolet. IV. *Can. xxvii.* alias *xxvi.* (\*)

III. Septenarium Diaconorum numerum semper retinuit Ecclesia Romana Apostolorum exemplum secuta: Sozomenus *Lib. VII. cap. 19.* Ex hac porro eorum paucitate, et præsertim, quum ipsis temporalia Ecclesiæ bona concrederentur, factum est, ut tantum sibi honoris comparaverint, ut sese presbyteris præferre ausi fuerint: quorum merito audaciam reprimere studuit S. Hieronymus *Ep. ad Evagrium: (\*\*)* et Syn. Toletan. IV. *Can. xxxix.* alias *xxxviii.* Quin et Syn. Barcinon. an. 540. *Can. iv.* ipsos in consessu Presbyterorum sedere non permisit. (\*) Eundem ubique numerum retinendum constituerat Syn. Neocæsar. *Canon. xv.* quod tamen pleræque non observarunt Ecclesiæ.

#### *Diaconorum munia.*

IV. Diaconorum munia explicat Pontificale Romanum his verbis: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, prædicare.* Igitur Sacerdoti sacra præsertim mysteria perficienti præsto sunt: quare *ibid.* vocantur *Comministri, et Cooperatores Corporis, et Sanguinis Domini.* Hinc autem tantum sibi licere Diaconi crediderunt, ut quidam etiam sacrificium offerre adtentarint: quos merito damnavit Syn. Arelat. I. *Can. xv.* Tum Syn. Carthag. IV. *Can. iv.* *Non ad sacerdotium, inquit, sed ad ministerium consecrantur.* Rursus nonnulli sese non presbyterorum, sed Episcoporum duntaxat ministros esse jactitabant, quos eadem Carthag. Synodus coercuit *Can. xxvii.* *Diaconus, inquit, ita se presbyteri, ut Episcopi ministerium noverit.* Quod vero pertinet ad Eucharistiæ dispensationem, certum est eam inter Diaconorum officia semper fuisse numeratam: Justinus *Apol. II.* Verum Nicæna Synodus *Can. viii.* vetuit ipsos Eucharistiam presbyteris porrigere: et eadem Syn. Carthag. *Canone xxxviii.* ne populo quidem illam distribuere, præsentem presbytero, nisi eo jubente Diaconis permittit.

V. Alterum Diaconi munus est *baptizare*: at vero baptizandi facultas à Gelasio P. *Epist. 9.* contracta est; ita ut si nulla adsit necessitas, neque desint Presbyteri, Diaconis sollemniter baptizare non liceat.

VI. Ad Diaconum denique pertinet verbi Dei prædicatio:

id

id quod non solum de Evangelii lectione in Missis sollempnibus, sed etiam de vera prædicatione Verbi Dei ad populi institutionem intelligas: (\*\*\*) *Can. XI. Dist. 93.* et Syn. Tolet. IV. *Can. XL.* alias *XXXIX.* (\*) Id quod exemplis etiam comprobatur tum Stephani, et Philippi: *Act. VI. et VIII.* tum Origenis, Chrysostomi, et Gregorii M. quos adhuc Diaconos prædicasse veteres Ecclesiastici Scriptores testantur. Verum quod ad prædicationis exercitium attinet, huc revocanda sunt, quæ de eo notavimus, ubi de Episcopis, et Presbyteris egimus.

VII. Præter sacrorum ministerium ad Diaconos antiquitus etiam pertinuit: 1. cura viduarum, orphanorum, et pauperum: *Act. VI.* unde loca egentibus hisce personis destinata *Diaconicæ* dictæ sunt. Tum 2. Diaconi curam gerebant Confessorum, et Martyrum: *Cypr. Epist. II. 3.* Erant tanquam oculi Episcopi oberrantes, et perscrutantes proximos præcipitio, id est peccato, ut omnia ad eum deferrent: *Can. VI. Dist. 93.* 4. Anteibant Episcopum, quum procederet in publicum: *Palladius in vita Chrysostomi cap. 2.* 5. Demum eorum septem custodire solebant Episcopum prædicantem: *Can. XI. eadem Dist.* Verum de his, aliisque bene multis Diaconorum muniis fusius in nostris *Antiquitatibus Christianis.*

## DE DIACONISSIS.

### *Diaconissarum Origo.*

VIII. Fuerunt jam inde ab ætate Apostolica Diaconissæ; earum enim haud semel in sacro novi fœderis codice inicitur mentio, Apostolus *ad Rom. XVI. v. 1.* Phœben adpellat *Διακονου* *Ministram* Ecclesiæ Cenchrænsis; in Concilio Laodiceno *Can. XI.* et ab Epiphanio *Hæres. LXXIX.* dicuntur *πρεσβυτερας* *Seniores*; eo quod nonnisi viduæ Seniores ad tale munus deligerentur. Aliquando etiam Virgines in Diaconissarum sensum recipiebantur, uti constat ex Auctor. *Constit. Lib. VI. cap. 18.* et ex Justiniano *Novell. VI. cap. 6.* at id raro: Tertull. enim *de Veland. Virgin. cap. 9.* de vir-

Tom. I. Nn gi-

gine quadam in Diaconissam electa, tanquam *de miraculo, et monstro in Ecclesia* loquitur.

-IX. Præcipua Diaconissarum munia erant 1. Episcopo, vel Presbytero foeminas baptizanti præsto esse, ut baptismi ritus ea decentia, qua par erat, peragi possent. 2. Catechumenas de præcipuis Christianæ Religionis capitibus privatim erudire; namque publice in Ecclesia docere ipsis expresse vetitum. 3. Foeminas ægrotas, et adflictas invisere, iisdemque ministrare. 4. Episcoporum mandata ad foeminas deferre, ad quas Diaconos mittere non expedivisset. 5. Martyribus, et Confessoribus in carceribus detentis necessaria vitæ subsidia præbere. 6. Foeminis in Ecclesia suum cuique locum adsignare, easque submonere, quomodo sese gerere oporteret. 7. Tandem reliquis Viduis præsidere, et earundem necessitatibus, ubi opus esset, succurrere. Porro de Diaconissarum muniis, uti et de legibus in earundem electione servatis, fusius in nostris *Antiquitatibus Christianis*.

-X. Duo hic juvat subnectere. 1. Diaconissas nullum Ecclesiasticum ordinem habuisse, cujus semper foeminae fuerunt expertes; sed merum tantummodo ministerium, ad quod benedictione, ac, si vis, etiam manuum impositione inaugurabantur. 2. *Diaconissæ* nomen à Scriptoribus Ecclesiasticis aliquando fuisse adhibitum ad significandam non veri nominis Diaconissam, sed Diaconi, cujusdam uxorem; eo sensu, quo *Presbytera* uxorem Presbyteri, et conjugem Episcopi *Episcopa* denotabat. Hac notione vocabula Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ, et Subdiaconissæ usurpata leguntur in Concilii Turonensis *Canonibus XIII. et XIX.* et in Concilii Antissiodorensis *Can. XXI.*

VIII. fuerunt  
 eorum enim habu scilicet in sacro novi fœderis codice  
 citur merito. Apostolus ad Rom. XV. v. 1. Phœben adpeli-  
 lat. Ministrum Ecclesie Cenchreensis; in Concilio  
 I. Iohanne Gualtero et ab Episcopo fœderis. XV. di-  
 citur. fœderis. fœderis; eo quod bonitas vique sententia  
 ad tale munus deligeretur. Aliquando etiam Virgines in  
 Diaconissarum sensum recipiebantur, uti constat ex Auctor.  
 Constit. Tit. VI. cap. 18. et ex Justiniano Novell. VI. cap. 6.  
 et ibi ratio: Tertull. enim de Virginitate. cap. 9. de vir-



## TITULUS XXIII.

DE SUBDIACONIS, ALIISQUE INFERIORIBUS  
ORDINIBUS.*Ordinum Inferiorum numerus in Ecclesia Latina.*

**I.** Inferiores Ordines in Romana Ecclesia, et ex ea in reliquis Occidentalibus jam inde à primis Ecclesiæ sæculis semper quinque fuisse antiquissima produnt Ecclesiastica monumenta. Et sane 1. Cornelius P. celebri Epistola ad Cyprianum quam incolumem ad nos usque transmisit Eusebius *Lib. VII. cap. 43.* diserte scribit, fuisse tunc in Ecclesia Romana præter superiores Ordines Subdiaconos septem, duos et quadraginta Acolytos, Exorcistas autem, Lectores, et Ostiarios duos et quinquaginta. Tum 2. Auctor Libri Pontificalis in *Cajo* sic habet: *Hic constituit ordinationes omnes in Ecclesia sic adscendere: Si quis Episcopus esse mereretur, ut esset Ostiarius, Lector, Exorcista, Sequens, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, et exinde Episcopus ordinaretur.* Idem tandem evincitur ex Concilio Carthag. IV. à *Can. VI.* usque ad *IX.* et ex Canonibus *I. Dist. 21. et I. Dist. 25.* ex S. Isidoro Hispal. *Lib. VII. Etymol. cap. 11. et Epist. ejusdem ad Ludifredum.*

*Ordinum Inferiorum numerus in Ecclesia Græca.*

**II.** Jam vero Ecclesia Græca, quæ pluribus abhinc sæculis ex quinque modo recensitis nonnisi *ὑποδιακόνος* Subdiaconos, et *ἀναγνώστῃς* Lectores, agnoscit, antiquitus plures habuit, quam Latina. Namque præter Subdiaconos, Lectores, Exorcistas, et Ostiarios (Acolytatus enim Græcis semper ignotus) habuit quoque *ψάλτας*, seu Cantores, Laborantes, seu Fossarios, qui effodiendæ terræ, ac sepeliendis mortuis operam navabant, atque etiam *Παραβολανός*, qui ægrotos curabant. Ita doctiss. Thomassinus *Part. I. Lib. II. cap. 31.*

Et sane quum non ex divina, sed ex ecclesiastica institutione processerint, profecto mirum non est, si alii ab aliis fuerint adpositi, quos posterius non receperint, et rejecti alii quos ætas posterior probaverit: Idem Auctor *ibidem*. Verum de hoc Ecclesiasticæ antiquitatis capite uberius calamo agemus in nostris *Antiquitatibus Christianis*.

### Ordinum Inferiorum Origo.

III. Primævam institutionem quod spectat, profecto certum definiri tempus nequit, quo primum cœperint singuli. Nihil autem probabilius est, quam veluti quasdam portiones esse Diaconatus aliis, aliisque temporibus ab eo decerpas: quamobrem aliquo sensu recte dixeris in suo fonte, et origine, id est in Diaconatu, unde tanquam surculi scaturierunt, institutionis esse divinæ. Sunt enim veluti quædam Ecclesiastici Ministerii partes, quod totum est in Diaconatu. Eadem prorsus videtur fuisse sententia S. Thomæ: Supplem. *Part. III. Quæstione XXXVII. Art. 2.*

### De Hypodiaconis.

IV. Hypodiaconatus antiquitatem diserte testantur Cornelius Papa in celebri *Epist. ad Fabium Antiochenum*, Cyprrianus in pluribus *suis Epistolis*, Auctor Constitutionum *Lib. III. cap. 2.* Canones sic dicti Apostolici *Can. LXXXVIII.* (\*\*) Syn. Illiberit. *Can. XXX.* (\*) et Athanasius *Epist. ad Solitarios*, alique veteres. Porro illud hic juvat adnotare, Hypodiaconos æque in Græca, ac in Latina Ecclesia semper sine χειροτονία, manuum scilicet impositione fuisse ordinatorum: quare Basilius eosdem ἀχειροτονήτους nuncupat: *Epist. Canon. LI.* idem evincitur ex præfato Concilio Carth. *Can. v.*

### Hypodiaconorum munia.

V. Subdiaconi munia recenset Pontificale Romanum: *Subdiaconum*, inquit, oportet aquam ad ministerium altaris præparare, Diacono ministrare, pallas altaris, et corporalia abluere, Calicem, et patenam in usum sacrificii eidem offer-

*ferre.* Porro ejusmodi Subdiaconorum officia hodie plerumque per inferiores clericos, ac etiam per laicos exerceri solent, vel in Missis privatis per ipsum Sacerdotem. Qua de re ex recentiori disciplina omnis pæne Hypodiaconi functio ad ministerium altaris in Missa sollemni restricta videtur, ac præcipua censetur Epistolæ decantatio: quæ tamen inter Hypodiaconi munia antiquitus in Ecclesia Latina non recensebatur, nec hodie apud Græcos recensetur: Morinus *de Sacris Ordinatis. Part. III. Exerc. XII. cap. 1.* qui et *ibidem* ex antiquis Ecclesiæ monumentis demonstrat, Librum Epistolarum Subdiacono in sua ordinatione tradi recentem esse Ecclesiæ disciplinam.

### *De lege Cœlibatus Hypodiaconatui adjuncta.*

VI. Lex Cœlibatus vi. exeunte sæculo Hypodiaconis primum imposita; (\*\*) Syn. Tolet. II. *Can. 1.* (\*) tum dein facta illis permissio sacra vasa ad altare deferendi, proximeque altari ministrandi; (\*\*)*ut evincitur ex Syn. Bracar. I. Cap. X. alias Can. XXVIII. et Tolet. IV. Can. XXVIII. alias XXVII.* hæc (\*) in causa fuere, cur Hypodiaconatus sensim sine sensu inter majores Ordines referretur. Id quod circa finem sæculi xi. Decreto Urbani II. (\*\*)*an. 1091. Can. iv. Dist. 60.* constitutum est; at nonnisi Innocentii III. Decreto, qui Urbani verba transcripsisse videtur, sæculo xiii. ineunte (\*) generatim obtinuit: *Cap. 9. de Ætate, et qualitate, et ordine Præficiendorum.* At vero Græci adhuc minoribus ordinibus adconsent.

### *De Acolytis.*

VII. Acolytus, seu ἀκόλυτος, si etymon quæras, *servum juvenem* significat, sive *pedissequum*, qui aliquem *nata πίδα* comitatur, eique ministrat. Et sane antiquitus

I. Episcoporum ad Episcopos epistolas deferebant, quibus de gravissimis Ecclesiæ rebus consultabant. Cyprianus *Lib. II. Ep. 8. et 10.* quo in munere quam maxima requirebatur fidelitas; eo præsertim tempore, quo gentiles undique insidias struebant ad christiana mysteria profananda.

2 Episcoporum erant velut *συνηγοροι*, sive *concella* tanquam perpetui conversationis eorundem testes. Acolytorum testimonio facile amotæ sunt maledicorum calumniæ, quibus gravius vexatus fuit Symmachus Papa: Ennodius in *Libello Apologetico*.

3 Ex *Can. vi.* Concilii Carthag. IV. Acolyti ad accendenda luminaria Ecclesiæ mancipati erant, et ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi: unde in ordinatione accipiebant ab Archidiacono ceroferarium cum cereo, et urceolum vacuum. Atque hinc Acolyti passim *Ceroferarii* dicti sunt.

### De Exorcistis.

VIII. Exorcistæ munus, et supra Lectorem dignitatem expressit S. Paulinus *Carmine IV.* in natali S. Felicis de quo cecinit:

.... *Primus Lector servivit in annis,  
Inde gradum cæpit, cui manus voce fidei  
Adjurare malos, et sacris pellere verbis.*

Traditur igitur Exorcistis potestas invocandi nomen Domini super eos, qui ab immundis Spiritibus vexantur: Primis Ecclesiæ sæculis communis fere erat omnibus fidelibus ejusmodi in Dæmonas potestas, uti testatur Tertull. in *Lib. de Corona militis cap. II.* qua ratione vetant Constitutiones sic dictæ Apostolicæ quemquam ordinari Exorcistam, quum *hoc munus*, inquirunt, *spontaneæ Dei erga homines misericordiæ sit*. Verum Ecclesia maluit, ut per peculiarem ordinem potestas illa conferretur.

IX. Exorcistæ, quum ordinatur, traditur liber Exorcismorum dicente Episcopo: *Accipe, et commenda memoriæ, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

## De Lectoribus.

X. Ordinis hujus præstantiam duo præcipue commendant. Primum, quod in Ecclesiis quibusdam suum veluti corpus conflarent Lectores, cujus caput erat ἀρχιαιεροβάσις, sacrosque codices custodirent; quod ipsis sæpe cedebat in materiam illustris triumpho. Alterum, quod præ ceteris ordinibus frequentius conferretur in Ecclesia: nam et pueri ipsi facile ejus ministeria obire poterant ex Augustino *Lib. de consensu Evangelistarum cap. 10.*

XI. Præcipuum Lectorum munus est Sacras Scripturas legere ex suggesto, sive pulpito: indicato *Can. 1. Dist. 21.* Unde *super pulpitum imponi, et ad pulpitum venire* formulæ sunt, quibus haud raro utitur Cyprianus ad indicandum Lectoris officium: *Ep. XXXIII.* Tum Sozomenus *Lib. IX. cap. 2.* Ambonem, seu Suggestum *Tribunal Lectorum* vocat. Qua de re in Lectoris ordinatione ea servatur cæremonia; scilicet, ut Episcopus sacra Biblia manibus ejus tradat, eumque his verbis adloquatur: *Accipe, esto zelator verbi Dei, habiturus, si fideliter, et utiliter officium impleveris, partem cum eis, qui verbum Dei ministraverint.* At contra in Ecclesia Græca Lectoratus ordo per manuum impositionem confertur.

XII. Jam vero Lectorum plura, quam hodie, olim munia fuerunt: enimvero Evangelii partem ab Episcopo explicandam populo legebant, panem, novosque fructus benedicebant &c. adhæc hodiedum in Ecclesia Græca latius eorum munia patent, quam in Latina; pleraque enim aliorum ordinum ministeria ipsis etiam sunt communia. Id quod inde originem habet, quod, ut alibi notavimus, ex minoribus ordinibus nonnisi unus apud Græcos obtineat Lectoratus.

XIII. Plerique Canonistæ, qui in Ecclesia quinque duntaxat inferiores ordines semper obtinuisse tuentur Lectores, et ἁγίους Ψαλtes, sive Cantores unum eundemque ordinem constituisse contendunt. Verum in nostris *Antiquitatibus Christianis* pluribus adstruimus æque ἁγίους Ψαλtes, ac Cantores, et Parabolanos in veteri, præsertim Græca Ec-

cle-

clesia, diversos inter se fuisse ordines: (\*\*\*) id quod indicat Isidorus noster præfato *Can. I. Dist. 21. (\*)*

XIV. Porro Acolyti, Exorcistæ, Lectores, et præcipue Psaltæ, sive Cantores in Ecclesia Latina Primicerium, tanquam suum Caput, sive Principem agnoscebant: unde *Caput Scholæ Cantorum, Chori Inspector, et Præcentor* dici consuevit: *indicat. Can. I. Dist. 25.* At vero de Primicerii origine, juribus, aliisque infra sermo redibit.

### De Ostiariis.

XV. Postremum inter minores ordines locum habet Ostiariatus, cujus meminit Cornelii P. nuper indicata Epist. Ejus ordinis quanta fuerit in Ecclesia dignitas ex eo cognoscimus, quod Thesaurarii munus quod præstantissimum, habetur, olim ad Ostiarios pertinuerit; unde Thesaurarius erat veluti Ostiariorum Princeps, cui illi suberant: *cit. Can. I.*

XVI. Ostiario, dum ordinatur, claves traduntur Ecclesiæ ab Episcopo his verbis: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur: Can. IX. Concilii Carthagin. IV.* Qua de re Ostiarii munia sunt claves januamque Ecclesiæ custodire, eam fidelibus aperire, claudere infidelibus, et excommunicatis, campanas pulsare; adhæc curare, ne quid pereat eorum, quæ in Ecclesia servantur, impedire ne quis propius ad Sacerdotem rem divinam facientem accedat; atque olim etiam Episcopo concionaturo librum aperiebat. Mandat demum Ostiario Episcopus, ut quemadmodum materialem Ecclesiam infidelibus aperit, ita fidelium animas, quæ templum sunt spirituale Dei, dictis suis, et exemplis Deo aperiat, et claudat Diabolo.

### De Clericis Primæ Tonsuræ.

XVII. Quos ad Clerum formandos, et in clericali vita instituendos suscipit Ecclesia, eos tondendis capillis, ac vestibus inter preces, sollemnesque cæremonias per Episcopi manus tradendis adsumere consuevit; isque tanquam neces-

sarius ad suscipiendos ordines adparatus universæ Ecclesiæ disciplina custoditur.

XVIII. Quod ad Tonsuræ antiquitatem spectat profecto octo prioribus Ecclesiæ sæculis nullos fuisse clericos simpliciter attonsos, scilicet nullo proprio officio demandato; at vero per illud temporis simul cum Lectoratu, aliove inferiori ordine, tanquam ejus comitem cæremoniam, fuisse collatam pluribus ostendunt Morinus, aliique. Profecto jam inde ab vi. sæculo Clericos et vestibus, et tonsura ab laicis distingui cœpisse demonstrat Thomass. *Part. I. Lib. II. cap. 46.* et nobis de hoc capite mox redibit sermo.

XIX. Porro Morinus jam inde ab vi. sæculo Tonsuræ separatim ab quocunque ordine collatæ originem repetit: et quidem ex eo, quod quum impuberes Ordinum functionibus impares ab parentibus Ecclesiæ offerrentur Ecclesiasticis officiis instituendi, conveniens Episcopis visum est, ut iidem cum veste clericali tonsuram sine ullo ordine acciperent; quippe cum clericis ipsos versari oportebat. Igitur simplex erat habitus mutatio, qua clericatus significabatur desiderium: qua de re non Episcopis reservata erat, sed à Presbyteris etiam, atque adeo à laicis conferebatur.

XX. Quum vero secutis temporibus habitus ille inter preces, et sollemnes cæremonias conferri cœpisset, hinc factum est, ut veluti quidam ordo reputaretur, quo homines non ab laicis tantummodo distincti, verum et inter Clericos relati haberentur: unde ejus collatio Episcopo reservata est. Adhæc quum Clerici prima initiati tonsura de foro Ecclesiæ censerentur, atque omnibus clericalibus privilegiis donarentur; id in caussa fuit, cur solius tonsuræ Clericorum numerus augeri cœpisset. Hinc enim homines clericalia privilegia, et ecclesiastica beneficia inhiantes, ut prima initiarentur tonsura, undique confluebant. Tum illinc Episcopi, quo latius Episcopale forum pateret, facilius quam par erat, quemque ea insignire non recusabant.

XXI. Huic autem malo tandem occurrerunt Tridentini Patres decernentes, neminem ab Episcopo prima tonsura initiandum, nisi morali judicio constet, illum non lucri causa, sed propter Deum hanc vitæ conditionem elegisse. Præterea in nostro Regno juxta novissimam Concordatorum le-

gein Clerici tonsurati privilegiis clericalibus non fruuntur, nisi vel in aliquo Seminario, vel Universitate, quo ad suscipiendos ordines instituantur, versentur, vel Episcopi mandato alicui inserviant Ecclesiæ.

XXII. Constitutum præterea Concordatis est primam tonsuram non aliis conferri, quam illi, qui post decimum ætatis annum per tres jugiter annos, vel in aliquo Seminario degerit, vel deferens vestem clericalem alicui Ecclesiæ Episcopo jubente festis diebus ministraverit. Hac lege vix excipiuntur *arctati*; et quidem tum ii, qui passivum ad aliquod Ecclesiasticum beneficium jus patronatus habent, tum quoque ii, quos sine jure passivo unam, eandemque familiam cum patronis activis sortitos patroni intra legitima tempora nominaverint: ita censuit Tribunal Mixtum die 23. Augusti 1753. *Car. Gagliardus Lib. I. Tit. XXXI. num. 29.*

(\*\*) XXIII. Adhæc in Hispania ex *Leg. I. Tit. IV. Lib. I. Novæ Recop.* Clerici prima tonsura initiati fori privilegio non gaudent nisi Beneficium Ecclesiasticum habeant, vel in aliqua Universitate Studiorum causa degant, vel de Episcopi scientia alicui Ecclesiæ sint addicti, Altarique inserviant, et Clericalem tonsuram, habitumque simul Ecclesiasticum deferant, quod jam prius decreverat Syn. Trid. *Sess. XXIII. Ref. cap. 6.* Quin et Concordato an. 1737. *art. 9.* constitutum est, neminem nec ad tonsuram admittendum de quo spes non indubia sit, eum non alium sibi scopum, quam Deo sacris inserviendi proposuisse, uti jam diu constituerat Trid. præf. *Sess. XXIII. Ref. cap. 4.* Videsis infra *Titulum XXIV. (\*)*

XXIV. Synodus Tridentina *ibid. cap. 6.* vetat cuique vel clerico beneficium ante decimum quartum ætatis annum conferri. Qua de re impuberes *arctati*, ut possint simul Tonsuræ gradum, et beneficium consequi, æque pontificia, ac regia ætatis dispensatione indigent. Hanc autem ætatem in Beneficiis ante Synodum Trident. erectis haud requiri lex ipsa Concordatorum monet: *Concord. Cap. IV. art. 5.*

XXV. Conferendæ Tonsuræ ritum quod spectat, profecto credibile est antiquitus tonsurandum per manus Episcopi primo vestem clericalem civilem accepisse: namque uti suo loco observabimus, jam inde ab VIII. sæculo Clericorum vestis



tis à laicali distincta inoleverat, et monachalis habitus inter cæremonias sollemnes tradebatur, teste Auctore Ecclesiasticæ Hierarchiæ *Cap. 6.* Tum vestis mutationem morum quoque mutationem significare haud raro Patres docent. Tametsi autem non ab Episcopo vestem hodie clericalem Clerici adsumant, certe sine ejus permissu eam induere nemini licet.

XXVI. Capillorum attonsiō adeo sollemnis in Clericis ordinandis est, ut idem sit attonderi, ac Clericum ordinari: Syn. VII. Gen. Can. XIV. Qua de re Beda *Lib. III. cap. 5.* Clericos vocat *Attonsos.* Ea vero abjicienda vitia significat: *ut criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur:* Conc. Aquisgran. *Cap. 4.* Est præterea signum mancipationis, qua in Dei servitium dedimur, et adoptionis, qua in sortem Domini adsumimur, seu ad ejus hæreditatem jus adipiscimur. Clericus enim dum attondetur sæculo abrenuntiat, professionemque vitæ clericalis emittit illa *Psalm. XV. v. 5.* verba recitans: *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Adhæc mos fuit apud Langobardos, ut iis, qui in servitutem traderentur, capillos tonderent, sicut et iis, qui adoptabantur: Hallerius *hoc tit. art. II. §. 3.* Fit demum in crucis formam ad crucis ignominiam significandam.

XXVII. Postremo Episcopus Clerico attonso superpellicem imponit dicens: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. Dum autem superpellicem induit, cogitet* (inquit Conc. Mediolanense V.) *quam personam sustineat, nempe à sordibus, labeque puram, qualem vestitus ille indicat.* Dimittuntur tandem Clerici ab Episcopo prius de privilegiis clericalibus admoniti, de quibus suo loco.

## TITULUS XXIV.

## De Jure promovendi ad Ordines.

I. Antiquitus Episcopo Cleri, quin et populi testimonium exquirendum erat de natalibus, vita, conversatione, moribusque eorum, qui ordinandi erant: adeo ut penes plebem jus esset testimonium ferendi de Clerico sive ordinando, sive ab ordinatione rejiciendo. Ad rem S. Cyprianus Epist. 68. *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est instruit, et ostendit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi adsistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.* Et Siric. Epist. ad Hicmerium Tarrac. cap. 10. docet Diacono Presbyterium vel Episcopatum dari, si eum cleri, et plebis evocarit electio. Tum Augustinus, auctore Possidio in ejus vita cap. 21. *In ordinandis Sacerdotibus, et Clericis consensum majorem Christianorum, et consuetudinem Ecclesiæ sequendam esse arbitratus est.* Quinimmo ipsummet Augustinum, et Paullinum Nolanum, testimonio, atque adeo vi inflammatae plebis id petentis, summoque studio, et clamore flagitantis, Presbyteros sacrosatos fuisse narrant Possidius *ibid.* cap. 4. et Paullinus Epist. 24. *inter Epist. August.* Porro Plebs suum testimonium dabat per voces *ἀξιός dignus est, ἀνάξιός indignus est:* Const. sic dictæ Apost. Lib. VIII. cap. 4. Eusebius Lib. VI. cap. 29. Ambrosius *De Dignit. Sacerd.* cap. 5. Augustinus Epist. 315. aliique. Hæc Christianæ Ecclesiæ consuetudo ipsis etiam Rom. Ethnicis Imperatoribus adeo probata est, ut non dubitarent illam laudibus extollere, atque in civilium magistratum electione sibi imitandam proponere. Id de Alexandro Severo testatur Lampridius: *Vita Alex. Sev.* cap. 45.

II. Porro ejusmodi testimonium deinde loco cleri, et plebis, ut præstaret Archidiaconus, usus invaluit: Conc. Carthag. IV. *Can. VIII.* Qua de re Archidiaconi præcipuæ partes erant in ordinandorum institutione, examinatione, et ad  
Epis-

Episcopum præsentatione. Et licet secutis temporibus universum hac in re Archidiaconi munus in meram evaserit cæremoniam, non eo tamen à lethali noxa immunis erit, ubi dignum Presbyteratu, vel Diaconatu illum dixerit, quem indignum noverit: *Cap. un. de Scrutinio in ordine faciendo.*

III. Jam vero ex jure novissimo Concilii Tridentini *Sessione XXIII. Reform. cap. 5.* in promovendis, præcipue ad majores ordines, omnino requiritur, ut ipsi per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, *qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videtur, committat, ut nominibus ac desideriiis eorum, qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, ac vita à fide dignis diligenter exquirant, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum quam primum transmittant.* Hanc Tridentinam Sanctionem in Regno Neap. pro suscipiendis etiam minoribus ordinibus, ac prima clericali tonsura servandam edixit Congregatio Cardinalium negotiis jurisdictionalibus Regni Neapolitani jussu Gregorii XV. specialiter præposita: *Decreto edito 10. Kal. Jul. an. 1623. (\*\*)* Quod etiam Tridentini Decretum ab Episcopis Hispanis adamussim servari nemo est, qui non videat. (\*)

IV. In omnibus igitur, qui ad ordines sive majores, sive minores promoveri petant, Canonibus Ecclesiasticis plura desiderantur; quæ num habeant, quam diligenter Episcopo inquirendum est. Porro ut cautius hac in re se gerat ex Concilii Nannetensis *Can. II.* è latere suo Sacerdotes eligat, aliosque prudentes viros, gnaros divinæ legis, et exercitatos in Ecclesiasticis functionibus, qui legitimas ordinandorum qualitates diligenter investigent. Synodus quoque Tridentina *Sess. XXIII. Ref. cap. 7.* præcipit, ut Episcopus, Sacerdotibus, et aliis prudentibus viris peritis divinæ legis, et in Ecclesiasticis functionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget, et examinet.

1 Igitur inquirendum, num eis obstet aliquod ex Canonicis impedimentis, quæ irregularitates dicuntur, quasque fusius recensitas, et explicatas dabimus inferius.

2 Num habeant scientiam ordini suscipiendo congruentem.

tem. Profecto Clerici in divinarum Scripturarum, et Sacrorum Canonum doctrina instituti sint oportet. Ad rem Synodus Toletana IV. Can. xxiv. *alias* xxv. *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est. . . . Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, et Canones, ut omne opus eorum in prædicatione, et doctrina consistat: atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* Similia efferunt Canones à Gratiano congesti *Distinct.* 48. (\*\*). Adhæc præclare Syn. Tolet. VIII. Can. viii. *Absurdum est eos, qui ceteros simpliciores, et laicos habent docere, (quibus et disciplinæ, et vitæ debet esse veluti quoddam speculum) ad alicujus ordinis, vel dignitatis promovendi statum, qui legem Dei ignorant. . . . Nullus igitur ad sacra Dei misteria veniat indoctus, aut ignorantiae tenebris cæcutiens, sed solus is accedat, quem morum innocentia, et litterarum splendor reddunt illustrem, aliter ordinaturis, et ordinandis immiente in posterum Dei, et ejus Ecclesiæ vindicta.* Sanius est enim, ait Syn. Lateran. IV. Can. xxvii. *paucos bonos, quam multos malos habere ministros.* (\*) Denique Synodus Trident. *Sess.* xxiii. *Ref. cap.* 4. 11. 13. et 14. primæ tonsuræ initiari vetat, qui legere, et scribere nesciant, et minoribus ordinibus, qui saltem latinam linguam non intelligant; tum ab Hypodiaconatu, et Diaconatu arcendos præcipit, qui litteris, aliisque ad ordinem exercendum spectantibus non sint instructi: tandem ad presbyteratum eos adsumi jubet, qui ad docendum populum, et ad Sacramenta ministranda sunt idonei. Ecclesiæ Neapolitanæ disciplina in promovendis ad Sacros Ordines Theologiæ, ac Juris utriusque scientiam requirit. (\*\*). In Hispania vero ex Constitut. *Apostolici Ministerii* §. 4. in promovendis ad minores Ordines Idiomatis Latini notitiam, ad Subdiaconatum, et Diaconatum quod ad uniuscujusque Ordinis officium implendum spectat, et ad Presbyteratum Theologiæ Moralis scientia, quæ per exactum ab ordinando examen subeundum experiri debet. (\*)

3 Inquirendum quoque est in promovendorum mores, vitamque transactam: (\*\*). unde Synod. Illiberit. *Can.* xxiv. peregre baptizatos ordinatos ordinari vetat, quod *eorum minime sit cognita vita.* (\*) Antiquitus quælibet gravis licet

occulti peccati macula ab ordinibus arcebat; (\*\*) quocirca ead. Syn. Illiberit. *Can. XXX.* Subdiaconum ordinari prohibet eum, qui *in adolescentia fuerit mæchatus*: (\*) atque adeo neque clinicis, scilicet, quibus in lecto baptisma colatum erat, ad presbyteratum aditus patebat, eo quod *eorum fides non ex proposito, sed ex necessitate descenderit*: Concil. Neocæsareen. *Can. XII.* Igitur quodlibet græve crimen sive publicum, sive occultum, quod publica expiandum erat pœnitentia, per decem, et amplius priora sæcula ordinationi canonicum erat impedimentum; (\*\*) ita ut qui pro gravissimis post baptismum criminibus publicam egissent pœnitentiam, ad inferiores tantum Diaconatu ordines admitteret Syn. Tolet. I. *Can. II.* Consonat Syn. Gerundens. *Can. IX.* et Siricius P. *Epist. ad Hicmer. Tarracon. Cap. IV.* et merito; *ꝫqua enim conscientia absolvat reum, qui se peccata sua populo scit testem confessum? ꝫQuis enim quem paullo ante vidit jacentem, veneretur Antistitem?* Hormisdas P. *Epist. ad Episc. Hispanos Can. III. Dist. 61.* (\*) At post ex receptis putidis Isidori mercibus paullatim usu receptum est, ut occulti criminosi peracta clam pœnitentia ordinibus initiarentur. Novam hanc inductam disciplinam magis magisque in dies obtinentem Romani Pontifices suis constitutionibus confirmarunt: Urbanus II. *Epist. ad Episc. Constantiensem.* Verum antiquus Ecclesiæ Canon ex parte retentus; nam æque publica cujuscunque peccati pœnitentia, ac homicidium etiam occultum ab ordinibus arceat: Trident. *Sess. XIV. cap. 7.*

4 Divina quoque in promovendis requiritur vocatio: neque enim cœlestia, quibus summopere indigent, Altaris ministri sibi promereri poterunt auxilia, nisi divina duce, et cômite vocatione ad ordines accedant. Ejus varia sunt indicia; et quidem præter signa sensibilia, et extraordinaria, præcipua sunt morum innocentia, et gravitas, rerum caducarum contentus, proximorum salutis procurandæ studium, in sacris legendis codicibus jucunditas, et delectatio, legitimus, et immaculatus ad ordines ingressus. Hujusce vocationis necessitatem discimus, tum ab ipso Christo Domino, qui et in mundum venit missus à Patre: *Joan. VII. v. 16.* et discipulos ad promulgandum Evangelium misit, quos

quos ipse elegerat: tum ex Apostolo, qui ad *Hebr. V. v. 4.* docet illam legitimi Ecclesiæ ministri esse proprietatem, ut ad sacrum ministerium non suapte accedat voluntate, sed divinam sequatur vocationem; sicut de Aarone, qui primus fuit Sacerdos Leviticus Scriptura testatur, eum divinitus ad illam dignitatem vocatum fuisse. Hinc Concilium Tridentinum *Sess. XXIII. Ref. cap. 4.* vetuit primæ Tonsuræ initiari, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

### Ordines gradatim suscipiendi.

V. Promovendis non patet ad Ordines progressio, nisi gradatim à minoribus ad majores; idque ex antiqua Ecclesiæ disciplina. Profecto inferiora ministeria produunt clericorum vitam morumque probitatem, ut inde Episcopo liceat agnoscere, num digni sint, qui ad sacerdotium promoveantur. Unde Patres Sardicenses *Can. x.* sanxerunt: *Si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione Episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi in Lectoris munere, et officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus; ut per singulos gradus, si dignus fuerit, adscendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua gravitate, et verecundia.... conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temere ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, maxime cum et Magister gentium Apostolus, ne hoc fieret, denuntiasset, et prohibuisse videatur.* (\*\*) Id quod confirmat Synød. Bracar. I. *Cap. XX.* alias *Canone. XXXVII.* (\*) Illud hic juvat observare, antiquitus necessum non fuisse omnes inferiores ordines percurrere, quum satis fuerit vel unum eorum suscepisse, atque in eo ministrasse. Certe ex modo producto Sardicensi canone, ut quis potuisset ad Episcopatum promoveri, satis erat, ut ante Diaconatum Lectorem egisset. Lectoratus præ reliquis inferioribus ordinibus ratio habebatur, quod in ejus munere adimplendo magis sese proderet clerici industria, ac inde

facilius dignosci posset, quo quis animo ad ecclesiasticum ministerium accessisset. Quinimmo non desunt Auctores, qui aliquando Diaconatum, ac etiam Presbyteratum omnium contendunt, et quosdam *autem immediate* ad Episcopatum promotos: quod nempe eadem forma Sacramentalis varios istorum Ordinum effectus simul et exprimeret, et pareret; ac proinde idem sensibile signum longius protractum virtute multiplex haberetur. Ita Morinus de Sacris Ordin. Part. III. Exerc. II. cap. 2. Mabillonius Coment. prævio in Ord. Rom. §. 18.

VI. Verum quidquid sit de hac sententia; profecto ex nova Ecclesiæ disciplina omnes omnino ordines suscipiendi sunt, non majores modo, verum et inferiores, adeo ut nemo ad Diaconatum promoveri possit, qui prius non fuerit Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, et Subdiaconus. Quam ætate constans, et communis hæc disciplina invaluerit obscurum est: at verosimilius sæculo XI. et quidem ex Pseudo-Isidoro, qui Caji Papæ Decretalem ea ratione corruptam protulit, qua omnes omnino æque inferiores, ac majores ordines gradatim suscipiendi præciperentur. Contendit hic Pagius *Breviar. Hist. chron. in Sabiniano* Gregorium VII. primum fuisse, qui ex Diacono in Pontificem electus prius in presbyterum ordinatus sit, et altera die Pontifex consecratus; quum superioribus sæculis tum qui ex Diaconis, tum qui ex Presbyteris in R. Pontifices eligerentur, non nisi una, solaque Episcopali benedictione consecrari consueverint, ut pluribus idem Auctor id probare conatur: de quo capite tamen suo loco.

VII. Ex inducta, firmataque Ecclesiæ disciplina, neminem scilicet, nisi per gradus ordinum ad Presbyteratum, et Episcopatum subinde promovendi, duo veluti consectaria profluxerunt. Primum vetitas omnino ordinationes sic dictas *per saltum*: nimirum quum quis uno, aut pluribus inferioribus ordinibus omissis majori initiatur: veluti si hypodiaconus omisso diaconatu presbyter ordinetur. Hujusmodi quidem ordinis per saltum collatio irrita non est; at summo jure sic ordinati ordinis exercitio cadunt: Ivo Carnot. *Epist.* 185. quin Synodus Rothomagensis an. 1022. de depositione censuit dignos, qui nullis ordinibus minoribus ini-

tati ad Diaconatum, et Presbyteratum accesserint. Verum secutis temporibus benignior invaluit disciplina; namque sic ordinatis, suppleto prius ordine omisso, Episcopi indulgent, ut in suscepto ordine (\*\*\*) post peractam pœnitentiam (\*) ministrent, et ad majores promoveantur: *Can. 1. Dist. 52. et Cap. unic. de Clerico per saltum promot.* Id quod ita intelligas, scilicet si talis ordinatus in suscepto ordine non ministraverit; si enim ministrasse contingat, tantum Summus Pontifex dispensat.

VIII. Alterum: ut quis ad majorem ordinem promoveri possit, necessum est, ut in prius suscepto ministraverit: interstitia enim, seu intervalla servanda sunt; quæ quidem licet antiquitus varia essent pro temporum, Ecclesiarumque diversitate; sæpius tamen fuerunt quinque annorum inter Sacros Ordines: *Can. II. et III. Dist. 77.* Quod postea spatium adeo contractum est, ut et quatuor minores ordines una die plerumque dari consueverint, et inter majores ordines unius duntaxat anni interstitia satis essent: *Cap. I. De eo qui furtive ordinem suscepit.* Sed Tridentinum, cui modo standum est, de hujusmodi interstitiis *Sess. XXIII. Ref. cap. 11.* hæc statuit: *Minores ordines per tempore interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur..... in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exercent; idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia.... atque ita de gradu in gradum adscendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum et doctrina major ad crescat: quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros, et Superiores Ordines reverentia, et crebrior, quam antea, Corporis Christi communio, maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, et Sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initiatur, quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat. Hi vero non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum ordinum ad Sacros Ordines promoveantur; nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi aliud exposcat.*

IX. Igitur Tridentinum prudenti Episcopi judicio relinquit, num quis ad superiores ordines non servatis integris interstitiis promoveri possit. Quare superiores Regularium super-



interstitiis cum suis subditis dispensare minime possunt, ut ut aliqui eorum contra sentiant.

X. Illud præterea explorati juris est, nec ad minores ordines patere adscensum, nisi iis, qui prima clericali tonsura initiati sint; quæ propterea dicitur dispositio ad ordines: tum ipsam clericalem tonsuram iis tantummodo rite conferri, qui Sacramentum Confirmationis jam susceperint: Trident. *ibid. cap. 4.*

*De legitima Ordinandorum ætate.*

XI. Ætatem quod spectat antiquitus minores ordines interdum conferebantur etiam pueris ætate tenellis: Siricius P. *Epist. I. cap. 9.* et Zosimus *Epist. I. cap. 2. et 3.* Hinc Concilium Carthag. III. *Can. iv.* sanxit, ut *Lectores quum ad annum pubertatis venerint, cogantur aut uxorem ducere, aut continentiam profiteri.* Et sane in Africa potissimum mos erat, ut infantuli Ecclesiæ ministerio dicarentur: id constat ex Victore Uticensi, qui *Lib. V. de Persec. Vandalica* in hac persecutione quamplurimos Lectores infantulos martyrium subiisse testatur. Eundem morem in Italia etiam, ac in Gallia viguisse præter modo laudatas Zosimi, ac Siricii Epistolæ, constat quoque ex Sidonio Apollinari, et ex Ennodio: ille enim *Lib. III. Epist. ult.* de Joanne Episc. Cabilonensi scribit: *Lector hic primum, sic minister Altaris, idque ab infantia:* hic vero in vita Epiphaniæ Episc. Ticinensis de eodem testatur: *annorum fere octo Lectoris Ecclesiastici suscepit officium.*

XII. Porro, uti Ordinibus inferioribus nulla erat constituta ætas, ut pueruli nullo sæcularis nequitie contagio inquinati ad Clerum cooptarentur, ita ad majores Ordines nonnisi proveciores, quique per plures annos in inferioribus ministraverint, adspirare poterant. Hinc idem Siricius P. *ibidem* Acolyto, vel Subdiacono annum ætatis trigesimum præscribit, *ut ad Diaconi gradum accedat. Ubi si ultra quinque annos ministravit, Presbyterium consequatur.* Synodus Neocæsareensis idoneam Presbyteratui ætatem anno adfixit trigesimo, *quod Christus in trigesimo anno baptizatus est, et cœpit prædicare.* Similia habes apud Hieronymum

*Ep. ad Theophilum adversus errores Jo. Hierosolym.* Igitur IV. et V. sæculo ea lex viguit, ut nonnisi post annum ætatis trigesimum quisque ad sacros, majoresque ordines accedere posset: licet non desint exempla ordinationum ante legitimam hanc ætatem eodem ævo peractarum, quibus personæ sanctitas, et gravitas absternit invidiam, auctoritatem conciliavit. Certe S. Remigius Episcopus Arelatensis electus est, quum natus esset annos non amplius, quam viginti duos.

XIII. Secutis temporibus eadem pæne viguit disciplina, tum quod ad ordines inferiores, uti constat ex Concilii Generalis V. *Colat. V.* ubi Thomas Presbyter occurrit, qui annorum non amplius quinque clero cooptatus est: tum etiam quod ad Ordines superiores, uti produunt Concilia per ea tempora habita, Arelatense IV. *Can. I.* Aurelianense III. *Can. VI.* Trullanum *Can. XIV. et XV.* Tolosanum an. 1056. *Can. II.* Melphiense an. 1089. *Can. IV.* &c. Adhæc et Justinianus in Authent. post *Leg. IX. Cod. de Episcop. et Cler. Leo*, et Constant. Imp. *Juris Orient. Tom. II. pag. 94.*

(\*\*) XIV. Varia fuit Ecclesiæ nostræ à sæculo VI. erga ordinandorum ætatem disciplina. Synodus Tolet. II. *Can. I.* decrevit, ut pueri ab infantia detonsi, ad octavum ætatis annum continentiam professi, vicesimo anno ad Subdiaconatum, vicesimo quinto ad Diaconatum promoverentur. At non videtur hæc felicem effectum sortita esse constitutio, etenim Syn. Tolet. IV. *Can. XX.* alias *XIX.* laxatam hæc in re videns disciplinam, ita constituit: *Nos et Divinæ legis, et Conciliorum præcepti immemores infantes, et pueros Levitas fecimus ante legitimam ætatem, ante experientiam vitæ. Ideoque ne ulterius fiat à nobis, et Divinæ legis, et Canonicis admonemur sententiis.* Syn. Tolet. X. *Can. VI.* nec ad tonsuram admittere voluit filios à parentibus Ecclesiæ traditos, nisi post decimum ætatis annum. At Syn. Compostel. an. 1056. *Cap. II.* ad Subdiaconatum 18. ad Diaconatum 25. ad Presbyteratum 30. annos designavit. (\*)

XV. Non negaverim quidem ab sæculo X. quam frequentia occurrere exempla ordinationum, in quibus saluberrimæ ejusmodi leges pessundatæ sunt; at constat quoque ex una parte Ecclesias, in quibus sincera vigeat disciplina, ab præscrip-

scriptis Canonibus non aberrasse; et ex altera parte viros illorum sæculorum sanctissimos contra ejusmodi ordinationes plurimum scripsisse. S. Bernardus *Ep. ad Jordanem Cardinalem* de Legati Apostolici perversitate graviter conqueritur, quod Ecclesiis puerulos præfecerat ætate prorsus immaturos. (\*\*)*En ipsius verba: Scholares pueri, et imberbes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates, et de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris, lætiores interim quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum.* (\*) Namque istæ ordinationes avaritiam, aut turpe lucrum præseferabant. Neque enim eo consilio id tum fiebat, quo antiquitus infantuli Ecclesiæ ministerio addicebantur, scilicet ut nulla mundani pulveris sorde polluti Deo inservirent; at contra plerumque parentes illos Ecclesiæ offerebant, ut simul ad præbendas, dignitates, atque etiam Episcopatus adhuc in ea ætate promoverentur, unde et ipsi ex Ecclesiæ redditibus locupletari possent.

XVI. Tandem Synodus Tridentina gravi huic vulneri antiquæ Ecclesiæ disciplinæ inflicto saltem ex parte mederi cupiens *Sess. XXIII.* sanxit: 1. Ut clericalis tonsura, minoresque ordines non conferantur, nisi iis, qui capaces sunt per ætatem eligendi certum aliquem statum in quo perpetuo maneant: *de Reformat. cap. 4.* 2. Ut nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum ætatis annum beneficium possit obtinere: *ib. cap. 6.* 3. Ut nec Subdiaconatum ante vigesimum secundum, nec Diaconatum ante vigesimum tertium, nec Presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum suscipere quis possit: *Trid. ib.* Quem annorum numerum attigisse sufficit, nec explevisse necessum est; sed vel unius diei, aut horæ defectus ordinum susceptionem impedit.

*Titulus in Ordinatione requisitus.*

XVII. Addictio Clericorum certæ Ecclesiæ, certoque ministerio titulus nuncupatur: immo Ecclesiæ ipsæ, ut alibi observavimus, *Tituli* dictæ sunt, vel quod signo, aut crucis, aut alio quopiam insigniri consueverint, vel quod ab

illis Presbyteri titulum sumerent. Hinc *Titulare* apud Gregorium M. est bona Ecclesiæ in titulum erigere, vel Clericum titulo mancipare; quod dicitur etiam *Incardinare*, vel Cardinalem Presbyterum, aut Diaconum constituere.

XVIII. Clerici igitur ad certam Ecclesiam, seu titulum ordinandi; id quod antiquitus exacte observabatur, uti patet ex Canonibus Ancyrano XVIII. et Neocæsarensi XIII. et quidem instituto Apostolico. Apostolus enim per civitates constituendos Episcopos mandat: *Ep. ad Titum I. v. 5.* Et in *Actis Apost. XX. v. 28.* commendat Episcopis curam gregis, in quo Spiritus S. eos posuit Episcopos. Non desunt exempla, et quidem insignia ordinationum ab hac Ecclesiæ regula deerrantium; uti Hieronymi, et Paullini: ille enim à Paullino Antiocheno, hic vero à Lampio Barcinonensi Presbytero ordinati sunt, seu dedicati in Sacerdotium duntaxat Domini, non etiam in Ecclesiæ locum, id est titulum, ut scribit idem Paullinus *Ep. I. alias VI. (\*\*)* Verum non admodum probata fuit Siricio P. id genus ordinatio; nunquam enim adduci potuit, ut Paullinum, qui Romam venerat, in communionem reciperet, de quo acriter conqueritur: *Ep. V. alias I. num. 14. (\*)* Ejusmodi autem Clerici nulli titulo, aut cardini adfixi *absolute ordinati* dicti sunt: *Can. I. Dist. 70.*

XIX. Veruntamen eadem hæc exempla quum sensim in perniciem cederent disciplinæ, et Clericos absolute ordinandi abusio invalesceret, hinc *Can. VI. Chalced.* diserte sancitum est: *Nullum absolute ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia Civitatis, vel Pagi, vel Martyrio, vel Monasterio is qui ordinatur designetur. Eos autem qui absolute ordinantur, decrevit S. Synodus irritam, et invalidam habere ejusmodi manuum impositionem, et nusquam exercere, ac operari posse, ad ejus qui ordinavit injuriam. (\*\*)* Verum quis silentio prætereat, Gratianum Canonem hunc suo inseruisse Decreto in *Can. I. Distinct. 70.* et loco *Pagi* perperam *possessionis* legisse? Atque hinc factum, ut contra Canonis mentem, et illius ævi disciplinam aliquem ad titulum *possessionis*, sive *patrimonii* ordinari posse, Glossa crediderit. (\*) Profecto hoc Chalced.

Canone constituti ordinandorum tituli, (\*\*\*) si *patrimonii* excipias, qui ad finem usque sæculi XII. et XIII. jam ineunte non invaluit. (\*) Eandem hanc sanctionem, quæ contrariis exemplis violari cœperat, secutis temporibus Urbanus II. *Can. II. Dist. 70.* Carolus M. in Capitularibus, et Concilium Lateran. III. *Can. V.* renovarunt, ac sartam tectam observari jusserunt. Quinimmo eadem hæc Lateran. Syn. *ibid.* præcepit, ut *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tandiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia militiæ Clericalis adsignet. Nisi fortasse talis, qui ordinatur, exstiterit, qui de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.* Eandem Synodicam sanctionem ad promotos sine titulo ad Subdiaconatum servandam quoque edixit Innocentius III. in *Cap. 16. de Præbendis, et Dignitatibus.* Demum Synod. Trid. *Sess. XXI. Ref. cap. 2.* Clericos nonnisi ad titulum beneficii Ecclesiastici, vel si Ecclesiæ suæ necessitas, aut utilitas postulaverit, ad patrimonii, vel pensionis titulum omnino ordinandos decrevit.

XX. Quod vero Episcopi nimis faciles essent in æstimanda Ecclesiæ utilitate, vel necessitate; unde Clericos consecrarent plures, quam Ecclesiarum ministeria paterentur, aut postularent, hinc salubri consilio Tridentinum decretum novissimo Concordatorum jure non modo renovatum est, verum et ad promovendos ad primam clericalem tonsuram protractum: *Concord. Cap. 4. tum ibidem* decernitur, ut initiandis ad primam clericalem tonsuram, ordinesque minores satis sit Beneficium, Capellania perpetua, vel Pensio Ecclesiastica, cujus reditus deductis oneribus exæquent medietatem reddituum Patrimonii Diocæsani, ea tamen adjuncta conditione, ut altera medietas Hypodiaconatus tempore suppleatur; vel ubi Ecclesiæ necessitas, aut utilitas postulaverit integrum patrimonium. Taxa quoque patrimonii clericalis *ibidem* constituta est, scilicet ut ejus reditus non sint citra ducatos Neap. 24. nec ultra ducatos 40. percipiendos ex fructibus prædiorum, annuive redditibus fixis. (\*\*\*) Porro quum in Hispania eadem facilitas latius in dies serperet, et plures quam Ecclesiarum facultates permitterent, Clerici institue-

ren-

rentur, Tridentini Decretum Constit. *Apostolici Ministerii*, altera Benedicti XIII. confirmata, renovatum est, et statutum ne quis nec ad ipsam clericalem tonsuram admittatur, nisi  
 1. cui mox conferendum sit Beneficium, aut qui studiorum causa in via sit ad ordines suscipiendos: 2. Qui utilis, vel necessarius sit Ecclesiæ. 3. Qui alicui adscribatur Ecclesiæ. (\*)

(\*\*) XXI. Ad primum quod attinet, *Articulo 5. Concordati an. 1737.* constitutum est, ut nullus quamvis idoneus, sacris initiatur Ordinibus, quin pacifice possideat Beneficium, idque congruum secundum taxam vel à Synodo, vel à consuetudine præfixam, quæ quidem augeri oporteret ab Episcopis, uti monuit Supremus Castellæ Senatus 12. Junii an. 1769. Videsis *Tit. XX. Lib. II.* Congruum utique Beneficium requiritur, quum Beneficia, quæ tertiam non superent congruæ partem ad Legata pia reducenda sint; quæ vero sint citra congruam supprimenda sint ex ejusdem Constitut. §. 7. Regioque Decreto 5. Maii an. 1766. Præterea constitutum est, quod nulli conferri possit Beneficium Ecclesiasticum etiam minoribus initiato ordinibus, nisi qui ad quatuordecim ætatis annos advenerit, quod jam prius decreverat Trident. *Sess. xxiii. Reform. cap. 6.* Taxa quoque patrimonii Clericalis in eodem Concordati articulo constituta est, scilicet ut ejus reditus non sint ultra sexaginta scutorum Romanorum summam; et prohibita sunt etiam sub excommunicationis pœna Nuntio Apostolico reservata, donationes, quæ patrimonii occasione fieri solebant. Insuper vetita est *Sanct. IV. n. 21. Tit. I. Lib. IV.* vulgo *Autos Acordados* patrimonii renuntiatio ante obtentam aliunde congruam, et patrimonii administratio, quæ patrimonii donatori traditur, idque sub pœna Commissi. (\*)

(\*\*) XXII. Quantum spectat ad secundum, Regio Decreto 6. Maii an. 1766. præscriptum est Locorum Ordinariis, neminem sacro Presbyteratus ordine inaugurandum, cui non possit licentia pro fidelium Confessionibus audiendis conferri, ita ut ad animarum curam, simul ac oporteat exercendam paratus sit. (\*)

(\*\*) XXIII. Quoad tertium Supremus Hispaniæ Senatus sæpius indixit Clericis, qui Matritum confluerant, nec ulli adligati erant Ecclesiæ, ut ad proprias redirent; simulque

Dice-

Dioecesanos admonuit, non oportere quod ipsi Litteras Testimoniales alicui elargirentur solo intuitu procurandi sibi Præbendæ acquisitionem : an. 1759. 1766. et 1770. (\*)

XXIV. Inter titulos producto Chalced. Canone statutos est Monasterium; puta quum Presbyter Sacramenta ministraturus monasterio præficitur : immo etiam Episcopum uni, vel pluribus monasteriis ministraturum aliquando esse ordinatum narrat Christ. Lupus ad *Canonem vi. Chalced.* Ad Monasterium etiam ordinari dicitur Clericus, quum non monasterio, sed ejus altaribus præficitur, sed tanquam simplex Monachus monasticis officiis incumbens. Eutychiāorum turbis in Syn. Chalcedonensi periclitati sunt monachi, ne ad laicam omnes vitam, sacra illis ordinatione prorsus interdicta, redigerentur; quod Episcopi nonnulli suadebant: sed S. Synodus iniquum duxit ut paucorum scelus aliis perniciem adferret. Itaque Monasterii titulum confirmavit, et exinde Clericorum frequentia in monasteriis viguit. Clemens V. in Concilio Viennensi constituit, ut *Monachi quilibet, ad monitionem Abbatis ad omnes sacros ordines excusatione legitima cessante promoveantur.* Eam vero hujus constitutionis rationem addit idem Lupus loco cit. *quia post ablatum per divitias opus manuum cœperunt Monachi ab otio invadi; ideoque sacro saltem ministerio adversus illud muniendos Pontifex judicavit.* Hodie igitur ad titulum monasticæ professionis monachi ordinantur,

*De Proprio Ordinationis Episcopo.*

XXV. Proprium sacræ ordinationis ministrum nonnisi Episcopum jam inde ab Apostolico ævo semper in Ecclesia habitum fuisse perspicua demonstrant veterum Patrum, qua Græcorum, qua Latinorum testimonia. Quinimmo eorum nonnulli hoc tantum jure Episcopos presbyteris eminare diserte scribunt; Hieronymus *Epist. 87. ad Evagrium:* Chrysostomus *Hom. in Ep. I. ad Timoth.* Non negaverim quidem aliis etiam prærogativis Episcopos presbyteris præstare; id quod et idem illi antiqui Patres agnoscunt: at illud duntaxat inde licet colligere, sacram ordinationem omni christiani nominis ævo tanquam

nitatis habitum fuisse. Verum de hoc capite plura in Theologicis Institutionibus habebitis.

XXVI. Jam vero antiquissimo Ecclesiastico jure illud semper in Ecclesia viguit institutum, ut Episcopus non nisi Clericos suæ potestati subjectos ordinaret. Qua de re Canonibus *Nicæno XVI. Sardicensi XVIII.* aliisque, Episcopis vetitum est Clericos ab aliis Episcopis ordinatos sine permissu eorum, à quibus ordinati fuerint, ad superiores ordines promovere. (\*\*). Eandem Concilii Nicæni disciplinam suo roboravit Decreto Syn. Tolet. I. *In Exordio* constituens, *statuta Nicæni Concilii in ordinandis Clericis* perpetuo esse servanda: dein et Valent. *Can. VI.* (\*)

XXVII. Igitur jure antiquo sola alicujus in Clerum adscriptio, tanquam præcipuus habebatur titulus, quò quis proprius ordinationis Episcopus haberetur: nullibi enim poenam in Episcopum sancitam reperies, qui alienum laicum in suum clericum ordinasset. Quinimmo laicum à quocunque Episcopo ordinari potuisse perspicua demonstrant illustrium virorum exempla: Origenis scilicet, Martini Turonensis, Epiphani, Hieronymi, Augustini &c. qui inconsultis Episcopis civitatum, ubi natale solum sortiti erant, ab aliis in clerum fuerunt admissi.

XXVIII. Verumtamen jure novo quadruplex agnoscitur proprius ordinationis Episcopus: nimirum ratione *beneficii, originis, domicilii, et familiaritatis.* Prioris, et alterius meminit Clemens IV. *Cap. I. de Temporibus Ordinatis. in VI.* tertii Bonifacii VIII. *cap. 3. ibidem.* De quarto, nempe de familiaritate, mox pauca subnectemus.

XXIX. Ac primo potest quis ab eo Episcopo ordinari, in cujus territorio obtinet beneficium. Nomine beneficii quodvis venit sive curatum, sive simplex, tam si liberæ collationis sit, quam si juris patronatus. Porro tam ex Tridentino *Sessione XXI. Ref. cap. 2.* quam ex Bulla *Speculatores* Innocentii XII. illud diserte colligitur, non laicum quemlibet, cui beneficium sit Episcopus collaturus, sed clericum duntaxat, qui beneficium reapse obtentum possideat extra Diocesim suæ originis, vel domicilii, subditum alieno Episcopo fieri ex titulo beneficii. Quamobrem illud omnino requiritur, ut prima saltem, clericali tonsura ab Episcopo originis, vel



domicilii sit initiatus, ut dein beneficii possessionem in aliena Diocesi nactus ab ejusdem Episcopo ad superiores ordines promoveri possit.

XXX. Ad Beneficii rationem referri posse videtur Familiaritas, qua Episcopus antiquitus Ecclesiae servos ordinabat, ipsique Ecclesiae addicebat. Ex quo quum sensim mos inolevisset, ut Episcopi omnes indiscriminatim ordinarent famulos, unde plura irrepserunt scandala; hinc Syn. Trident. providè sanxit *Sess. XXIII. Ref. cap. 9.* ut Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi is per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium quacunquē fraude cessante, statim reapse illi conferat, consuetudine quacunquē etiam immemorabili in contrarium non obstante.

XXXI. Originem quod spectat, profecto ex eadem Bulla satis non est, ut quis in aliqua Diocesi natus sit, sed omnino requiritur, ut id non ex accidenti, occasione scilicet itineris, officii, legationis &c. evenerit, sed ex vera ac naturali patris origine. Jure quidem antiquo major habebatur ratio loci, ubi quis baptizatus esset: *Cap. 3. de Temporib. Ordinatis. in VI.* at jure novo, quod ad ordinationem, magis attendendus est locus nativitatis, quam baptismi. Adhæc licet jure civili locus originis filii etiam ille habeatur, ubi pater natus est: *Leg. VI. §. 1. Dig. ad Municipalem*; attamen ex mox laudata Decretali Episcopus Originis tantummodo loci illius Episcopus intelligitur, ubi ipsemet ordinandus ortum habuit, sive natus est: *Garcia de Beneficiis Part. VII. Cap. IX. num. 25. Hallierius Part. II. Sect. V. cap. III. art. 3. num. 2.*

XXXII. Episcopus denique domicilii censetur illius regionis Episcopus, in qua ordinandus domicilium habet. Verum domicilii ratio haud quidem ex diuturna inhabitatione, at potius ex animo, ac circumstantiis est desumenda. Aliquando enim vel perbrevis mora *domicilium* parit; scilicet ubi quis ab originis loco demigrat, ut alibi domum vel matrimonium, vel rerum suarum translatione, vel susceptis ibi propriis muniis, et oneribus constituat.

XXXIII. Postremo adeo verum est, nonnisi à proprio Episcopo ordines suscipiendos esse, ut Tridentinum *Sess. XIV.*

*Ref. cap. 1.* hac in re etiam arctatis ratione Sacerdotalis beneficii facultatem adimat adpellandi à recusatione proprii Episcopi ; et *Sess. XXIII. Ref. cap. 1.* decernat , ut Episcopi per semetipsos ordines conferant ; quod si ægritudine fuerint impediti subditos suos non aliter , quam jam probatos , et examinatos ad alios Episcopos *ordinandos dimittant.*

(\*\*) XXXIV. In Hispania Regulares quantumvis exempti, Episcopum Diœcesis intra quam situm est Monasterium residentiae , adire debent , ut ordinentur : ex Constitut. *Apostolici Ministerii* §. 17. id quod generatim decrevit Benedictus XIV. Constit. *Impositi nobis.* Diœcesano vero absente, aut impedito , à quocumque Catholico Antistite poterunt ordinari, testante in Dimissorialibus Prælato de caussa cur Diœcesanus ordines non conferat. At non expedit , quod Regulares , ut examen subterfugiant Diœcesani, ipsius absentiam ex instituto expectent, aut ad alterius Diœcesis Monasterium se transferant. Prosper Lambert. *de Synodo Diœcesana Lib. IX. cap. 17. num. 4. (\*)*

#### De Litteris Dimissoriis.

XXXV. Hujusmodi dimissio fit per litteras , quæ propterea *Dimissoriæ* , et *Commendatitiæ* dicuntur ; at proprie differunt à dimissoriis commendatitiæ. Nam hæ ordinandi tantummodo testimonium , haud vero facultatis delegationem continent ; porro illæ utrumque complectuntur. Quamobrem ubi Tridentinum *Sess. XXIII. Ref. cap. 8.* mandat , ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur , neque *ab alio promoveri petat* , nisi ejus probitas , ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur , profecto hujus litteras commendatitias , sive testimoniales , non dimissorias requirit. Circa litteras dimissorias illud hic juvat subnectere ex supra indic. Decreto jussu Gregorii XV. edito pro Regno Neap. eas non nisi ad certum Episcopum omnino dirigendas : (\*\*) ex Constitutione vero *Apostolici Ministerii* §. 5. neminem in Hispania ordinari posse , nisi cum litteris testimonialibus Episcopi domicilii , quibus constet aptitudo , et probitas ordinandi , sub pœna suspensionis ordinantis à collatione ordinum per

per annum, et ordinati à susceptorum exercitium ad proprii Episcopi arbitrium. (\*)

(\*\*) XXXVI. Hic necessario duximus adjiciendum, Apostolico Hispaniarum Nuntio interdictam penitus fuisse ordinandi facultatem Regio Decreto 19. Augusti an. 1767. et Dimissorias expediendi *Art. 18. Concordati an. 1737.* (\*)

*De Temporibus Ordinationum.*

XXXVII. Per tria priora sæcula Ecclesia certa, ac statuta ordinationis tempora non habuit: quovis enim anni mense, ac die, prout res Ecclesiæ postularet, ordines conferebantur. Id patet ex Cypriano, qui Aurelium Lectorem Kalendis Decembribus, et Optatum Hypodiaconum mense Augusto ordinavit: Pearsonius *Annal. Cypriani an. 250. n. 20.* tum Paullinus ipso Nativitatis Domini memoria sacro die ordinatus est: *Epist. VI. ad Sever.* At negandum non est plerumque mense Decembri, saltem in Romana Provincia, Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum ordinationes per illud temporis fuisse peractas. Auctor enim Pontificalis Damaso tributi ordinationes à Rom. Pontificibus ad Simplicium usque semper mense Decembri habitas memorat: tantummodo in Vitis Simplicii, et Gelasii addit Februarium. Verum primus Gelasius ipse *Epist. IX. ad Episcopos Lucaniæ cap. 11.* quinque tempora ordinationi præstituisse videtur: *Ordinationes etiam presbyterorum, inquit, et diaconorum, nisi certis temporibus, et diebus exerceri non debent; id est quarti mensis jejunio, septimi, et decimi, sed et quadragesimæ initio, et mediana quadragesima die sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.*

XXXVIII. Eadem hæc tempora distinctius ab Alexandro III. præstituta sunt: rescribit enim *in cap. 3. de Temporibus Ordinatis.* nisi in quatuor jejuniorum temporibus, Sabbato sancto ante Pascha, et Sabbato ante Dominicam Passionis Episcoporum nemini licere sacros ordines conferre, præterquam R. Pontifici.

XXXIX. Horam quod spectat, antiquitus vespere Sabbatum sequente ordinatio inchoabatur, (\*\*) continuato jejunio, quod ex Apostolorum emanare doctrina censet Leo P.

*Epist.*

*Epist. ad Diosc. Alexand. Cap. I.* eo quod illi jejunantes, et orantes Paulum, et Barnabam ordinaverint: *Act. XIII. v. 3.* (\*) et ad diei Dominicæ mane protrahebatur, et quidem ut ordinatus vel consecrare, vel certe sacram Eucharistiam participare posset: Theodoret. *Histor. Relig. cap. 13.* Epiph. *Epist. ad Joann. Hierosolymit.* Ne autem jejunii continuatio ad matutinas usque diei Dominicæ horas ordinantes, et ordinandos defatigaret, ordinationes ipsius Sabbati vespertis adfixæ sunt. Demum secutis temporibus ad tertiam diei Dominicæ horam consecrationes Episcoporum, et generales ordinationes clericorum ad matutinas Sabbati horas translatae sunt.

XL. Illud hic juvat animadvertere, Græcos antiquum adhuc morem servare: scilicet, ut nullum ordinationibus præstitutum habeant diem: id quod ipsi Summi Pontifices Cælestinus III. et Innocentius III. agnovere: *Cap. 9. et 11. de Temporib. Ordinat.* Verum in Quadragesima solis Sabbatis, Dominicis, et Annuntiationis B. V. Mariæ festo Presbyteratum, et Diaconatum conferunt. Etenim æque ac Latini in pleno sacrificio ordinationes celebrant. Porro in aliis Quadragesimæ diebus, in quibus jejunium exacte custodiunt, præsanctificata tantum participant.

XLI. Hactenus dicta de ordinibus sacris, et majoribus, de inferioribus ne intelligas: hi enim quocumque dominico, vel festo die sub ritu duplici conferri possunt: *Cap. 3. de Temporib. Ordinat.* mane tamen nisi aliud obtineat ex consuetudine. Collatio demum primæ tonsuræ, uti habetur in Pontificali Romano, nulli certæ diei, nullique certæ horæ est adligata.

XLII. Ut quis extra tempora ad sacros ordines promoveri possit, dispensatione indiget, quam solus R. Pontifex concedit, quaque nonnulli Regulares fruuntur. Verum diu, et sæpe à Doctoribus disputatum est, num Privilegia ejusmodi per Bullam Innocentii XII. an. 1693. abrogata essent. Benedictus XIII. in Synodo Romana *Tit. V. de Temporibus Ordinat. cap. 2.* declaravit, privilegia illa adhuc in suo robore subsistere, iisdemque Regulares absque novo indulto Apostolico tuto posse uti. Porro non desunt Canonistæ, qui censent ejusmodi privilegia ad illos tantummodo Regulares con-

venire, quibus non per viam communicationis, sed expresse, et speciatim ab Sede Apostolica elargita fuerint. Hanc sententiam probare videtur Benedictus XIV. *Const. XXVII. Tom. II. Bullarii.*

(\*\*) *De apto loco Ordinibus conferendis. (\*)*

(\*\*) XLIII. Nemo est qui nesciat ordinationes Sacrorum Ministrorum fieri olim solitas palam, et in totius populi conspectu, ut *sit ordinatio justa, et legitima, quæ omnium suffragio, et iudicio fuerit examinata: Cypr. Ep. LXVIII.* Id ipsum innuit Theophilus in *Commonit. Can. VI.* quum asserit, ordinationes habitas *in media Ecclesia*, id est, adstante universo fidelium cœtu. Etenim christiano populo, cui noti magis sunt ordinandorum mores jus inerat scrutini, seu examinis, vi cuius repellere poterat, quos noverat indignos: *Syn. Bracar. II. Can. III.* Eandem disciplinam confirmavit *Syn. Chalced. decernens Can. VI.* neminem nisi *manifeste* in Ecclesia, aut in Martyrio ordinandum; et *Leo P. Epist. ad Dioscor.* quum ait, quod Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio sub lege *Divini officii substituat.* (\*)

(\*\*) XLIV. Itaque per decem priora Ecclesiæ sæcula nullibi, nisi in maxima Sedis Episcopalis Ecclesia, ministrantibus clericis plebeque præsentē sacræ Ministrorum inaugurationes agebantur. At sæculo XI. quo plurimum Ecclesiastica disciplina detrimenti passa est, cœperunt Episcopi privatas ordinationes peragere, ita ut *S. Antoninus in Summa Part. III. Tit. XIV. cap. XVI. §. 17.* aperte jam docuerit, moribus inductum esse, ut Episcopi possent, in qua maluerint Ecclesia, ordinationes celebrare; qua doctrina à posterioribus recepta Summistis, eo ventum est, ut periret omnino pristina ordinationum disciplina. (\*)

(\*\*) XLV. Verum Tridentina Synodus veterem intendens restituere ordinandi morem, decrevit *Sess. XXIII. Ref. cap. 8.* ut sacræ ordinationes *in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis publice celebrentur; si autem in alio Diœcesis loco, præsentē Clero loci, dignior quantum fieri poterit Ecclesia adeatur.* Id quod constituit dein *S. Carolus Borrom. in Concil. Mediolanen. IV.* et confirma-

vit

vit Innocentius XIII. in præf. Constitut. *Apostolici Ministerii* §. 17. Æquum est ergo, ut Episcopi publicas celebrent ordinationes in Cathedrali Ecclesia, atque intra Missarum sollemnia, ministrantibus Canonicis, quos id nullo titulo decet moleste ferre. Videsis Hallierius *de Sacr. Election. Sect. VI. cap. II. art. 1. §. 5.* Hæc de sacrorum ordinum inaugurationibus intelligas necesse est; inferiores enim constat collatos nonnunquam fuisse privatim, nec ipso excepto Subdiaconatu: Hallier. *ubi supra.* (\*)

## TITULUS XXV.

### *De Canonicis, et Vicario Capitulari.*

I. **C**anonicorum nomen omnibus olim clericis commune fuit: Basilius *Epist. I. Canonica Can. VI.* eo quod *Canonis*, sive *Matriculæ* Ecclesiæ adscripti essent, cujus stipendiorum participes erant. Quamobrem qui deinde Magnatum Oratoriis serviebant Presbyteri, non dicebantur Canonici, eo quod ab illis, non autem ab Ecclesia sustentarentur. Tum inducta Clericorum vita communi, eo quoque Canonici dicti sunt, quod arctiori quadam Ecclesiastica Regula, κατὰ τὴν κανὼνα *secundum canonem*, sive *regulam* adstricti, vitam ducerent.

II. Ecclesiastica ejusmodi Regula vitam communem potissimum præcipiebat; quæ quidem in prima Hierosolymorum Ecclesia omnibus fidelibus sub Apostolis agebatur: *Act. V.* Sed quum ab eâ vivendi ratione recessissent laici, soli Clerici deinceps eam coluerunt. *Omnia*, ajebat Tertull. in *Apollog. indiscreta sunt apud nos.* Et Hier. de Clericis loquens *Can. VII. Caus. 12. Q. I. illi*, inquit, *victu, et vestitu contenti nullam inter se proprietatem habentes debent habere omnia communia.* (\*\*) Nisi dicas Tertullianum in eo loci non de Clericis duntaxat, sed de omnibus Christianis loqui; et Hieronymum auctorem non esse Epistolæ ex qua depromtus dicitur præf. Canon; atque adeo verosimile esse, ignotam fuisse Clericis per tria priora sæcula communem vivendi normam. (\*)

III. At sævientibus persecutionibus quum vix Clerici clandestinos conventus agere possent, vitæ communio in eo posita fuit, ut ex bonis Ecclesiæ certas sibi quisque portiones, sive sportulas in dies, aut menses singulos acciperent. Unde Clerici à S. Cypriano Epist. 66. *Fratres sportulantes* dicuntur, et quod nos nunc *suspensionem à beneficio* dicimus, ab eo *suspensio à divisione mensurna* redditur.

IV. Post pacem Ecclesiæ redditam cœperunt Episcopi in suis Cathedralibus Ecclesiis Clericos secum retinere, quibus et habitatio, et mensa, ceteraque communia essent. Id in Oriente obtinuisse discimus ex S. Basilio Epist. 63. et ex Sozomeno *Lib. VI. cap. 31.* Ex Orientali vero Ecclesia in Occidentalem migrasse opera S. Eusebii Vercellensis, quum ab Athanasio ex Oriente remigravit, memoriæ prodidit Ambrosius Epist. 26. ubi scribit *illum Eusebium conjunxisse officia Clericorum, et instituta Monachorum.* Hanc vivendi disciplinam ab Eusebio adripuit Ambrosius, indeque in suas Ecclesias derivarunt S. Martinus Turon. S. Paulinus Nolan. aliique; ac præ ceteris M. Augustinus in sua Hippon. Ecclesia; quem, teste Possidio in ejus vita, complures Episcopi secuti sunt. (\*\*). Verum Augustinus Clericorum expertus inconstantiam, ecce, ait, *in conspectu Dei muto consilium: qui volunt habere aliquid proprium, manent ubi volunt, non eis aufero clericatum, nolo habere hypocritas:* Can. XVIII. Caus. 12. Q. I. (\*)

V. Quum vero frigescente charitate communis Clericorum vita passim intermitteretur, sanctorum virorum opera diversis in locis subinde restituta est. Hinc Isidorus, scilicet Hispalensis, antiquum vitæ communis institutum in Hispania instauravit, et Cronogangus Episcopus Metensis in Gallia tempore Pipini Regis suis Clericis in unum Cœnobium collectis opportunas regulas tradidit, quibus corrupti mores integritati redderentur.

VI. Salutare hoc Institutum tum pientissimi Reges Pipinus, Carolus M. et Ludovicus Pius confirmarunt, tum Concilia Gallicana maximopere commendarunt, et promoverunt. Cronogangi regulam, agente potissimum Ludovico Pio an. 816. pleniorum dedit Synodus Aquisgranensis, Canonisque omnibus servandam proposuit: (\*\*). et in Con-



cilio Romano an. 826. agente Eugenio II. ea Clericis præscripta est vivendi methodus, ut intra claustra monachorum more degerent, unam habentes mensam, unum dormitorium, et communes reliquas officinas: *Can. III. Caus. 12. Q. I. (\*)* Ex quo tempore in omnibus pæne Gallicanis Ecclesiis Cathedralibus, et Parochialibus, atque adeo (collapsa monastica disciplina) in ipsis monachorum claustris communis clericorum vita instituta est. Fœminæ quoque canonicam admiserunt vitam, novumque inde genus velatarum virginum invaluit; nimirum, ut quædam Monachæ, quædam Canonice essent.

VII. Jam vero sive ex barbarorum incursionibus, sive aliis ex caussis sæculo x. exeunte, et xi. ineunte in omnibus pæne Ecclesiis communis Clericorum vivendi regula jam defecerat, quum mox viri doctrina, ac pietate illustres, quo Ecclesiæ damnis ob corruptos clericorum mores mederentur, collapsam canonicam vitam instaurare adgressi sunt. Petrus Damiani in Italia, Ivo Carnotensis in Gallia, Ecbertus Eboracensis in Anglia, aliique veterem vivendi normam iterum induxerunt, votis insuper monasticis eam adstringentes, in quo à Canonicis Aquisgranensibus distinguebantur, quibus patrimonio non renuntiare suo permissum erat.

(\*\*) VIII. In Hispania nulla primis quinque sæculis reperimus vitæ communis clericorum semina. Id cœpit medio sæculo vi. uti colligitur ex Syn. Tolet. II. *Can. 1.* evincitur ex Tolet. III. *Can. v.* et in Oscensi an. 598. *Can. 1.* aperte conspicitur; quæ quidem viguisse videtur sæculo vii. ut indicat Syn. Tolet. IV. *Can. xxiii.* alias *xxii. (\*)*

(\*\*) IX. Sæculo vero viii. inopinata Saracenorum incursionē Hispania exagitata, pristina omnino cecidit Ecclesiæ disciplina, donec ejusmodi dira tyrannide à religiosissimis Regibus depulsa, cœperunt Episcopi in sua unusquisque Ecclesia antiquam vitæ communis societatem sub D. Augustini, ita vocata regula, instituere. Eam in tota ejus Provincia instituit Syn. Compostellana an. 1056. *Can. 1.* in quo decernitur, quod Canonici omnes habeant *unum Refectorium, unum Dormitorium, silentium observent, ad mensam lectiones sanctas semper audiant, vestimentum usque ad talos induant,*



duant, *Cilicium apud se habeant, et Capellos nigros.* Eam quoque in Toletana Ecclesia Mahometi superstitione recens expurgata instituit Bernardus Archiepiscopus an. 1036. quæ non diu constitit; ab ea enim Canonicos partim dispensavit Raymundus Archiepiscopus an. 1128. partim dein Cebrenus eodem exeunte sæculo, vel ejus successor Gonzalus, ita ut Card. Ximeni tempore vix aliqua regularis disciplinæ exstarent vestigia. Unde in omnibus Hispaniæ Cathedralibus vel exolevit tractu temporis canonica vivendi forma, vel Pontificum Rom. indulgentia cessavit, una excepta Pampilonensi, in qua eodem ferme tempore quo in Toletana, Monasticam vitam constituerat Petrus ejusdem Civitatis Episcopus, ut adparet ex Bulla Paschalis II. die 4. Maii an. 1110. et Lucii II. 31. Januarii an. 1114. (\*)

X. Quum vero non omnes clerici communem illam, ac pæne monasticam amplecterentur vitam; hinc Canonicis sic dictis Sæcularibus aditus patefactus est. Regulares enim dicebantur, qui in Episcopiis, Collegiatis, vel Monasteriis perpetuum bonis omnibus remittentes nuntium, sub Episcopo, Præposito, vel Abbate vitam ducebant: unde Augustini clerum omnino æmulabantur pari terrenarum rerum abdicatione; quamobrem et sub Augustini nomine inclaruerunt. Sæculares vero, qui perpetuis ecclesiasticis Præbendis donati, nec propria dimittentes bona, canonicum institutum, singularem suis in domibus agentes vitam, qua poterant sedulitate, observabant. Licet igitur vocabula Canonicorum Regularium ταυτολογίαν, hoc est, *eandem rem semel, atque iterum pluribus vocabulis indicatam*: et Canonicorum Sæcularium apertam exhibeant εναυτολογίαν *contradictionem*, diversos tamen ordines præ se ostendunt.

XI. Porro sensim Canonici Sæculares adeo invaluerunt, ut apud omnes fere Cathedrales Ecclesias obtinuerint, cujusmodi coetus passim Capitula dicta sunt. Tum reditus Ecclesiastici, qui primum Episcopo, et Canonicis ex æquo communes erant, in duas deinde sunt tributi partes, ita scilicet, ut alii mensam Episcopi, alii mensam canonicam, sive capitularem constituerent. Quinimmo mensa capitularis tot in partes divisa est, quot erant Canonici: id quod in aliarum etiam Ecclesiarum Capitulis, sive Collegiatis deinceps invaluit.

XII. Cathedralium Ecclesiarum Canonici, quippe qui simul cum Episcopo communem agerent vitam, ad ecclesiasticorum negotiorum administrationem tanquam consilarii, et adsessores adhibiti sunt. Hæc quidem erat antiquitas, ut alibi demonstravimus, omnium Presbyterorum, et Diaconorum prærogativa; verum instaurata Clericorum communi vivendi ratione, quum è Clericis alii in monasteriis sub Abbate, alii in Parochialibus, sive Collegiatis sub Præposito, alii demum in Cathedralibus sub ipso Episcopo canonicam vitam viverent; hos tantummodo, tanquam propius sibi adhærentes, in pastoralis officii partem advocarunt Episcopi. Verum deinde abjecta vita communi pristinae disciplinæ consuetudo restituta non est: namque Canonici Cathedralium comparatum antea jus retinuerunt, ut Episcopi Senatum exhiberent, quorum nempe consilio ecclesiastica negotia tractarentur: Qua de re Alexander III. *cap. 4. De His, quæ fiunt ab Prælato, &c.* Patriarcham Hierosolymitanum sic adloquitur: *Novit plenius tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et illi membra esse probentur. Unde non decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti, quum id non sit dubium, et honestati tuæ, et Sanctorum Patrum constitutionibus contraire.* Profecto hic Summus Pontifex de antiquissima loquitur ecclesiastica consuetudine, qua inauditum erat, ut Episcopus quidquam ageret sine consilio sui cleri, cujus jura solum deinde Cathedralis Ecclesiæ Capitulum sibi vindicavit.

XIII. Verum sanctissima hæc unitas, qua Canonici suo Episcopo, veluti membra suo Capiti adnectebantur, unumque corpus efficiebant, non diu stetit, sed paullatim disjuncta est; unde et Senatus Ecclesiastici amplitudo, et veteris disciplinæ decus omnino concidit. Usu enim sensim inductum est, ut plura sibi adrogarent Episcopi, quæ sine Capituli agerent consensu; contra vero Canonici haud pauca sibi reservarent, in quibus ab Episcopis non penderent: quinimmo aliquibus in locis eo processerunt, ut more monachorum exemptionem ab Episcopi jurisdictione sibi procurarent.

XIV. Ex iis, quæ Episcopus non advocato Capitulo age-

re nequit, præcipua sunt, Synodum Diœcesanam celebrare, in eaque Judices, et Examinatores creare, tum et constitutiones edere: *Trid. Sess. XXIV. Ref. cap. 18. et Sess. XXV. Ref. cap. 10.* Bona Ecclesiæ alienare: *Cap. 1. 8. 9. de His, quæ fiunt à Prælato sine cons. Capit.* Ecclesias, vel beneficia unire: *Clem. ult. de Rebus Eccl. non alienandis.* Caussas omnes, quæ ad jura Capituli pertineant, terminare: *ibid. cap. fin.* Reliqua vide apud Fagnanum in *cap. Quum ex injuncto de Novi Operis nuntiatione.* Ceterum attendendæ sunt locorum consuetudines.

XV. At contra capitulo nonnulla competunt independentè ab Episcopo: uti Instituta, seu Statuta facere, quæ sua negotia respiciant, in Canonicos immorigeros, aliosque Clericos Capitulo subjectos pœnis levioribus animadvertere, propriam arcam habere, et sigillum, mensæ Capitularis reditus administrare, aliaque.

XVI. Jam vero antequam hinc egrediamur, hic *παρρησια* obiter observare juvat, Patres Tridentinos etiam in hoc capite veterem disciplinam, pristinamque presbyterii auctoritatem instaurare exoptasse; at Canonicis nimium suis exemptionibus addictis rem nonnisi ex parte perfecisse.

1 Igitur Episcopis jure Tridentino competit *in Choro et in Capitulo prima sedes, et locus, quem ipsi elegerint.*

2 Præcipua rerum omnium agendarum auctoritas; unde si aliquid Canonici ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant: *Sess. XXV. Ref. cap. 6.*

3 Tum Episcopis jus tributum est, ut cum consilio Capituli singulis Cathedralium Ecclesiarum canonicatibus, ac portionibus sacrum aliquem ordinem adnectant; ita tamen, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint; nisi plures, aut omnes ex laudabili consuetudine sint Presbyteri: *Sess. XXIV. Ref. cap. 12.*

4 Episcopis facultas est impertita, ut invisere possint, corrigere, et emendare auctoritate Apostolica Capitula etiam exempta, eorumque personas, vel per se ipsos, vel adjuncta illorum, quos voluerint, opera: *Sess. VI. Ref. cap. 4.*

5 Demum extra visitationem Episcopi in Canonicos, etiam

Capituli exenti, animadvertunt, duobus tamen adjunctis Canonis principio cujuscunque anni ab ipso Capitulo deputandis; licet in atrocioribus delictis, ubi de fuga timetur, initio possit solus Episcopus ad summariam informationem, et necessariam detentionem procedere.

XVII. Canonorum officia alia sunt cum reliquis Clericis communia, alia ipsis peculiaris. Primi generis sunt: castitatem, sobrietatem, vitæ integritatem præferre, in Sacrarum Litterarum, Canonumque studia incumbere, rerum mundanarum pompas, fastumque contemnere &c. Canonis peculiaris sunt ordinis præbendæ suæ addicti defungi ministerio, proprium suæ dignitatis, personatus, vel officii munus sedulo exercere, demum in choro ad psallendum ex suæ Ecclesiæ instituto quotidie, vel alternis vicibus adesse: (\*\*\*) Syn. Trident. *Sess. XXIV. Ref. cap. 12.* Constit. *Quum semper oblatas* Benedicti XIV. et ejusd. Instit. CVII. §. 3. (\*) Quinimmo ex more ab Ivone Carnotensi primum inducto, et à Syn. Tridentina probato, distributiones quotidianas, nimirum certas specierum, vel pecuniæ præbitiones, præsentibus tantum Canonici lucrantur: *ut ad quas horas canonicas panis interni refectio non movebat, panis corporei refectio provocaret:* uti loquitur Ivo Carnotens. *Epist. ad Paschalem Papam.*

XVIII. Jam vero ex dictis illud pronò alveo fluit, Canonicos lege residentie teneri, adeo ut ultra tres menses à propria Ecclesia quolibet anno abesse nequeant: Trid. *Sess. XXIV. Ref. cap. 12.* At non desunt quædam Canonibus probatæ causæ, quæ Canonicos ultra definitum spatium abesse patiuntur: veluti si absint negotia curaturi ad Ecclesiam spectantia, modo non sint ultra duos: *Cap. 13. de Clericis non residentibus.* Tum si Episcopi venia Sacris Canonibus dent operam, vel Theologiæ in aliquo probato Gymnasio; (\*\*\*) tam discentes, quam docentes: *Cap. fin. de Magistris.* (\*) Porro absentes licet justis ex causis, lucrantur quidem fructus præbendarum, quos *grossos* vocant: minime vero quotidianas distributiones, quibus duntaxat præsentibus fruuntur: has vero, licet Choro non intersint, ii lucrantur, qui animarum curæ Capitulo, vel suæ dignitati, aut Canonicatui perpetuo adnexæ incumbunt, dum reliqui officia in choro actu persolvunt: veluti Parochus,

chus, Pœnitentiarius, quousque audiendis confessionibus revera vacet, et Canonicus Theologus ea die, qua Sacræ Scripturæ lectionem habet.

XIX. In promovendis ad Canonicatum plura requiruntur. 1. Ordo Canonicatui adnexus, vel saltem, ut intra anni spatium eo initiari possit. 2. Legitima ætas; nimirum in meris Canonicatibus sufficit ætas 14. annorum; dignitates curam animarum adnexam habentes annos requirunt 25. reliquæ vero annos 22. completos. Verum ubi ex Tridentini Decreto jam singulis Canonicatibus sacer aliquis ordo fuerit adnexus, profecto quisque etiam merus Canonicatus ætatem requirit saltem annorum 21. 3. Theologiæ, et Sacrorum Canonum scientia; Episcopis enim jus est Canonicis præsertim Cathedralibus in fascis Episcopalis levamen utendi.

(\*\*) XX. Præterea Syn. Trid. eodem *Cap. 12.* Canonicos constringit ad Fidei professionem coram Episcopo, vel ejus Vicario, et coram Capitulo intra duos à possessione adepti menses, sub pœna amissionis fructuum faciendam. Ad hæc hortatur eadem *Sancta Synodus, ut in Provinciis, ubi commode fieri potest, Dignitates omnes, et saltem dimidia pars Canonicatum in Cathedralibus, et Collegiatis insignibus, conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico.* Quod quidem observandum in suis Provinciis constituerunt Syn. Tollet. an. 1565. *Actione II. Ref. cap. 29.* et Compostellana ejusdem anni *Act. III. Decret. 33.* (\*)

XXI. Sede Episcopali vacante in Capitulum jurisdictionis Episcopalis potestas transfertur: *Cap. 14. de Majoritate, et obedientia; et Cap. unic. eodem in VI.* Profecto rationi consonum omnino est, ut qui simul cum Episcopo Ecclesiam regunt, eandem Sede vacante etiam administrent. Unde Deciana persecutione furente, quum abesset Cyprianus, Clerus Carthaginensis Ecclesiæ regimen suscepit: eademque persecutione extincto Fabiano Clerici Romani Ecclesiam interim administrarunt, eoque nomine se *Præpositos* dixerunt: *Epist. 3. ad Cler. Carthag. inter Cyprian.* Capitulum igitur Sede vacante Ecclesiæ suscipit regimen non alieno mandato, vel delegatione, sed potius jure proprio, ac primigenio,

nio, quo antiquitus simul cum Episcopo regebat Ecclesiam: Cardinalis de Luca *Discursu* 31. in *Conc. Trid.* Quamobrem perperam aliqui Canonistæ inter jurisdictionem distinguunt necessariam, et voluntariam; atque illa Capitulum frui autumant, ista non item: rectius alii discrimen agnoscunt inter jurisdictionem ordinariam, et delegatam, illamque, non vero istam in Capitulum transferri contendunt.

XXII. Jam vero constat Capitulum Sede vacante non posse 1. exsequi, quæ ordinis sunt Episcopalis; at non prohibetur ad exercenda Pontificalia externos advocare Episcopos. 2. Neque quidquam de juribus Episcopalibus imminuere, aut innovare: qua de re omnino vetatur bona Ecclesiastica alienare, beneficia unire, aut distrahere, aliaque hujusmodi. 3. Neque beneficia conferre ad liberam Episcopi collationem spectantia, licet possit præsentatos instituere: *Cap. 1. de Institut. in VI.* Verum 4. ea beneficia, quorum collatio ad Capitulum una cum Episcopo pertinet, *ob ad crescendi*, ut ajunt, vel *non decrescendi* jus recte confert, ubi in quatuor Ordinarii mensibus vacaverint: *Cap. unic. Ne Sede vacante in VI.* 5. Demum nequit concedere Litteras Dimissorias ad Ordines suscipiendos intra annum luctus Ecclesiæ, iis tantummodo exceptis, qui beneficio sunt arctati, quos ad ordines etiam intra annum dimittit. In Regno Neapolitano ex novissimo Concordatorum jure Vicarius Capitularis non nisi cum consensu pleni Capituli per secreta suffragia impertiendo ad Ordines dimittit, et laicos clericali tonsura initiandos, qui beneficio, vel capellania arctentur, et Clericos ad beneficium, quod actu certum ordinem requirat, præsentatos, dummodo eosdem Episcopus defunctus ab ordinibus non rejecerit. Alios demum non arctatos neque post annum ad ordines dimittit, nisi expressa Sacræ Congregationis Concilii petita venia.

XXIII. Porro ex Tridentina sanctione *Sess. XXIV. Ref. cap. 16.* Capitulum sicuti pro cura bonorum Ecclesiæ temporalium unum, aut duos Œconomos constituat necessum est, qui interim mensam procurent episcopalem: ita ad jurisdictionem exercendam Vicarium, sive Officiale constitutere adigitur, qui *Capitularis* dicitur, quod à Capitulo eligatur. Quum enim experientia satis compertum sit, in re-

gimine sive ecclesiastico, sive politico parum feliciter res procedere, ubi unius non sit negotia curandi arbitrium; hinc recte primum ecclesiastica antiquissima consuetudine, dein et jure Tridentino mos inductus est, ut potestas Capituli nonnisi ab uno Vicario unius Prælati vices gerente administraretur: Trident. *Sess. XXIV. Ref. cap. 16.*

XXIV. Tempus præfinitum Capitulo constituendi Vicarium Capitularem est octiduum: quo dilapso ad Metropolitanum ejus electio devolvitur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, vel exemta, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exemta Vicarium constituit: Trid. *Sess. XXIV. Ref. cap. 16.* Verum Canonicis intra octiduum Vicarium constituere negligentibus, re integra, potest mora bene purgari; et rata habebitur electio, quam iidem ipsi tandem, antequam Metropolitana, vel alius negligentiam Capituli suppleverit, concluderint. Tum ubi contigerit Ecclesiam Metropolitanam unam cum suffraganea vacare, electio Vicarii suffraganei non ad antiquiorem suffraganeum, sed ad Capitulum Metropolitanum spectabit. Benedictus XIV. *Lib. II. de Syn. Diæces. Cap. IX. num. 1.*

XXV. Postremo negligente Metropolita, aut antiquiore, vel proximior suffraganeo, Romanus Pontifex, vel Sacra Congregatio Episcoporum constituit Vicarium; eique modo ampliores, modo limitatas mandat facultates pro lubito. Quinimmo Vicarius Episcopo aliqua de causa ab Sede Apostolica datus, is adhuc mortuo Episcopo munus idem obibat: tunc enim ob reverentiam Supremæ Sedis locus non datur electioni Vicarii Capitularis: Sixtus V. *Constit. CXVII.* et Benedictus XIV. *ibidem Cap. X. num. 9.*

XXVI. Vicarius Capitularis ex Canonicis, si qui inter eos sint Doctores, Licentiati, Jurisve-Consulti, est eligendus. Trident. *eod. Cap. 16.* At non vetantur Canonici postremum Episcopi defuncti Vicarium eligere, vel, ubi Doctores in Capitulo deficient, extraneum constituere, nisi aliquem de gremio, quoad fieri poterit, idoneum eligere maluerint: (\*\*)  
S. Congregatio Concilii 9. Septemb. an. 1594. (\*)

## TITULUS XXVI.

*De Dignitatibus, Personatibus, et Officiis.*

I. **D**ignitatis, Personatus, et Officii vocabula licet aliquando promiscue usurpentur : *Cap. 8. de Constitutionibus*: attamen revera inter se sunt distincta. Dignitas enim amplitudo quædam est, sive præ eminentia : cui administratio, et jurisdictio est adjuncta : *Leg. XIV. Dig. de Muneribus, et honoribus*. Personatus est honor nullam habens comitem potestatem, sive jurisdictionem, seu est jus præeundi reliquis Canonicis in Choro, et in processionibus : *Gonzalezius in Cap. 6. de Consuetudine*. Officium denique est simplex ministerium, sive nuda rerum Ecclesiasticarum administratio : *Cap. 38. de Simonia*.

II. Præcipuæ Cathedralium Ecclesiarum Dignitates sunt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus, Primiceriatus, Cantoratus, Thesaurariatus. Ecclesiæ Collegiatæ plerumque Præpositum habent, vel Primicerium. Porro dignitatum non idem ordo est, et numerus in omnibus Ecclesiis Cathedralibus. Atque adeo Primiceriatus, Cantoratus, et Thesaurariatus pro diversis Ecclesiarum institutis Dignitates sunt, Personatus, aut etiam meri Canonicatus. In plerisque Cathedralibus primam dignitatem obtinet Archidiaconus ; et in nonnullis Archipresbyter. Nec desunt Cathedralia, in quibus Decanus præ ipso Archidiacono primam honoris prærogativam habet. Igitur ex diversis Ecclesiarum moribus, ac præcipue ex foundationibus, et numerus dignitatum metiendus, et ordo constituendus.

III. Dignitatum, et Officiorum origo potissimum ex instituta, atque instaurata communi Clericorum vita est educenda. Tunc enim opus fuit, et iis, qui præessent, et iis qui propius Clericis curam impenderent, tum demum et iis, qui bona administrarent, ac tuerentur. Munia hæc sive officia plerumque non nisi mera erant ministeria, sive delegationes, quæ ab Episcopis pro arbitrio conferrri, adimi-



ve possent. Verum dissociata communi Clericorum vita, singulisque officiis suis constitutis redivisibus, delegationes illæ non solum in beneficia, sed et in dignitates degenerarunt, et quidem perpetuas, et irrevocabiles cum jurisdictione, ac potestate singulis iisdem propria. Adeo qui eas semel esset consecutus, iisdem exspoliari nequiret, nisi gravioribus quibusdam de causis, iisdemque in jure expressis. Atque hinc primum dignitates in Capitulis emergerunt: quibus aliæ novis foundationibus accedere. Verum ex posterioris ævi moribus omni fere ecclesiastica jurisdictione ad Episcopum revocata, Dignitates sive Cathedralium, sive Collegiatarum præter primas in Choro Sedes, aliaque honorifica jura nullam obtinent potestatem; unde Dignitates inanes, ac ventosæ à Doctoribus adpellari consueverunt: Fagnanus in *Caput Ad hæc de Præbendis num. 22.*

IV. Capituli Neapolitani veluti prærogativa est nullam habere dignitatem. Solus Primicerius, veluti primus reliquos antecedit, ex ipsorum tamen Canonicorum indulgentia; et Cimeliarcha, qui Thesaurario respondet, non modo unus est ex primario Canonicorum præbendariorum ordine, sed Præfectus etiam est Collegio Hebdomadariorum, baculoque utitur argenteo manubrio ornato in processionibus, aliisque functionibus, quas soli peragunt Hebdomadarii, in jurisdictionis, et præminentia signum cum prærogativa suffragii in eorum comitiis.

(\*\*) V. In Hispania Dignitatibus fere omnibus antiqua quoque jura perire; at non desunt, quæ jurisdictionem pristina forte amplioem obtinent, uti Archidiaconatus Birviensis in Ecclesia Burgensi, Archipresbyteratus Agrensensis in Catalaunia, Decanatus Tudelensis in Navarra Regno. (\*)

### *De Archipresbytero.*

VI. Non omnes Presbyteros, qui pluribus Presbyteris præessent, at eos duntaxat, qui omnibus Dioceseos Presbyteris essent præpositi, antiquitus dictos Archipresbyteros docet Morinus *Part. III. Exercit. XVI. cap. 2.* Parochi enim, quibus suæ Paroeciæ Presbyteri suberant, non Archipres-

byteri, sed duntaxat Presbyteri Cardinales adpellabantur. Græci Archipresbyterum vocant *πρωτοπρεσβύτερον, Ορωτοπάππυ, καὶ πρωτοίερα.*

### Archipresbyteri Origo.

VII. Quod ad hujus Ecclesiastici muneris originem spectat, sane perantiquam ejus institutionem discimus ex S. Hieronymo Epist. ad Rusticum: *Singuli, inquit, Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi &c. (\*\*)* cui adde Syn. Emeritens. *Can. x. (\*)* ubi observandum, unum in unoquoque Episcopatu Archipresbyterum fuisse, cui omnes Presbyteri tam urbani, quam rurales subjicebantur.

VIII. Archipresbyteri dignitas antiquitus in Ecclesia num pro ætate, et antiquitate ordinationis, an vero pro personarum merito delata sit, quæstio est inter Eruditos. Porro non eadem hac in re videtur fuisse Græcæ, et Latinae Ecclesiæ disciplina. In Latina enim ea religiosissime lex custodiebatur, ut seniores junioribus præferrentur. Et sane Leo Papa in Doro Episcopo Beneventano graviter offendit, quod primum ante alios honoris gradum Epicarpio Presbytero recens ordinato detulerit: quo facto Presbyterii ordinem turbatum scribit.

IX. At in Græca Ecclesia contrariam viguisse consuetudinem plura, quæ occurrunt, exempla demonstrant. Et sane Liberatus de quodam Proterio meminit, quem disertis verbis scribit à Dioscoro Episcopo Ecclesiæ Alexandrinæ Archipresbyterum fuisse constitutum; tum Gregorius Nazian. *Orat. XX.* de se narrat, quod Basilio volenti sibi primum inter Presbyteros locum adsignare non adquieverit. Jam vero secutis temporibus mos inolevit, ut Episcopi in Archipresbyteris constituendis non ætatem spectarent, aut ordinationis antiquitatem, sed potissimum pietatem, doctrinam, et ad munia exercenda dexteritatem.

X. Archipresbyter igitur proxime post Episcopum Ecclesiæ præest, tanquam Presbyterorum caput, et Princeps: qua de re absente, vel ægotante Episcopo Missæ Sacrificium offerre, Sacramenta ministrare, fontem baptismalem

benedicere, infirmos, præsertim Prælatos, oleo perungere, populo ab Ecclesia dimittendo benedictionem impertiri, Archipresbyteri munia erant: *Cap. 1. 2. et 3. de Officio Archipresb. Can. I. §. 12. Dist. 25. Benedictus XIV. Constitut. 48. Bullarii Tom. II.*

XI. Verum tam ampla dignitas aucto fidelium numero divisionem subinde passa est; ita ut plures in una Diœcesi Archipresbyteri essent, qui in Presbyteros extra civitatem, et clericos curam intenderent, dicti propterea *Rurales*, Archipresbytero urbano Presbyterorum solius Episcopalis civitatis cura reservata. Porro Archipresbyteri rurales *Decani* quoque dicti sunt. Quum enim Diœceses præsertim amplæ in plures dividi cœpissent regiones, sic dictas *Decanias*, quod singulæ decem titulos complecterentur; atque usu quoque inductum esset, ut singulis decaniis singuli præficerentur Archipresbyteri, hinc factum, ut hi *Decani* quoque dicerentur; quippe qui presbyteris, et clericis determinatæ alicujus regionis præessent, ac eorundem curam gererent: *Can. LXIV. Dist. 50.*

#### *De Archipresbyteris Ruralibus.*

XII. Porro Archipresbyteri rurales licet sint velut Pastores Pastorum, atque adeo omnium sui districtus clericorum curam agant; haud tamen horum intuitu, ut ordinarii, habendi sunt, quum ejusmodi potestatem ex commissione, et delegatione Episcopi quasi jure delegato duntaxat accipiant: unde ad nutum Episcopi amovibiles plerumque constituuntur, ac *Vicarii* etiam *Foranei* dici solent: tenentur tamen, utpote quibus non clericorum modo, verum et laicorum quadam ratione cura demandata est, intra sui districtus limites residere; adhæc et suas regiones quam frequenter invisere: qua de re à cunctis earundem clericis honor ipsis præstandus est, et obsequium. *Tanquam vigiles*, inquit Synod. Provinc. Neap. an. 1699. Tit. IX. cap. 3. *qui custodiunt civitatem, regiones sibi commissas obire, et per-lustrare non desinant: atque ut id cum majori diligentia, et alacritate præstare possint præcipit S. Synodus, ut à cunctis Ecclesiasticis honor ipsis, et reverentia exhibeatur.*

XIII. Igitur Archipresbyterorum ruralium præcipua ex jure novo munia sunt: 1. sui districtus Parochias identidem lustrare. 2. Festorum dierum cultum sedulo tueri. 3. De delictis, si quæ ab Ecclesiasticis patrentur, quamcitius Episcopum admonere. 4. Inquirere num Parochi sui muneris partes adimpleant. 5. Ad Episcopum referre, si qua scandala in Diœcesi oriantur, aut abusus inducantur, eadem Syn. Provinc. Neap. *ibidem*. Qua de re nonnisi viri probatæ virtutis, et maturæ ætatis in istiusmodi officium adsumendi sunt.

#### De Archipresbytero Urbano.

XIV. Archipresbyteri Urbani prærogativæ, et munia magis ex singularum Ecclesiarum usibus, et institutis, quam ex jure scripto metienda sunt. Illud hic duntaxat est observandum, in eo nimirum Urbanum à Rusticanis Archipresbyteris discrepare, quod hi merum habere officium censeantur, et quidem jure delegato, ille vero Cathedralis Ecclesiæ dignitas sit, suaque munia jure habeat ordinario, quæ Episcopi arbitrio tolli, diminuique nequeant: quumque illis adenseatur Ecclesiæ muneribus, quibus cura animarum est adnexa, hinc ad eam is promoveri poterit, qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit, et doctrinæ fulgore, morumque integritate simul commendetur: *Cap. 7. de Electione* §. 2. Syn. Trid. *Sess. XXIV. Ref. cap. 12.* (\*\*). In Hispania quondam tertiæ bonorum Ecclesiæ partis ministratio Archipresbytero credita erat: Syn. Bracar. I. *Cap. VII.* alias *Can. XXIV.* (\*)

#### De Archidiacono.

XV. Archidiaconus tanquam Diaconorum Princeps, et Rector adpellari quoque consuevit *Diaconus Cardinalis*: *Can. V. Dist. 93. Prior Diaconus*: *Cap. unic. de Scrutinio in ordine faciendo*. Perantiquam ejus institutionem prodit modo laudatus Hieronymi locus, in quo idem illud observandum occurrit, quod de Archipresbytero notavimus nimirum in unaquaque Ecclesia unum duntaxat fuisse Archidia

diaconum ; qui mos ad nostram usque ætatem in omnibus fere Ecclesiis perdurat. (\*\*). At quum Archidiaconi olim in diversis Diocesium Pagis constituti essent , ac deinde solitariae vitæ pertæsi ad Sedis Episcopalis Ecclesias sese pedentim receperint , inde est , quod in singulis fere Hispaniarum Cathedralibus plures exstent hodie Archidiaconi , qui tamen adhuc antiquos locorum titulos retinent ; una excepta Pampilonensi , quæ ab ipsius institutionis exordio binos obtinet ejusdem Ecclesiæ Archidiaconatus , Camerae scilicet , et Tabulæ. (\*)

XVI. Hujusmodi dignitatem jam inde à sui institutione non ætatis , aut antiquitatis , sed meritorum intuitu semper fuisse collatam , et plura Ecclesiasticæ historiæ monumenta probant , et potissimum illud Hieronymi Epist. 65. ad Evangelium : *Diaconi* , inquit , *eligant de se , quem industrium noverint , et Archidiaconum vocent*. Unde illud quoque patet , Archidiaconum , nonnisi ex Diaconis eligi consuevisse , qui principem inter ipsos locum obtineret.

XVII. Quod autem Archidiaconi munia spectat , sicuti Diaconi generatim ministri erant Episcoporum , et Ecclesiæ ; ita ille veluti præcipuus erat Episcopi minister in functionibus exterioribus , præsertim temporalibus. Qua de re ipsius erat Episcopo sacra peragenti ministrare , calicem populo præbere , postquam Episcopus panem distribuerat , eique in sacris concionibus præsto esse. Ipse præterea inferioribus clericis in Ecclesia ministeria dispensabat , eosque , quod et hodiedum viget , quum ordinarentur , ad Episcopum adducebat , atque eorum mores cognoscens , si quas inter ipsos exoriri lites sentiret , eas aut componere satagebat , aut Episcopo indicabat. Ipsius etiam muneris pars erat populo jejunia , et dies festos indicere , oblationum , aliorumque Ecclesiæ redituum curam agere , ratamque clericis portionem erogare , pauperibus tandem , viduis , et virginibus prospicere ; haud immerito igitur Episcopi manus , et oculus adpellatus : (\*\*). *Capit. 7. de Officio Archidiaconis*. In Hispania Archidiaconis etiam tertiæ oblationum partis ministratio credebatur : Syn. Bracar. I. præf. *Cap. VII*. Secretarii Conciliorum munus quandoque exercebant : Syn. Tolet. IV. *Can. IV*. criminosos ad poenitentiam vocabant : Syn. Coja-

een-

censis an. 1050. *Cap. IV.* et clericos ab Episcopo ordinandos offerebant : ead. *Syn. Cap. V. (\*)*

XVIII. Jam vero munia hæc , de quibus fusius in nostris *Antiquitatibus Christianis* agemus , Archidiaconus non tam jure suo exercebat , quam Episcopi jussu ; ita ut integrum esset Episcopo eorundem exercitium etiam alteri , præsertim Archipresbytero , committere , ut *ibidem* productis veterum testimoniis demonstrabimus.

XIX. Tam late patens Archidiaconi potestas secutis temporibus non intra solius Cathedralis Ecclesiæ , aut civitatis Episcopalis ambitum se continuit , sed per universam sese explicuit Diœcesim ; adeo ut haberetur veluti Generalis Episcopi Vicarius , alteramque ab Episcopo dignitatem obtineret. Ex hac porro ejus potestate factum est , ut tanquam Episcopi delegatus , vel eo absente , vel Sede Episcopali vacante , episcopalem in omnes exerceret jurisdictionem , et ex jure communi tanquam judex ordinarius suos constitueret ministros , quibus illam demandaret : *Cap. I. de Officio Archidiaconi* : id quod ad sæculum usque XII. obtinuisse videtur , ex quo tempore Episcopi Archidiaconorum potestatem tanquam sibi invisam decurtare cœperunt , atque inde paullatim Vicarii generalis dignitas emersit , de quo mox redibit sermo.

XX. Monumenta , quibus permoti nonnulli Canonistæ censent Archidiaconum jam inde ab v. sæculo in Presbyteros , atque adeo in ipsum Archipresbyterum potestatem exercuisse , supposititia sunt veluti *Cap. I. de Officio Archidiaconi* ex Concilio Toletano. Qua de re secutis temporibus illud per abusionem irrepsisse credimus : (\*\*\*) id quod indicat *Syn. Tolet. IV. Can. XXXIX.* alias *XXXVIII.* et sequenti ; (\*) tum quod Archidiaconi plerumque non ex Diaconorum , sed ex Presbyterorum ordine seligerentur ; tum vero præcipue quod Archipresbytero rerum tantummodo spiritualium administrationem gerente , Archidiaconus rebus sensibilibus , quibus homines magis adficiuntur , præfectus esset. Id quod deinde Gratiani auctoritate , et Decretalibus evulgatis , tanquam jure communi sancitum , habitum est ; (\*\*\*) quamvis falso tributum fuerit Toletano Concilio *Cap. I. de Officio Archipresbyteri.* (\*)

XXI. Synodus Tridentina non Archidiacono, sed Episcopo duntaxat causas matrimoniales, et criminales disquirendas relinquit. Quo decreto et beneficiarias, et majores omnes Episcopo reservatas intelligi docent Canonistæ: Barbosa *Collect. num. 6.*

XXII. Ceterum jure novissimo Archidiaconi munus eo reductum est, ut Episcopo generalem ordinationem celebranti clericos ad ordines promovendos sistat: id quod licet in speciem tantummodo fieri videatur, non erit tamen à peccato immunis, si eos indignos judicans, Episcopo interroganti palam responderit, à se præsentis factos dignos esse, qui ordinentur: *Cap. unic. de Scrut. in ordin. faciendo. Benedictus XIV. de Syn. Diæces. Lib. V. Cap. III. n. 4.*

XXIII. Quod si autem ex locorum legibus, institutis, vel consuetudinibus Archidiaconus primam obtineat dignitatem, vel præfecturam in choro, nec levis honor illi præstabitur, nec pauca illius erunt munia. In sacris enim functionibus, et thurificatione ipsum etiam Vicarium præcedit, horas canonicas inchoandi, et à choro discedendi signum dat. Adhæc ipse Canonicos ad consilia, si quæ inter illos sint agitanda, convocat, atque, absente Episcopo, horas, viasque publicarum supplicationum indicit, tabularii, depositorumque claves, libros conclusionum, et sigillum Capituli custodit, Viaticum ægrotanti Episcopo defert. Ceterum tanta hodie erit Archidiaconi auctoritas, quantam ipsi indulerit vel Episcopi mandatum, vel Ecclesiæ institutum, vel consuetudo longissima: Trident. *Sess. XXIV. Ref. cap. 3.*

#### De Præpositis, et Decanis.

XXIV. Vigente communi clericorum vita præter Abbates, aliosque Prælatos superiores erant quoque sic dicti *Præpositi*, qui aliquam curam sub Prælati superioribus gerebant. *Præpositi*, inquit Syn. Aquisgran. an. 816. cap. 139. *qui quandam prioratus curam sub aliis Prælati gerunt. Hi tales, et tam strenui sunt constituendi, qui et vitæ probabilis sint, et ea, quæ sibi injuncta sunt, fideliter, humiliterque expleant.*

XXV. Erant quoque et *Decani*, quos Canonici, quum

communem vitam agerent, ad exemplum monachorum constituerunt, quibus interior eorum cura incumberet, quum Præpositi temporalibus negotiis intenti curam spiritualem negligenter, sæpiusque à Cœnobio abessent. Dissociata vero vita communi adhuc quidem superfuere æque Præpositi, ac Decani: verum quum illi potentia, ac reddituum opulencia inflati durius Canonicos habere cœpissent, hinc pedetentim plerisque in Cathedralibus, vel prorsus abrogati sunt, vel universa ipsis jurisdictione ademta: at contra nulla pæne est Cathedralis, cujus Capitulum Decanatum, et quidem inter præcipuas dignitates recensitum, non habeat. (\*\*). Verum Innocentius III. *Lib. I. Epist. 77.* eosdem existimat fuisse Decanos et Præpositos, qui *Priores* quoque dicti sunt, *secundum omnium ferè Hispaniarum Ecclesiarum consuetudinem.* Et sane in quibusdam Hispaniarum Ecclesiis Dignitas exstat *Prioris* vocabulo cognita. (\*)

XXVI. Decani in Canonicos, aliosque Ecclesiæ suæ clericos potestas magis ex consuetudinibus, institutis, et privilegiis, quam ex jure haurienda est. Verum ubi Decanus est Prælatum Ecclesiæ Collegiatæ de jure habet jurisdictionem ordinariam in Canonicos, aliosque Ecclesiæ suæ clericos: *Glossa ad cap. 6. de Sent. excomm. in VI.* Ceterum quæcunque Decani fuerit potestas, ea non contentiosa, sed correctoria, uti Canonistæ loqui amant, tantummodo esse intelligitur, nisi contraria consuetudine, aliove speciali titulo contentiosam quoque jurisdictionem sibi vindicet; (\*\*). qualem obtinere videtur Decanus Tudelensis in Navarra. (\*)

#### De Cantore, sive Primicerio.

XXVII. Qui in titulis Decretalium *Primicerius* dicitur, idem pæne est, ac qui hodie *Cantor* adpellari solet: dictus quidem Primicerius, tum quia primum inter Canonicos gradum obtinebat; (\*\*). Primicerius enim idem est, ac qui primus inscribitur in Cera, seu Tabula cerata: *Horat. Lib. XI. Sat. 5.* et *Jul. Cæsar Cap. LXXXIII.* (\*) Tum vero, et præsertim, quia in Cantoribus instituendis, et ad cantum in choro ducendis ejus cura versabatur: inde et aliquando *Præcentor* dictus.



XXVIII. Cantoris, sive Primicerii officium est choro præesse, ut divina officia graviter, et ordinate Altissimo persolvantur. Unde risus cohibere, et colloquia, silentium indidere, curare ne quis nimium in psallendo festinet, aut taret, aliaque hujus generis Cantoris omnino munia sunt. Atque hinc in quibusdam Cathedralibus usu receptum est, ut in suæ potestatis argumentum in festis sollemnioribus baculo argenteo utatur, quem *baculum Cantoralem* vocant. (\*\*). In Hispania Primicerii dicti sunt quoque Primicleri, quasi primi inter clericos, eisque commendata est distributio tertiæ partis oblationum inter Subdiaconos, et Clericos, prout unumquemque viderant Sacris obeundis ministeriis addictum: Syn. Emeritens. *Can. XIV.* Unde non parum illis honoris obvenit, adeoque in Conc. Tolet. VIII. Siriculo, seu Silicono datum est post Archipresbyterum, ante Episcoporum Vicarios subscribere. (\*)

(\*\*) XXIX. Præcentor, qui successisse dicitur Primicerio, in Hispania ut plurimum vocatur gallico sermone *Chantre*, et nonnunquam etiam *Capiscol*, quasi *Caput Scholæ* seu cœtus Cantorum, ut adparet in Actis Conventus Episcoporum apud Urgellum an. 1040. quibus subscribit Raymundus Levita, et *Caput Scholæ*: apud Aguirre *Tom. IV.* Ad ipsum spectabat instituere Subcantores, et congruam ipsis pendere alimoniam, præcinere in sollemnioribus antiphonas, et lectiones in choro recitaturis invitare: *Leg. V. Tit. VI. Partit. I.* quin et in quolibet Sabbato Tabulam in choro præfigere, descriptis in ea illorum nominibus, à quibus sequentis hebdomadæ officia peragenda erant: Synod. Compostell. an. 1565. *Action. II. Decr. 18.* At nunc spectanda uniuscujusque Ecclesiæ consuetudo. (\*)

### De Scholastico.

XXX. Vigente communi Clericorum vita haud raro pueri à parentibus Episcopis offerebantur, ut iisdem ducibus, ac magistris paullatim ad vitam clericalem instituerentur. Jam vero Episcopo gravioribus Ecclesiæ negotiis distento, ex ipsis in communi degentibus Clericis probatissimus aliquis seligebatur, qui pueros, et adolescentes in bonis mo-

ribus, vitæque sanctitate erudiret. (\*\*\*) Ad rem Syn. Tolet. II. Can. 1. *De his, quos voluntas parentum. . . Clericatus officio manciparit, statuimus, ut mox quum detonsi fuerint. . . in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à Præposito sibi debeant erudiri.* Expressius Syn. Tolet. IV. Can. XLIV. alias XXXIII. ad cuius normam S. Isidorus quoddam in Hispaniensi Ecclesia Collegium pueris instituendis erexit, unde Ildephonsus, et Braulio, alique pietate, et doctrina insignes prodierunt. Hæc antiqua Hispaniæ nostræ Collegia, è profunda educere oblivione proculdubio cogitans Syn. Trident. decrevit *Sess. XXIII. Ref. cap. 18.* ut in unaquaque Ecclesia Cathedrali constituantur Seminaria, ubi pueri à duodecim ætatis annis, divites propriis sumtibus, pauperes Seminarii sumtibus simul conviventes, Ecclesiasticis erudiantur disciplinis, unde Episcopus probatissimos seligere possit Ecclesiæ ministros. Consonat Syn. Toletan. an. 1565. *Act. III. Ref. cap. 27.* Philippus II. et III. *Leg. LIV. LXII. n. 2. Lib. II. Tit. IV. Novæ Recop.* et Philippus V. Adnotat. 12. *ejusd. Lib. ac Tit. Autos Acordados* Episcopos voluit à Supremo Castellæ Senatu commoneri, ut Seminaria erigere curarent; eisdemque Rom. Pontifices Seminariorum erectionem commendarunt. (\*) Porro hujusmodi vivendi ratione exoleta, quum scholæ Cathedralibus, et Collegiatis adnexæ adhuc permansissent, hinc mos quoque perduravit, ut unus è Clero earundem curam ageret, qui hodie *Scholasticus*, et interdum *Scholarchus* nuncupatur. Eiusmodi munus, quod olim simplex erat officium, sensim in Beneficium abiit: (\*\*\*) id quod constituit Syn. Lateran. an. 1162. *cap. 1. de Magistris*, dein Lateran. IV. sub Innocentio III. an. 1215. *Can. XI.* ac postremo Lateran. V. *Sess. IX.* sub Leone X. in Decr. Reformat. Curia 7. Maii. an. 1514. (\*) Quinimmo in quibusdam Ecclesiis ad dignitatis gradum evectum est: quamobrem ab hominibus vix sibi regendis idoneis ambiri cœpit, qui dignitate, et proventibus potiti proprium exsequi munus negligenter. Huic pravo usui ut prospiceret Tridentinum *Sess. XXIV. Ref. cap. 12.* sanxit, ut dignitates hujusmodi non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in Sacra pagina, vel in jure Canonico, et aliis personis idoneis, qui per se ipsos id munus explere possent, conferantur.

XXXI. Scholasticus igitur tenetur ipse per se curare, ut nonnisi probi, et docti ad adolescentes erudiendos, et informandos constituentur: adhæc et frequenter scholas invisere, ut cognoscat, num juvenus tam in litteris, quam in pietate rite instituat, et proficiat. (\*\*). In Hispania Salmantinus Scholasticus, et Oscensis, qui communi loquendi modo *Magister Scholarum* adpellatur, amplissimis potitur prærogativis, et ordinariam exercet jurisdictionem in adolescentes albo studentium adscriptos: Videsis *Leg. XVIII. XIX. et XX. Tit. VII. Lib. I. Novæ Recop.* (\*)

*De Thesaurario, sive κειμηλιάρχῳ.*

XXXII. Qui sacra vasa, et pretiosas Ecclesiæ suppellectiles custodit à Græcis κειμηλιάρχῳ *Cimeliarcha* dictus à Latinis *Thesaurarius*, maximæ, in Ecclesiis, præsertim Orientalibus, dignitatis, et auctoritatis fuisse ex Justiniano discimus, qui *Viri Reverendissimi* titulum, quo tunc Episcopi distinguebantur, ipsi tribuit: *Leg. fin. Cod. de Bonis auct. Jud. possid.* In Ecclesiis etiam Occidentalibus jam inde ab Innocentii III. ætate inter dignitates fuisse recensitum patet ex *Cap. 32. de Offic. et potest. Jud. Deleg.* Quinimmo ipse Innocentius *Lib. I. de Regest. Epist. 176.* Sacristam, qui Thesaurario respondet, dignitatis titulo decoraverat.

XXXIII. Moribus hodiernis Thesauraria, vel simplex officium est, vel Beneficium, vel Dignitas. Verum ex quo Dignitates Cathedralium, uti modo ex Barbosa notavimus, inane aliquid evasere, in Thesauraria Officium à Dignitate separatum est, adeo ut uni, qui proprie dicitur Sacrista, vasorum, utensilium, reliquarum oblationum, aliorumque hujus generis cura demandetur; alteri dignitatis prærogativa inter Canonicos tribuatur, nulla vero jurisdictio. In Ecclesia Neap. ut alibi observavimus, *Cimeliarcha* non modo unus est ex primario Canonicorum Præbendariorum ordine; verum et Hebdomadariis præest.

## De Canonico Theologo.

XXXIV. Concilium Lateran. IV. sub Innocentio III. dua nova officia constituit, scilicet *Theologum* (\*\*\*) mercede conductum temporaria, (\*) et *Pœnitentiarium*. Ac primo sanxit, ut unaquæque Metropolitana Ecclesia Theologum habeat, qui Sacerdotes, aliosque Clericos sacras Scripturas doceat, et in his præsertim informet, quæ ad curam animarum pertinent. (\*\*\*) Id quod jam prius sanxerat Syn. Lateran. III. sub Alexandro III. dein Lateranens. IV. *Can. XI.* tum Basileen- sis *Sess. XXXI.* de Collat. Benefic. §. 2. ac postremo Late- ran. V. *Sess. XI.* Constit. *Primitiva illa* Canonicum Theolo- gum in singulis Ecclesiis Cathedralibus, ac Metropolitanis decrevit, institui. (\*) Hoc saluberrimum decretum Synodus Tridentina non modo firmavit, verum et id in ceteris Cathe- dralibus Ecclesiis, atque etiam Collegiatis in aliquo insigni oppido existentibus omnino servandum constituit. Tum ad- junxit, ut ubi nulla Præbenda huic officio deputata repe- riatur, Præbenda quomodocunque præterquam ex causa resignationis, primo vacatura ad eum usum ipso facto per- petuo constituta, et deputata intelligatur.

XXXV. Theologicalem Præbendam nonnisi prævio con- cursu conferendam Constitutione *Pastoralis* an. 1725. motu proprio edita jussit Benedictus XIII. Tum methodum in con- cursu super textu sacro servandam præscripsit.

XXXVI. Quibusnam diebus lectio Theologicalis habenda sit expresse non edixit Syn. Trident. Verum qua hora, qui- busve diebus; tum super quo Sacræ Scripturæ libro præ- legendum sit, arbitrio Ordinarii relictum voluit Sacra Congreg. apud Garciam de Beneficiis *Part. III. cap. VII. n. 155.* (\*\*\*) At Lateran. V. cui potissimum adscribi debet hujus Præbendæ institutio, singulas saltem lectiones per hebdo- madam Canonico Theologo habendas præscribit loco *laud.* et decernit, ad id adstringi posse à Capitulo *per substrac- tionem fructuum totius hebdomadæ.* (\*)

(\*\*\*) XXXVII. Hanc à Tridentino latam sanctionem pro Sacræ Scripturæ Lectore renovavit Syn. Tolet. an. 1565. *Act. II. Ref. cap. 28.* id adjiciens, ut non aliis quam Licen-  
tia-

tiatis, Doctoribus, aut Magistris in Sacra Theologia, neque aliter quam prævio concursu ejusmodi Præbenda confertur. Addeſis Compoſtellana ejusd. an. *Act. II. Decret. 34.* Methodum præterea conſtituit eadem Syn. Tolet. *ibid.* ut Lectorales (ita in Hispania adpellantur) facilius diſcipulorum mentes ſacris doctrinis imbuant. Tum et *hortatur* eadem *Sancta Synodus Canonicos juniores, et alios Eccleſiæ Cathedralis Miniſtros, necnon et quoscuſque civitatis, vel oppidi Clericos. . . . ut Lectorem ſic prælegentem audiant, quo et animos divinis ſtudiis excolant, et exercean, atque ab otio, quod multorum malorum cauſſa eſſe ſolet, removeantur.* Poſtremo ipſa Syn. Tolet. *præf. capit.* ad quotidianum docendi penſum Lectoralem adigit. Compoſtellana vero eadem *Act. II. Decret. 36.* ſtatuit, quod *teneatur omnibus profectis diebus lectionem publice legere loco et tempore ab Epifcopo designando.* Et *Decr. 39.* diem Jovis, et totos Julii, Auguſti, et Septembris dies excipit, atque *ibid.* jure optimo ſolvitur ab onere choro intereſſendi dum legit, præterquam ad *Missam Majorem.*(\*)

#### De Canonico Pœnitentiario.

XXXVIII. Theologo ſuppar eſt Pœnitentiarius. Eadem enim Lateran. Synodus *Can. x.* ſanxit, ut *tam in Cathedralibus, quam aliis Conventualibus Eccleſiis viri idonei ordinarentur, quos Epifcopi poſſent coadjutores habere in confeſſionibus audiendis, et pœnitentiis injungendis.* Epifcopi igitur quosdam ex Sacerdotibus ſeligere cœperunt, quibus criminum quorundam abſolutionem reſervarunt: in ordinariis enim ſuo quilibet Parocho confitebatur. (\*\*). Hujus igitur Pœnitentarii originem ab ipſo Decianæ perſecutionis tempore repetere poſſumus, ex Socrate *Lib. V. Cap. 19.* (\*)

XXXIX. Verum licet ſingularis iſte Confeſſarius designatus eſſet; nemo tamen vetabatur, quin Epifcopum adire, eique ſuam conſcientiam pandere poſſet: qua de re quum tunc temporis frequentiores ad Epifcopum confluerent, Epifcopi præſbyterum prudentia, ac pietate præſtantiorem eligere inſtituerunt, ad quem, veluti ad alterum Epifcopum, omnibus patèret accessus, quemque *Confeſſarium, aut Pœ-*

*nitentiarium generalem* nuncupavere. Hunc porro tum inferiores Confessarii, et Pœnitentarii in casibus dubiis consulere poterant, tum ad eum, tanquam ad Episcopum, graviorum criminum absolutio, et pœnitentiæ impositio referbantur.

XL. Pœnitentarii officium à Decreto Lateranensi inductum Synodus Tridentina non modo probavit, verum et eidem præbendam proxime vacaturam adfixit. Præcepit vero, ut sit Magister, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, et annos quadraginta natus, nisi aliter pro locorum diversitate utilitas, vel necessitas postulaverit. Hic autem juxta Tridentinum, dum pœnitentium in Ecclesia excipit confessiones, in choro adesse censetur, æque ac si reipsa ibi præsens esset. Tandem ex modo indicata Benedicti XIII. Constitutione Pœnitentarii munus non nisi prævio concursu conferendum est; alias irrita habetur collatio.

XLI. Pœnitentiarium, æque ac Theologum, nullam in Capitulo habere *excois potestatem*, neque inter dignitates, sed inter canonicos servato collationis, possessionisque antiquioris ordine sedere decrevit S. Congregatio Concilii an. 1699. At alicubi dignitatem ex fundatione, vel statuto obtinere testatur Espenius *Part. I. Tit. XII. cap. III. num. 13.*

XLII. Pœnitentarius licet vi sui officii in confessionibus audiendis sit veluti Vicarius natus Episcopi, atque adeo à jure facultatem habeat audiendi confessiones pœnitentium totius Diœcesis, et jurisdictionem absolvendi à peccatis, sitque veluti Ordinarius Diœcesis confessarius; attamen ex veriori sententia non habet potestatem alios delegandi, neque etiam ad unum tantum reservatum, sive ad nudum ministerium. Ita S. Congregatio Concilii an. 1597. et Syn. Diœces. Neap. Cantelmi *Part. II. Cap. VI. num. 28. (\*\*)* Immo ordinariam non esse Pœnitentarii facultatem, sed ab Episcopo delegatam, declaraverat mox laud. Synod. Compostellana *Act. II. Decr. 38.* quam scilicet si *ipsi Episcopo visum fuerit, absque ulla exterioris judicii forma aut strepitu limitare, aut penitus revocare possit.* Tum et in eod. Decreto Pœnitentarii munia accurate describit; eumque

*Decret.* 39. à chori interessentia eximit quandiu suo fungitur officio ; denique eidem *Decret.* 37. Visitatoris et Provisoris munus adsumere interdicit. (\*)

(\*\*) *De Canonico Magistrali.* (\*)

(\*\*) XLIII. Quum sæpius laud. Concilium Lateran. IV. nedum *Sess.* xv. Magistrum ad informandos in Grammatica Clericos ac pauperes, et Theologum, qui Sacerdotes in Sacris exponendis Litteris instrueret, sed et in unaquaque Ecclesia Cathedrali quendam veluti Episcopi Vicarium instituendum decreverit *Sess.* x. cujus nomine et fidelibus verbum Dei ministraret, et eorum exciperet confessiones, inde duæ emanarunt Præbendæ sic dictæ de *Officio*, Pœnitentiaria, de qua supra, et Magistralis ad Evangelium populo adnunciandum. Non tamen videtur Præbenda hæc recens invecta in Hispaniæ Cathedralibus, immo ejus origo ad Concilium Matritense anni 1473. referenda videtur. Eadem etiam Syn. Compostellana *Act.* II. *Decret.* 35. ita sanxit : *Qui Magistralis Præbendam, hoc est Prædicatori assignatam obtinuerit, tenebitur omnibus his diebus sermonem habere ad populum, qui vel confirmatis ab Episcopo statutis Ecclesiæ, vel antiqua consuetudine jam sunt præscripti, et insuper quando ab Episcopo ob rationabilem causam occurrentem, in Ecclesia Cathedrali, seu in alia ejusdem civitatis ipsi fuerit peculiariter injunctum.* Vel quoties Episcopus illi id muneris injunxerit, uti constituerat Syn. Tolet. *Act.* III. *Ref. cap.* 4. statuta in illum pœna pecuniaria arbitrio Episcopi Ecclesiæ fabricæ adplicanda, cum onere itidem substituendi alium ejus expensis concionatorem. Ad hæc decreverat *ibid.* ead. Syn. Tolet. ut Dignitates omnes, et Canonici, Magistralis interessent prædicationi sub amitendi distributionem pœna. Et ut debite suum posset exsequi munus octo dies absentiae pro uniuscujusque concionis efformatione indulgebat præf. Syn. Compostell. *Act.* II. *Decret.* 39. At diversa sunt hodie statuta, vel consuetudines. (\*)

(\*\*) *De Canonico Doctorali.* (\*)

(\*\*) XLIV. Hujus, sicuti et Magistralis Præbendæ institutio à Concilio Matritensi repetenda videtur, ubi inter alia id constitutum est, quod Sedis Apostolicæ auctoritate bini instituerentur Canonici, quorum alter Theologo, alter Jurisperito obveniret. Videsis Aguirre *Tom. IV.* ante Concil. Arandense; quem quia Doctorali esset laurea donatus Canonici Doctoralis adpellatione decorarunt. Quæ tamen munia huic Canonico adsignaverint Ecclesiæ, minutim recenset sæpius laud. Syn. Compostell. Act. II. Decret. 35. *Qui Doctorali Præbenda potitur, teneatur in omnibus negotiis ad Ecclesiam Cathedralē pertinentibus sententiam suam verbo, aut scripto, prout requisitus fuerit, adferre, atque in eisdem patrocinari. Ad idem teneatur in caussis, quæ ad Dignitatem Episcopalem spectant, dummodo inter Capitulum, et Episcopum non controvertantur; tunc enim suo Capitulo adesse honestius erit. Erit etiam sui muneris, quum ab Episcopo, vel Capitulo ad id requisitus fuerit, judicem in ea civitate ubi est Cathedralis Ecclesia commorantem adire, de caussis et negotiis Capituli, vel Episcopi modo supradicto verbo, aut scripto, quum opus fuerit, instruere, omni excusatione remota, quod tamen urgenti necessitate injungi debet, atque hæc quidem omnia gratuito.* Quocirca quum sese ad suam aperiendam sententiam recipit, si verbo, per duos, si scripto per quatuor dies à chori interessentia dispensatur *Decret. 39.* Verum alia sunt etiam Doctoralis munia juxta diversa Ecclesiarum statuta, et consuetudines. (\*)

(\*\*) XLV. Præbenda hæc, quæ uti Magistralis libere quondam conferebatur, post Tridentinum vero nonnisi prævio concursu collata est, quemadmodum, et reliquæ *de Officio.* Id etiam præscribitur in Concordato an. 1753. *art. 2.* et concursus forma constituitur, quæ ab eadem Syn. Compostellana *Act. II. Decret. 34.* desumpta videtur. (\*)



## TITULUS XXVII.

*De Vicario Generali Episcopi.*

I. **E**x diminuta Archidiaconi potestate paulatim consuetudo invaluit, ut Episcopi in præcipuis sui muneris adimplendis partibus alteri cuidam Clerico, veluti vices committerent suas, qui propterea et Officialis, et Vicarius Generalis dictus est. Quum enim Archidiaconi sua potestate ita abuti cœpissent, ut nonnunquam in ipsos insurgerent Episcopos, profecto exorbitans hæc, et ultra modum crescens ambitio Episcopos tandem movit, ut de ea cohibenda, ac delenda cogitarent. Ut autem ministros haberent, per quos suam exercere jurisdictionem possent, Archidiaconis Vicarios substituerunt: quorum mandata quum pro lubito revocare possent, minus ab ipsis, quam ab Archidiaconis, sibi metuendum crediderunt.

II. Verum hanc consuetudinem nonnisi sæculo XIII. primum obtinuisse ex eo conficit Thomassinus *Part. I. Lib. II. cap. 8.* quod nec Gratiani Decretum, nec Collectio Gregoriana Vicariorum Generalium meminerint: quorum originem Concilio Lateranensi IV. recte adscribi posse censet. Profecto ejus Synodi Patres Episcopos hortati sunt, ut si quando non possent numeros omnes implere sui muneris, adjuutores sibi arcesserent, et cooperarios, à quibus ad pietatem instruantur, regantur, visitentur Dioceses: *Vice ipsorum, quum per se iidem nequiverint*: Cap. 15. de Officii Jud. Ordinarii. Huic Synodico instituto quum Episcopi obsecuti fuissent, brevi ubique gentium inter Catholicos Vicarii Generales obtinere medio sæculo XIII. (\*\*). Nisi dicas, hoc Lateranense Decretum, de Vicario scilicet ab Episcopis eligendo ad verbum Dei prædicandum, et fidelium confessiones excipiendas, occasionem dedisse Pœnitentiariæ, et Magistralis Præbendæ, non Vicarii, hoc est Judicis Ecclesiastici institutioni, atque adeo Vicarii Generalis initia repetenda esse à tempore, quo judicialis forma in Ecclesiastica tribunalia inducta est, nimirum post evulga-

tam Gregorii IX. Collectionem. (\*) Unde in VI. Decretalium Titulus occurrit *de Officio Vicarii*, qui totus est in illustrandis Episcoporum Generalibus Vicariis, eorumque muneribus: (\*\*) cujus quidem Caput primum ex Epistola Innocentii IV. an. 1250. deductum est. In Hispania sæculo XIV. ineunte Episcoporum Vicarios ad Jus dicendum electos invenimus in Syn. Vallisolet. an. 1323. *Cap. VII.*(\*)

III. In Italia nullum omnino est discrimen Vicarium Generale inter, et Officiale. Unus enim idemque tum in spiritualibus administrandis, tum in jurisdictione contentiosa exercenda vices Episcopi gerit: quam Italiæ praxim Syn. Tridentina secuta est *Sess. XXIV. Ref. cap. 16.* ubi Officiale cum Vicario confundit. At in Gallia, aliisque ultramontanis regionibus Officialis à Vicario diversus est. Officialis enim dicitur, qui in forensibus Episcopales adimplet partes; Vicarii autem potestas in iis versatur, quæ voluntariæ jurisdictionis sunt, adeo ut Vicarius limites suæ jurisdictionis transgrederetur, si servata iudicii forma partes coram se citari juberet.

IV. Igitur Italiæ more omnis caussarum cognitio, quæ ad Episcopum pertinet, ad Vicarium transfertur: toto titulo *de Officio Vicarii in VI.* et quidquid Leges Episcopo tribuunt, tributum quoque intelligitur Vicario. Quod tamen haud ita intelligas, quasi omnis prorsus Episcopi jurisdictionis in Vicarium generali officii delegatione transferatur: plura enim sunt, quæ, nisi Episcopus speciatim mandet, præstare vetatur.

V. Qua de re Vicarius Generalis sine speciali mandato criminales caussas non cognoscit, neque matrimoniales, nec quaslibet alias soli duntaxat Episcopo delegatas: tametsi, quæ Episcopo, vel Ordinario loci sine particula taxativa, quæ industriam personæ requisitam indicet, mandat Tridentinum, ea vel Vicario commissa censentur, vel saltem ipsi ab Episcopo speciatim committi poterunt.

VI. Præterea nec beneficia confert: *Cap. 3. eodem in VI.* nec iis permutandis, uniendis, erigendisve adsensum impertitur: *Cap. 5. de Rerum permutatione, et Can. 19. de Consecrat. Dist. I.* Porro instituit præsentatos à patronis, causasque beneficiarias de pertinentia, et quasi possessione

juris patronatus cognoscit: *Cap. 3. de Institutionibus*: Non visitat Diœcesim, nec Synodum cogit. A Papa duntaxat Vicario permittitur Diœcesanam Cleri Romani Synodum celebrare: *Benedictus XIV. Lib. II. de Syn. Diœces. Cap. III. num. 4.* Tum vetatur Capitulum Canonorum indicare, eisdem præsidere, atque adeo interesse, aut suffragium ferre: *Trid. Sess. xxv. Ref. cap. 6.* Non absolvit à casibus Episcopo reservatis, nec ab iis absolvendi facultatem impertitur: *arg. cap. 2. de Pœnit. et remiss. in VI.* Adhæc neque in irregularitatibus occulto ex crimine obortis dispensat: *Trid. Sess. xxiv. Ref. cap. 6.* Denique dimissorias ad ordines, nisi Episcopus in longinquis regionibus diuturnam fecerit moram, non concedit: *Cap. 3. de Tempor. ordinat. in VI.* Quæ de re potiori jure, quæ ordini Episcopali, sive ex divina, sive ex Ecclesiastica antiquissima institutione sunt addicta, exsequi prohibetur: uti Ordines conferre, Chrisma conficere, Ecclesias consecrare, indulgentias largiri &c. Postremo Metropolitanæ Vicario generali, nisi ultra duas dietas absit Archiepiscopus, in suffraganeos censuris animadvertere non licet: *Cap. 1. de Officio Ordinarii in VI.*

VII. In Vicarium Generalem quilibet Clericus adsumi potest: scilicet qui prima saltem clericali tonsura sit initiatus. Porro arcentur 1. Mendicantes: *Clement. I. de Regular. 2.* Conjugati, Clerici bigami, et minores annis viginti quinque: *Doctores communiter.* 3. Consanguinei Episcopi, civis Urbis Episcopalis, et Diœcesani gratia, odio, aliove nomine haud raro suspecti: *Syn. Rom. an. 1725. Tit. VIII. cap. 2.* 4. Parochi, Canonici Pœnitentiarii licet exteri, omnesque curam animarum habentes: *Sacra Congreg. Concilii pluribus decretis.* Demum Imperiti: quæ de re ex eadem Sacra Congregatione in Vicarium deligendus necessum est, ut in utroque, vel saltem in canonico jure lauream sit consecutus, nisi aliunde viri peritia manifesto constet: (\*\*)  
*Trident. Sess. xxiv. Ref. cap. 16. (\*)*

VIII. Illud hic jure quæri potest, Vicarii potestas ordinaria ne sit, an delegata? Sunt qui ordinariam docent. 1. Quia Vicarius semel constitutus, quæ Episcopalis jurisdictionis sunt, proprio jure exercet. 2. Quia Vicarius, licet Provicarium constituere nequeat, potest tamen causas nonnullas  
aliis

aliis delegare : porro Delegatus subdelegare vetatur. 3. Quia Vicarius nunquam Delegati nomine in Pontificum Decretalibus designatur.

IX. At contra delegatam potius censendam plura evincunt. 1. Vicarii potestas æque jure , ac consuetudine ab voluntate Episcopi ita dependet, ut eam contrahere, amplioremque reddere libere queat. 2. Episcopus Vicarium ad nutum remove ab officio , novumque constituere nullo jure vetatur. Tum 3. potest pro lubito unum , aut plures sibi constituere Vicarios , qui simul corpus unum , quod Vicariatus dicitur, componunt. Ita in Neap. Archiep. Curia duo Locumtenentes cum Vicario , veluti Tribunal quoddam constituunt, cui peculiaris quædam reservata sunt expedienda negotia. 4. Vicarii Tribunal ab Tribunali Episcopi distinctum non est : quamobrem ab Vicarii sententiâ non provocatur ad Episcopum , at vero ad eum , ad quem provocandum esset , si Episcopus ipse per se sententiâ dixisset. 5. Demum Episcopo mortuo , vel alias sua jurisdictione destituto , Vicarii potestas omnino extinguitur ; quæ propterea alia non est , quam ipsamet Episcopalis mandata , sive delegata. (\*\*). In Hispania quondam ex Clericis ejusdem Ecclesiæ Vicarii eligendi erant : Syn. Salmant. an. 1325. *Cap. I.* et in Sacris Ordinibus constituti : Dertusana an. 1419. *Cap. X.* immo vero *Sacerdotes* , vel ii qui intra sex menses ad Sacrum Ordinem , et intra annum ad Sacerdotium promoveri possent : Syn. Tolet. an. 1565. *Act. II. Ref. cap. 9.* Ex Constitut. etiam Clementis VIII. 1. Februarii an. 1601. et Urbani VIII. 16. Decemb. an. 1623. In Regnis Castellæ et Legionis Vicarii Generales in Sacris Ordinibus constituti esse debent. Visitoribus itidem quolibet triennio deputandis cogebantur Vicarii rationem reddere de justitiæ ministratiõne , ac quodocunque cessarent ab officio : Syn. Tolet. ibidem *Cap. 17. (\*)*

X. Verumtamen si eo sensu ordinariam quis intelligat, quod Vicarius jurisdictionem exercent suam intuitu officii in jure probati, eandemque non tam ab homine, quam à jure habere videatur, Ordinariam illam nuncupari posse non abnuam.

XI. Episcopus non vetatur plures sibi Vicarios constituere,

re, et quidem, vel singulis ipsorum singulas Diœceseos regiones adsignando, vel uni jurisdictionem voluntariam, aut in spiritualibus tribuendo, alteri vero contentiosam, aut in temporalibus. Quinimmo aliquando Episcopus ad plures sibi Vicarios substituendos adigitur; scilicet ubi vel duas simul unitas regat Diœceses, vel unam longe lateque patentem, vel latinis simul, et græcis subditis mixtam. Profecto Episcopus latinus, qui Italo-græcis præest, tenetur horum causas per Vicarium græcum ipsis acceptum, atque eorundem sumtibus sustentandum, cognoscere: atque adeo in gradu adpellationis Metropolitana latinus græcum quoque iudicem constituat necessum est. Benedictus XIV. *Constit. LVII. §. 9. num. 21. Tom. I. Bullarii.*

XII. Ubi accidit Vicarium ab Episcopo sua potestate privari, actus hic omnino evulgandus est; adeo ut quæ interim geruntur, antequam evulgetur, valeant: *Cap. 4. de Restitutione spoliatorum.* At vero quum Vicarius non ab Episcopo, sed à Sede Apostolica fuerit constitutus, (uti aliquando vel ad supplendam negligentiam, vel ad frænandam cupiditatem Episcopi fieri solet) is profecto nonnisi ab ipsa Sede Apostolica revocari poterit. Porro utriusque sive Apostolici, sive Episcopalis Vicarii jurisdictio, excommunicato Episcopo, non suspenditur: *Cap. 1. de Officio Vicarii in VI.*

## TITULUS XXVIII.

### *De Vita, et honestate Clericorum.*

I. **U**traque Sacerdotum Potestas, scilicet in reale, ac mysticum Christi Corpus, non levem, et qualemcunque virtutum exercitationem requirere censenda est, sed accuratam, et perfectissimam. Sancta enim sancte tractanda sunt, nec illotis manibus, ut scribit Naz. *Orat. I. Apolog. de fuga,* profanisque animis sanctissima mysteria attingere unquam licuit: tum quoque, nisi Clerici omnigenam virtutem vita sua expriment, vix sperandum est plebem ad mediocre

virtutis studium excitatum iri. Non abs re igitur erit hinc paucis veluti digito præcipuas leges indicare, ad quas, tanquam ad normam, Clericis suæ vitæ mores sunt exigendi.

II. Ac primo eximia puritate animi, ac corporis Clerici præfulgere debent. Qui enim Clericus in officio perstringendi aliorum vitia libere, utiliterque versabitur, nisi se talem præstiterit, ut à nemine reprehendi possit? Chrysost. *de Sacerd. Lib. V. cap. 3.*

2 Omnis criminis, vel pravitatis suspicio Clericis vitanda: namque observante Chrysostomo *ib. Lib. VI. cap. 9.* homines laici ad conquirendum de Clericis, et ad inferendas adversus ipsos contumelias, et incusationes mirum quantum propendent. (\*\*). Ad rem Patres Synodi Toletani IV. Can. xxii. *alias XXI. Conscientiam puram apud Deum nos habere oportet, apud homines famam optimam custodire, ut juxta præceptum Apostolicum non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus vitæ sanctæ testimonium habeamus. Excludatur omnis nefanda suspicio, ne detur sæcularibus obtrectandi locus.* (\*) Ergo omnes illæ actiones Clericis vitandæ sunt, quarum dubia sit, et suspecta natura. Quamobrem Synodus Nicæna universis omnino Clericis vetuit *εὐσεβείαντων ἄλλοις* *Subintroductam habere mulierem*, præterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem excedunt.

3 Clericis parce, et frugaliter vivendum, quo aliorum inopiæ subvenire possint. Namque immoderati sumtus semper in Ecclesia habiti sunt, tanquam iniqua jurium, ac reddituum pauperibus destinatorum usurpatio. Veterum Episcoporum parcissimam edendi, potandique tenuitatem, adhæc et vilitatem indumentorum ipsi etiam gentiles sunt admirati: Ammianus Marcell. *Lib. XXVII.*

4 In quotidianum Ecclesiæ ministerium ea gravitate, animi submissione, ac pietatis ardore Clericis est incumbendum, ut illud et divinæ Majestati probetur, et fidèles religiosa quadam in Deum pietate afficere possit. Meminisse enim eos oportet se et populi ad Deum oratores, et Dei ad populum legatos agere. Ad rem Chrysostomus ibidem *Lib. VI. cap. 4. Eum, qui pro civitate tota; quid dico civitate? immo vero pro universo terrarum orbe legatus inter-*

*cedit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium peccatis propitius fiat, et qualem quæso esse oportet?*

5 In privatis congressibus, et colloquiis Clericos doctrinam, prudentiam, et fidelitatem præferre oportet, ut ab hominum, quibuscum colloquuntur, animis vel ignorantie calliginem dispellant, vel errores avertant, vel vitia removeant. Neque enim ad voluptatem, sed ad utilitatem æquum est Clericos cum laicis conversari. (\*\*\*) *Atque adeo tanto præ ceteris decet eos honestate pollere, quanto à vulgari populo segregati, Dei sunt in sortem adsumti, ut morum compositionis et honestatis ceteris de se præbeant speculum, et exemplum.* Syn. Dertusana an. 1419. Cap. I. (\*) Hac ratione Augustinum innumeros æque hæreticos ad veritatem, ac scelestos homines ad meliorem frugem reduxisse testis est Possidius in *ejus vita cap. 9.*

6 Clericis forti, et imperterrito animo Christianæ veritatis defensio est suscipienda. Neque enim hac in re lenitas, ac facilitas, sed fortitudo, ac pæne ferocia adhibenda est. *Tametsi, inquit Nazianz. Orat. XXI. alioqui pacati, ac moderati sint Antistites; hac tamen in re lenes, et faciles esse non sustinent, quum per silentium, et quietem Dei causa proditur: verum hic admodum bellaces sunt atque in confligendo acres, et feroces.* Hujusmodi fortis, et imperterriti animi exempla plura, eademque admirabilia in veteri Ecclesiastica Historia occurrunt.

III. Porro ex altera parte plura Clericis vitanda sunt. Ac I. lusus alearum; scilicet ludi omnes, qui ab ancipiti pendunt fortunæ eventu: (\*\*\*) Syn. Lateran. IV. *Can. XVI.* Trid. *Sess. XXII. Ref. cap. 1. Novell. CXXIII.* Justiniani *cap. 10.* et Carolus III. *Leg. XVIII. n. 14. Tit. VIII. Lib. VIII. Novæ Recop.* (\*) tot enim, tanta, tamque perniosa mala hujusmodi ludos comitari solent, ut licet innocuæ recreationis ergo licite exerceri possent, habeantur nihilominus tanquam prorsus inutiles, et omnino vetiti. Quinimmo etiam laicis sub pœna segregationis à communione Ecclesiæ aliquando fuerunt interdicti: Conc. Illib. *Can. LXXIX.*

2 Ab ebrietate Clericis prorsus abstinendum. et Qui enim animum in divinis rebus contemplandis occupatum habebunt Clerici ebriosi? Ex Canonibus sic dictis Apostolicis *XXII.*

et XLII. sic decernunt: *Episcopus, Presbyter, vel Diaconus aleis, et ebrietatibus vacans, vel cesset, vel deponatur.* (\*\*) Syn. Hispalens. an. 1512. *Cap. XXIII.* Clericum ebrium pœna suspensionis ab Officio, et Beneficio coercendum decrevit. (\*)

3 Omne turpe lucrum, ac præsertim injusta usurarum acceptio Clericis omnino vitanda. Plures Ecclesiasticæ leges adversus istiusmodi crimen sancitæ occurrunt; satis hic sit Canonem Nicænum XVII. producere, qui in hunc modum se habet: *Quoniam multi, qui in canone recensentur, plura habendi studium, et turpe lucrum persequentes divinæ scripturæ oblitii sunt, quæ dicit Argentum suum non dedit ad usuram; et fœnerantes centesimas exigunt, æquum censuit magna, et sancta Synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras ex mutuo sumere, vel eam rem aliter persequi, vel sescuplas exigere, vel aliquid aliud excogitare turpis quæstus gratia, à clero deponatur, et sit alienus à Canone.* (\*\*) Paucis Syn. Illiberit. Can. xx. *Si quis Clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit degradari, et abstinere.* (\*)

4 Sæcularia quoque negotia, et mercaturam Clerici devitent: tum quod tempus divino ministerio impendere debeant, tum quod turpem quæstum, et avaritiam plerumque committes habeat negotiatio. (\*\*) Syn. Tarracon. *Can. II.* ita statuit: *Quicumque in Clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius studio non utatur. Si voluerit hæc exercere, cobibeatur à Clero.* Eadem habent recentiora Concilia; Hispalen. an. 1512. *Cap. XXVIII.* Collect. Tarracon. an. 1591. *Lib. III. Tit. XXXII. cap. 3.* Quin et Syn. Valentina anno 1565. *Sess. III. Tit. III. cap. 17.* Sacris initiatis Ordinibus interdicit, ut *proventuum etiam Ecclesiasticorum conductores, qui Arrendatarii dicuntur existant, sub viginti librarum pœna; aut quindecim dierum incarcerationis.* Reges quoque nostri negotiationem Clericis vetuerunt sub pœna amissionis immunitatis à Tributis: *Sanct. I. et IV. Titul. XVIII. Lib. IX. vulgo Autos Acordados.* (\*)

5 Porro non illicita duntaxat negotiatio, sed omnis sæcularis cura, quæ ipsos à divino ministerio abstrahere posset, Clericis interdicta: *Can. Apost. VII.* in hanc rem sic ha-



habēt : *Episcopus*, aut *Presbyter*, aut *Diaconus sæculares curas non suscipito*; alioquin deponitor. Atque hinc Clerici prohibentur 1. militiam profiteri : *Can. Apostol. LXXXII.* 2. publicis administrationibus sese immiscere : *Can. Apostol. LXXX.* 3. Testamenti executionem suscipere, vel tutoris, aut curatoris officio defungi: Justinianus *Novel. CXXIII. cap. 5. (\*\*)* 4. Villicum laicarum personarum, vel ministrum agere, aut puerorum in se suscipere curam, et institutionem: Syn. Compostellana an. 1114. *Cap. XXI.* et Collect. Tarracon. an. 1591. *cap. 10. de Vita et honest. Cleric. (\*)* Demum 5. et procuratorem ad laicum tribunal agere, præterquam suo, suorum, vel Ecclesiæ, aut pauperum nomine: *Constit. Apostol. Lib. II. cap. 6.* et Alexander III. in Conc. Lateran. III. *Can. XII.*

6 Jure Neapolitano Clerici à publicis muneribus arcentur: nimirum 1. A judicando; atque adeo neque volentes jurisdictionem exercere possunt: Capit. Caroli II. Andeg. Tit. *de Non statuend. Cleric.* et Prag. 1. *de Eccles. Pers.* 2. A munere Advocati apud Judicem laicum, exceptis causis propriis, consanguineorum, adfinium, Ecclesiarum, et personarum miserabilium, pro quibus gratis patrocinium præstare debent: *Constit. Advocatos*, Tit. *de Præst. Sacr. ab Advoc.* et Prag. 2. *de Postulando.* Idque confirmatum fuit Regio Rescripto ad Præsidentem S. R. C. dato IV. Kal. Maias 1757. Ubi vero judex laicus Clericum advocatum receperit, multandus erit pœna unius libræ auri: *Const. ibid.* 3. A munere Notarii: *Const. Instrument. robur.* Et quamquam olim crearentur Notarii Apostolici, quibus concedebatur potestas conscribendi duntaxat instrumenta ad res spirituales pertinentia, ab anno tamen 1750. ob Regium Rescriptum dato VI. Kal. Decembr. ejusd. anni ad Regalem Cam. S. Claræ, hujusmodi Apostolica Privilegia in Regno non admittuntur. 4. Vetantur Barones Clericos in suos Officiales, per quos jurisdictionem exercent, adsumere: Tit. *de Non statuendis Clericis*: quippe qui quum potestati laicali non obtemperent, si forte in officio fallant, nequeunt à Principe puniri: Reg. Sanfel. *Decis. 315. n. 1.* 5. Militare quoque Clericis omnino interdictum est: atque adeo nulla ratione ad militiam trahendi ex Pragm. 6. *de Militibus.* 6. Clerici defe-

rentes arma prohibita post trinam monitionem etiam ab sæcularibus ministris armis jure exspoliantur. Pragm. 6. *de Clericis Sæcularibus*. Ac postremo 7. Clericos clericaliter non viuentes trina monitione præcedente ad functiones locales, et ad collectas pro bonis quibuscunque pendendas adigere fas est: ex Pragm. 2. Tit. *ibid.*

(\*\*) 7 Jure Hispano arcentur Clerici 1. à munere Judicis in civilibus: *Leg. X. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* 2. Advocati apud Judicem laicum, exceptis caussis propriis, consanguineorum, Ecclesiarum, et personarum miserabilium: *Leg. XV. Tit. XVI. Lib. II. Novæ Recopil.* 3. Ab exercitio Tabellionis seu Scribæ: *Leg. XX. Tit. XXV. Lib. IV. Novæ Recop.* pro Curia etiam Ecclesiastica, nisi ad causas Clericorum, ad quas unus tantum deputandus est, et in Sacris Ordinibus constitutus, reliqui debent esse laici: *Pragmat. Sanct.* 18. Januarii an. 1770. Pro rebus etiam spiritualibus interdictum est Clericis in Aragoniæ Regno scribas agere: *Reg. Decret. an. 1765.* 4. Ab officio Procuratoris litium, aliarumve rerum temporalium: *Leg. V. Tit. V. et II. Tit. VI. Partit. III.* etiam Regulares, nisi pro eorum Ecclesiis, vel Monasteriis: *Pragmat. Sanct.* 23. Novemb. an. 1764. 5. Ab honoribus Præpositorum, vel Rectorum urbium: *Cap. 5. Ne Clerici, vel Monachi, et Leg. III. Tit. IV. et Leg. X. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* 6. A fidejussorum obligatione pro laicis: *Leg. XLV. Tit. VI. Partit. I. et Leg. VIII. Tit. X. Lib. IX. Novæ Recop.* 7. Clerici arma deferentes fori privilegium amittunt: *Leg. XLIX. Titul. VI. Partit. I.* 8. Postremo absque clericali veste incedentes, à judice sæculari comprehendendi debent, et ad Ecclesiasticum remitti: *Leg. IX. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* à quo secundum delicti qualitatem puniendi sunt: *Constit. Apostolici Ministerii* §. 8. (\*)

(\*\*) 8 Sed in avertendis obsequioris sexus consortio Clericis nullum non movit lapidem Hispaniarum Ecclesia. Synodus Illiberit. *Can. xxvii.* decrevit, ut Clericus sororem, aut filiam virginem, dicatam Deo, tantum secum habeat. Tolet. I. *Can. vi.* à Lectoribus nec videndas patitur puellas Dei, nisi soror consanguinea sit, vel uterina. Tarraconens. *Can. i.* eam voluit à Clericis in consanguinearum adhibere

cau-

cautionem, quod *celeri se salutatione* expedirent, et testem secum adducerent *fide, et ætate probatum*. Gerund. *Can. VII.* rem familiarem Clerici per nullum, nisi per *matrem, aut sororem, aut puerum, aut amicum* regendam constituit. Tolet. II. *Can. III.* indulsit Clericis apud se habere tantum propinquam, extraneam vero in vicina domo, omni ablata occasione ad Clerici ædes introeundi, et transgressores à *Clericatus officio retrahi, Ecclesiæ foribus pelli, et à tota Catholicorum communione privari*, decrevit. Quin et in concubinarios Clericos complura Hispaniarum Concilia pœnas indixere, præsertim Tolet. VIII. *Can. V.* perpetua scilicet in Monasterio reclusionem. Reges quoque nostri plures in concubinarios Clericos tulerunt leges. Reccesvinthus *Lege XVIII. Tit. IV. Lib. III. Fori Judicium*. Alphonsus Sapiens *Leg. XLIII. Tit. VI. Partit. I.* et in pellices ipsas Clericorum Joannes I. *Leg. I. Tit. XIX. Lib. VIII. Novæ Recop.* quæ deprompta videtur ex Synodo Hispalensi I. *Can. III. (\*)*

(\*\*) 9 Adhæc non licent Clericis silvaticæ venationes: *Cap. 2. de Clerico venat.* neque spectaculis interesse: *Collect. Martini Brac. Cap. LX.* neque saltare, vel canere *cantiones sæculares*: Synod. Hispalens. an. 1512. *Cap. XXIII.* Demum nec Taurorum spectare agitationes: Synod. Toletan. an. 1565. *Action. III. Ref. cap. 26. et Leg. LVII. Tit. V. Partit. I.* constituta ab ead. Syn. Hispal. pœna pecuniaria, et excommunicationis à Pio V. quam tamen abstulit Clemens VIII. De componendis Clericorum moribus videsis Synod. Tolet. præf. *Act. III.* Valent. ejusd. an. *Sess. III. Tit. III. cap. 17. et 18.* et *Collect. Tarracon. an. 1591. Tit. de Vita, et honestate Clericorum. (\*)*

#### De Clericorum Studiis.

IV. Clericorum studia quod spectat, profecto continui in Clerico laboris, et studiorum necessitatem ex pluribus, iisdemque gravibus ipsi demandatis muneribus diserte evincit Chrysostomus *ibidem Lib. IV. cap. 3.* Profecto Apostolus Timoth. admonet I. *Cap. IV. v. 13. et 15. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.... Hæc meditare, in his esto.* Et sane aptas animarum morbis curationes adhibere, cum Ecclesiæ

hostibus, ubi opus fuerit, congregari, proficuas conciones, et catecheses habere, fidelibus vitæ sanctæ instituendæ consilia tradere, Sacramenta ea, qua par est, sanctitate administrare: profecto hæc, aliaque id genus Sacerdotum munia evidenter ostendunt Clericis in sacra studia sedulo incumbendum. Recte Hier. *Epist. 2. ad Nepot.* in consummato Sacerdote et scientiam, et sanctitatem requirit, ut ad explendas diversas functionis suæ partes evadat idoneus. Porro sacrarum litterarum codex præcipue Clericis nocturna diurnaque manu versandus est. Ab Ambrosio Lib. III. de Fide cap. 7. *Liber Sacerdotalis ἀναγωγικῆς* adpellatur: et Hieronym. negat esse Domini Sacerdotem, qui Dei legem ignoret. Qui sine piaculo omiserim aurea Chrysostomi verba ibid? *Hoc, Sacra Scriptura, instrumentum est, hoc cibus, hoc aeris temperamentum optimum, hoc medicamenti instar, hoc ignis loco, hoc ferri vice; ac si vel urere, vel secare opus, hoc ipso uti necesse est; atque hoc si nihil profuerit, reliqua omnia evanida pereant oportet.* Atque hinc antiquissima illa Conciliorum canonibus, sanctisque viris probata consuetudo mensas Sacrarum Scripturarum lectione condire, atque utilibus institutis sermonibus convictores oblectare. (\*\*) Synod. Tolet. III. *Can. VII.* (\*)

V. Post Sacram Scripturam tum in Conciliorum canonibus addiscendis, tum in veterum Ecclesiæ Patrum operibus pervolutandis Clericis plurimum temporis, et operæ est impendendum. Celebre est illud Cælestini Papæ *Epist. III. cap. I. Nulli Sacerdotum liceat sacros canones ignorare.* Et Conc. Tolet. IV. *Can. XXV.* in Sacerdotibus æque Sacrarum Scripturarum, ac Canonum scientiam requirit, *ut possint cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina erudire.* Demum S. Hieron. Nepotianum amicum suum eo nomine laudat, quod post Scripturas plurimum optimis ecclesiasticis auctoribus vacaverit, eorumque assidua lectione, et meditatione tantum profecerit, ut quavis occasione eorum verba recitare potuerit: *Illud, inquit, Tertulliani, istud Cypriani, ac Lactantii, illud Hilarii est. Sic Minutius Felix, ita Victorinus, in hunc modum est locutus Arnobius.* His accedit quod alibi notavimus; videlicet in Sacris Scripturis explicandis ab concordi veterum Patrum interpretandi ratio-

tionē ne latum quidem unguem discedere fas esse.

VI. Illud hic opportune quæri posset, an librorum gentiliū, et hæreticorum lectio fuerit Clericis antiquitus permissa? Ac primo libros hæreticorum quod spectat non nisi pro necessitate, et tempore eorum lectio Episcopis permissa: Concil. Carthag. IV. *Can. XVI.* Quod vero ad gentiliū libros attinet, illud quorundam Clericorum institutum semper in Ecclesia damnatum est, qui neglectis Scripturis, aliisque utilioribus libris, vel delectationis tantum causa illos legerent, vel ut linguam suam politiori, atque elegantiori dialecto adsuefacerent, quod simplex Sacræ Scripturæ stylus ipsis non adrideret; nec deerant ex Clericis, qui, ut artem sophisticam ad imponendum imperitoribus addicerent, suum tempus generatim in Ethnicis Scriptoribus perlegendis insumebant. Profecto his de causis instituta Auctorum gentiliū lectio semper in Ecclesia, et quidem jure optimo prohibita. Ceterum ubi de confirmanda Doctrinæ Christianæ veritate, vel de gentiliū detegendis, confutandisque erroribus ageretur, profanos Auctores legere nunquam non permissum, quinimmo et aliquando summo commendatum. Quis enim inficiatur, plerosque veterum Patrum in gentiliū eruditione multum fuisse versatos, ac eorundem lectionem plurimum ipsis profuisse, tum ex una parte ad Sacras Scripturas feliciter, et facilius interpretandas, tum ex altera ad hostium fidei detegendas, profligandasque fallacias? (\*\*\*) Nemo unus. Quin et ipsi Apostoli non sunt dedignati ipsorum sententias sacris suis inserere libris: *I. ad Corinth. Cap. XV. v. 33. Act. Apostolor. Cap. XVII. v. 28.* (\*) Profecto divinas Scripturas, antiquosque Canones vix, aut ne vix quidem interpretabitur, qui linguas originales, veterem historiam, chronologiam, geographiam, criticam, artemque oratoriam non calleat. His præsidii destituti non fuere veterum Patrum illustriores Origenes, Hieronymus, Augustinus &c.

VII. Postremo de Jure civili, ac de medicina pauca hic supersunt observanda. Ac primo veteres quidem clericos ab hisce studiis fuisse alienos, patet ex Ambrosio *Lib. I. de Abraham*, Hieron. *Epist. ad Ocean.* aliisque. At contra sæculis temporibus adeo toti profanis hisce scientiis sese de-

derunt, ut sacrarum litterarum, canonumque studia omnino neglecta viderentur: uti graviter conqueritur S. Petrus Damiani *Lib. I. Epist. 15.* Illud vero summopere mirandum, monachos etiam, licet alioquin ex proprio instituto solitudine adstrictos, profanis hisce studiis, præsertim medicinæ, adeo vacasse, ut celebriores medici essent medici Cassinenses. Porro Honorius III. *Cap. 10. Ne Clerici, vel Monachi*, monachos exeuntes ad audiendas leges, vel physicam, sive medicinam sub pœna excommunicationis, jubet ad claustra quamcitus redire. Hac prohibitione, quam antea etiam in Syn. Turonens. Alexander III. ediderat, ad Theologiæ studium ampliandum Clericos quoque in dignitate constitutos adstringi idem Honorius *ibid.* præcepit. Ceterum quod in Jus Canonicum novum plura ex jure civili irrepserint, hinc factum est, ut nisi utriusque studium conjungatur, fere nullum in Jure Canonico quis fecerit progressum. Igitur tandiu in Jus Civile incumbendum, quamdiu Juri Canonico novo recte intelligendo satis erit. Damnanda prorsus Clericorum quorundam conditio, qui neglectis ecclesiasticis studiis, juri civili, forensibusque negotiis ad turpe lucrum quærendum unice dant operam. Meminerint istiusmodi Clerici ordinatione sese ultro divino ministerio, ac proximorum salutî procurandæ unice addixisse. (\*\*). In Hispania non prohibentur Clerici Juri Civili incumbere, immo Salmantinæ Universitatis *Constit. 27.* Beneficiariis triennium Juris Civilis studium permittitur, ut perfectiores in Canonico evadant. Medicinam vero et Chirurgiam nec addiscere eis licet: *Leg. XXVIII. Tit. VI. Partit. I. et Leg. II. Tit. IX. ejusdem Partitæ. (\*)*

### De Civilibus Clericorum Vestibus.

VIII. De externo Clericorum habitu liceat hic pauca subnectere. Profecto hac in re Clericis mediocritas nunquam præscripta non fuit; scilicet, ut nec nimis eleganti, et invidioso, nec neglecto nimis, et sordido vestitu uterentur. Hieronymus Nepotianum suum sic admonebat: *Epist. 2. ad Nepotian. Vestes pullas æque devita, ac candidas. Ornatus et sordes pari modo fugiendæ sunt; quia al-*

*terum delicias, alterum gloriam redolet.* Et sane quinque prioribus Ecclesiæ sæculis civiles Clericorum vestes à communibus laicorum, licet forma non distinguerentur, bene vero modestia, et simplicitate eas inter se discrepare oportebat. Hinc Synod. Carthag. IV. *Can. XLV.* præcipit, ut Clerici professionem suam in habitu, et incessu probent, nec vestibus, et calceamentis decorem quærant.

IX. Jam vero per quinque priora Ecclesiæ sæcula nullam fuisse distinctionem Clericalium vestium civilium à laicalibus multa suadent. 1. Sævientibus tempore persecutionum contra Ecclesiam tyrannis, si Clerici distinctas à laicis gestassent vestes, ultro sese persecutoribus objecissent. Quum illi igitur declinare, quoad possent, procellam studerent, ac sese populo pascendo servare, communibus ceterorum vestibus utebantur. Atque hinc Origenes apud Eusebium *Lib. VI. cap. 19.* de Heracla Presbytero Alexandrino scribens: *Idcirco, inquit, quum vulgari veste antea usus fuisset, ea deposita, philosophicum induit habitum, quem etiam nunc retinet.* Porro philosophicus habitus hominum etiam laicorum, qui sapientes se demonstrare adfectabant, proprius erat.

2 Auctor de *Eccles. Hierarch.* sub nomine Dionysii *cap. 6.* Monachorum habitum, tonsuramque describens, nullum verbum habet de vestibus Clericorum. Synodus quoque Carthag. IV. quum nihil eorum omitteret, quæ ad officia Clericorum pertinerent, quod ad vestes solam mandat Clericis modestiam, ut modo indicavimus.

Idem 3. evincitur ex Epist. Cælestini Papæ ad *Episcopos Narbonensis, et Viennensis Provinciæ.* In ea Clericos, qui pallio, et cingulo uti cœperant relictis tunica, et toga, qui communis erat et ipsis et laicis habitus, sic reprehendit: *Didicimus quosdam Domini Sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quam mentis, vel fidei puritati. Amicti pallio, et lumbis præcincti, credunt se Scripturæ fidem, non per spiritum, sed per litteram completuros..... discernendi à plebe, vel ceteris sumus doctrina, non veste, mentis puritate, non cultu..... Non est imponendum oculis, sed mentibus infundenda præcepta.*

X. Occurrunt quidem haud raro in antiquis Ecclesiasticis monumentis vestes sic dictæ: *Tunica, sive Dalmatica,*

*Lacerna, sive Birrum, Linea, Hemiphorium, Colubium &c.* et quidem tanquam indumenta à Clericis adhibita: verum uti recte observat Thomassinus *P. I. Lib. II. cap. 45.* hæ communes erant Clericorum, et laicorum vestes, quibus etiam Ethnici utebantur. Tantummodo Cpoli, uti ex Socrate colligimus *Lib. VI. cap. 12.* quarto exeunte sæculo mos viguisse videtur, ut Clerici atra veste uterentur. Fortasse ut à Clericis Novatianis distinguerentur, qui albis vestibus induti incedebant. (\*\*). Et in Hispania sub eodem nonnihil distingui Clericos in exteriori habitu, indicat Syn. Cæsaraugustana an. 381. *Can. VI. (\*)*

XI. At nemo inficiabitur jam inde ab VI. sæculo cœpisse Clericos etiam in exteriori corporis cultu à laicis distingui. Id quod perquam manifestum est: 1. ex S. Gregorio Turo-nensi, qui *Lib. V. cap. 14.* eam vestium distinctionem sua ætate jam inductam indicat: *Merovechus, inquit, tonsuratus est, mutataque veste, qua Clericis uti mos est, Presbyter ordinatur.*

2 Ex S. Gregorio M. qui pluries in suis Epistolis Clericos à laicis veste ipsa distinctos repræsentat: ac præcipue *Lib. II. Epist. 24. Paulum, qui despecto habitu suo ad laicam reversus vitam &c.* Et *lib. VI. Epist. 11. dum ad Ecclesiasticum habitum veniunt..... dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter, quam vixerant, vivunt, nequaquam student sæculum fugere, quam mutare.*

3 Ex Auctore Vitæ S. Cæsarii Arelat. qui Cæsarium *mutato habitu in clerum fuisse cooptatum* narrat.

4 Ex Concilii Liptinensis *Can. VII.* quo sancitur, *ut Presbyteri, et Diaconi non sagis laicorum more, sed casulis utantur ritu servorum Dei.* Tum Synod. Agathensis an. 506. *Can. XX.* vestimenta et calceamenta, quæ religionem decerent, Clericos gèstare jussit. Matisconense I. an. 581. *Can. V.* laicas vestes diserte Clericis interdicit. Narbonensis demum Concilii *Can. I.* prohibentur vestimenta purpurea Clericorum.

XII. Porro hujusce in indumentis clericalibus mutationis ratio ea prorsus fuisse videtur: scilicet barbararum gentium irruptio. Quum enim Barbari Romanum Orbem invasissent, atque usus vestis brevioris pedetentim irrep-



peret, laicis ad barbaros mores deficientibus; Clerici Romanas vestes, uti etiam sermonem, retinuerunt. Unde in Oriente, ubi serius barbariei calamitas sævire cœpit, diutius oblongarum vestium æque apud Clericos, ac apud laicos usus obtinuit. Nonnisi in Syn. Trullana an. 692. primum ejusmodi vestium distinctionis mentio occurrit. Namque *Can. XXVII.* in hanc rem sic decernit: *Nullus eorum, qui in Cleri Catalogum sunt relati, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens. Sed utantur vestibus, quæ iis, qui in Clerum relati sunt, adtributæ fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una Septimana segregetur.*

XIII. Igitur ab sæculo VI. inducta in Ecclesiam consuetudo est, ut Clerici veste forma à laicorum veste distincta uterentur: (\*\*\*) id quod indicat Syn. Narbonensis an. 589. *Can. I.* ac dein Tolet. IV. sæculo altero ineunte *Can. XXVIII.* alias *XXVII.* (\*) Verum nunquam destitit Ecclesia Clericos admonere, ut neque in distincta hac veste aut luxum quærent, aut mollitiem adfectarent, sive in pannis, sive in colore, sive in fissuris multiplicibus, sed modestiam præferrent. (\*\*\*) Ad rem ead. Syn. Narbon. præf. *Can. Nullus Clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem, ut sicut est devotio in mente, ita et ostendatur in corpore.* (\*) Unde Concilium Lateranense II. sub Innocentio II. *Can. III.* decernit: *Nec in superfluitate, scissura, aut colore vestium intuentium offendant aspectum Episcopi, et Clerici.* Et Syn. Melphitana Regni Neap. *Can. XIII.* *Scissis vestibus Clericos abuti ulterius prohibuit, et ne pomposis exuviis induantur.* (\*\*\*) Extrema luxus, et abjectionis à Clericis in vestitu vitanda semper optavit Ecclesia. Perbelle Syn. Valentina an. 1565. Sess. III. Tit. III. cap. 13. *Talem in Ecclesiasticis viris amictum cupit Sancta Synodus, ut neque pannosi aut laceri sint, neque vestibus exquisita ante confectis utantur, sed ea indumenta, quæ animi quietem, aut modestiam promittant.* Unde Synod. Arandensis an. 1473. *Cap. VIII.* vetuit Clericis, vilibus, et luctuosis vestibus indui; et Compostellana an. 1056. *Cap. II.* deferre vestes sæculares. (\*)

XIV. Qui plura de hoc capite nosse cupit, adëat Thomassinum *P. I. Lib. II. cap. 47. et seq.* qui totus in eo est, ut ostendat, vestes Clericorum ex Synodorum Decretis semper oblongas fuisse, sive talaris, clausas, nec nimis strictas, neque fimbriatas, aut rugosas, neque demum sericas: coloris vero nunquam purpurei, viridis, albi, aut splendidi, sed quo Clerici præ laicis modestiam, animique demissionem præferrent. (\*\*). Ad rem Syn. Valent. præf. cap. 13. *statuit, ut in sacris ordinibus constituti vestibus utantur talaribus, non rubei coloris, aut viridis, sed nigri, vel eorum, quos honestus Ecclesiasticorum usus admisit: scissis non utantur calceis, in subuculis collaria rugata minime deferant, nec additamenta illa sinuosa extremitati manicarum subuculæ adjungant.* (\*)

XV. Tum idem Auctor *ibidem* observat ab sæculo xiv. colorem nigrum, vel ad nigrum proxime accedentem factum fuisse vestium clericalium communem. Concilium quidem Tridentinum *Sess. xxiv. Reform. cap. 12.* non indixit Clericis, nisi parvitatem, et modestiam in veste, fugamque constantem laicorum habitus, et consuetudinis; verum pæne omnes, quæ post deinceps habitæ sunt Synodi, Tridentinam Sanctionem veluti explicantes vestem talarem, sive oblongam, coloremque nigrum præscribunt. Ad rem I. Synodus Provincialis Neapolitana *Cap. 22. Pileum nigri sit coloris, vestis itidem superior, ac interior; atque utraque talaris..... Pallio, quod vulgo Ferrajolum vocant, ut clericali convenit honestati ad frigoris tantum, pluvieque injurias repellendas utantur, vestemque interiorem nunquam deponant..... Dum pedibus iter facit, vestibus poterit uti contractioribus, ex quibus tamen Clericus facile cognoscatur.* Idem etiam sanxit S. Carolus in suis Synodis, ac præcipue in I. Provinciali *Cap. 17. et 23. et II. Cap. 31.* apud Thomassinum *ibidem.*

XVI. Ceterum munditia una cum modestia in Clericorum vestibus servanda est; et quidem ob rationem à Possidio adductam in vita S. Augustini, ubi ait: *Ex moderato, et competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum, quia ex his plerique vel jactare sese insolenter homines solent, vel abjicere, ex utroque non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt, quærentes,*

(\*\*) XVII. In Hispania ad talares vestes quantum attinet eas jam diu præscripserat Clericis Syn. Dertusana an. 1429. *Can. I.* scilicet, nec *nimia brevitatem*, nec *longitudinem* notandas. Ad colorem vero quod spectat, nigrum generatim admissum esse post sæculum XVI. ex eo colligimus, quod Concilia nostra, præsertim Valentin. mox *laud. cap. 13.* nigri, vel fuscii coloris vestem, vel ejus quem honestus Ecclesiasticorum usus admisit, præscribit. (\*)

(\*\*) XVIII. Quæret fortasse quispiam, quid fuerit, quod inductus sit in Clericorum vestibus color niger? Cui si conjecturis fidere est, à Regulari Clericorum vita originem duxisse, respondebimus. Quum enim Monachis post S. Benedictum vissum esset, *nigrum colorem magis humilitati, magis penitentiæ, magis luctui convenire*, ut scribit Petrus Ven. ad S. Bernardum, omnes ut plurimum hunc colorem adsumserunt, *beatissimum Patrem Benedictum sectantes, qui nigro colore usus est.* Chron. Cassinien. *Lib. IV. cap. 115.* Clerici autem simul ac Canonicam vitam amplexi sunt, mutaverè etiam exteriorem indumentorum formam, et quum à Monachis mutuaverint *Cappas cum cappellis sive caputiis*, et *cilicia*, verosimile est, simul cum id genus vestimentorum colorem etiam nigrum mutuasse. Profecto induebantur quondam Canonici Ciliciis, Cappis, et Caputiis Monachorum, uti hodiernus nobis complurium Hispaniæ Ecclesiarum usus indicat. (\*)

(\*\*) XIX. Verum quum deinceps cœperint Canonici à Canonica se avertere vivendi methodo, retenta in choro antiqua vestimentorum configuratione, et in profanis vestibus mutata, colorem tamen nigrum retinuisse, atque ita sensim in omnibus Clericorum vestibus inductum fuisse, probabile saltem existimamus. (\*)

#### De Tonsura Clericorum.

XX. Tonsuram olim apud Ethnicos probro fuisse discimus, tum ex Aristophane, apud quem vulgaris est *Paræmia*: *Servus quum sis comam geris*; quo servorum propriam fuisse tonsuram docemur: tum ex Epistola Cypriani ad Martyres ad opus metalli damnatos, ubi scribit: *Caput*

*semitonsum, detestabilis, et tetra deformitas.* Unde Lucianus in Misandropo Jovem irridens: *Egregius, inquit, gigantum exterminator sedebas, quum tibi cæsaries ab illis circumtonderetur: id pro genere quoddam sannæ usurpans.* Itaque tonsura apud Germanos, Francosque, immo et apud Romanorum Imperatores regni spem præcidebat, regnandique incapaces faciebat. Hinc monachorum plerique humilitatis studio, ut aliis sese despicabiles præberent, caput tondere, et radere consueverunt, de quibus S. Paullinus Epist. 4. et 7. *Castâ informitate capillum ad cutem cæsi, et inæqualiter semitonsi, et destituta fronte præerasi, et damnablem despicabiles.*

XXI. Ex hoc monachorum usu emersisse sæculo vi. Tonsuram Clericorum docet Thomassinus *P. I. Lib. II. cap. 34.* Clericos nimirum monasticæ perfectionis æmulatores ab illis eam humilitatis speciem arripuisse. Et sane per quinque priora Ecclesiæ sæcula præter capilli brevioris modestiam, nullam aliam à Clericis usurpatam Tonsuram plura suadent.

1 Optatus *Lib. II. contra Parmen.* crimini vertit Donatistis, quod Episcopis, Presbyterisque Catholicis, qui in eorum manus incidissent, capita raderent: *Dicite ubi vobis mandatum sit radere capita Sacerdotibus, quum è contrario tot sint exempla proposita fieri non debere.* Qui ita locutus fuisset Optatus, si tunc Clerici tonsuram gestassent?

2 Hieronymus *Lib. XIII. in Ezech. cap. 44.* detestans capitis tonsuram, tanquam propriam Sacerdotum Isidis, et cultorum Serapidis, modum capillorum Clericos decentem ita describit: *Perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicut Sacerdotes, cultoresque Isidis, atque Serapidis nos esse debere, nec rursum comam demittere, quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque, et militantium, sed ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstratur, nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos demittendos, ut operta sit cutis.* At quid hic Clericis peculiare, quod laicis etiam fidelibus non inculcatum?

3 Demum veteres sancti Christiani Episcopi in Historiis, quas de ipsis proprias, et peculiare habemus, non aliter exhibentur, quam habitu, et capillo ad modestiam magis com-

composito. Unde Prudentius *De Coronis Hymn.* 12. de S. Cypriano ad Deum converso scribit: *Namque figura alia est, quam quæ fuit, oris, et nitoris. Destua cæsaries compescitur ad breves capillos.*

XXII. Porro per illud temporis licet Clerici nulla peculiari tonsura à laicis distinguerentur, semper tamen ipsis præscripta in capillitio modestia, vetitum comam nutrire. Hoc indicant tum modo producta veterum testimonia, ac præcipue Hieronymi; tum etiam Concilii Carthag. IV. Can. XLIV. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.* Atqui ad hanc in capillitio modestiam omnes promiscue fideles hortatur Apost. I. ad Corint. Cap. XI. v. 14. *Vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi:* tum Constit. sic dictæ Apostolicæ *Lib. I. cap. 3.* fidelem admonent, *ut sit non capillum nutriens, nec pexus, nec comatus.* Adhæc Apostolus ipse I. ad Timoth. Cap. II. v. 9. *mulieres jubet cum verecundia, et sobrietate ornare se, et non in tortis crinibus.* Quibus verbis modestum quidem ornatum mulieribus, ut viris suis placeant, permittit Apostolus; at nimis quæsitæ ornamenta, ac inane verticis artificium devitare monet. Id quod quum in fœminis improbet Apostolus, quoniam, quæso, animi ardore, vehementique zelo id in Clericis reprehendisset?

XXIII. Jam vero præter modestam capillorum brevitatem, Corona etiam clericalis invaluit, qua deraso vertice Clerici insigniuntur. Hujus originem quod spectat Hallerius *Lib. III. Eccles. Hierarch. Sect. III. Art. 3.* tres describit tonsuræ species, scilicet Clericorum, Monachorum, et Pœnitentium; atque hos Christianorum ordines tonderi jussos ab Ecclesia docet. Et sane Conc. Tolet. III. *Can. XII.* præcipit, ut publice pœnitentibus Episcopus, vel Presbyter caput tondeat. Tonsura enim habitus luctus erat, uti Sacræ Scripturæ, Historiæque testantur. Monachus vero, quia plangentis habet officium, uti supra ex Paullino monuimus, castam tonsuræ informitatem retinet. Tum ex Socrate *Lib. III. cap. 1.* Julianus Apostata ad cutem abrasus Monachum simulavit. Illud autem discrimen statuit inter tonsuram Clericorum, et tonsuram Monachorum, et Pœnitentium, quod Clerici in modum Coronæ in signum dignitatis, illi vero abrasa cute in signum luctus tonderentur, eamque differentiam etiam

nunc retineri docet; quippe qui inter Monachos Clerici sunt, coronam gestant, qui vero Laici toto capite tondentur.

XXIV. Igitur vi. ineunte sæculo Coronæ clericalis usus primum in Ecclesiam invectus videtur. (\*\*). Synodus enim Toletana II. *Can. i.* de tonsura clericali loquitur; (\*) et Isidorus Hispalensis *De Offic. Eccles. Lib. II. cap. 4.* et Gregorius Turon. *de Glor. Martyrum Lib. I. cap. 28.* sua ipsorum ætate Coronam clericalem jam in Ecclesiam inductam produunt. Atque adeo Synodus Toletana IV. an. 633. *Canone XLI.* Tonsuræ præceptum simul, et formam complectitur: *Omnes Clerici detonso superius capite toto, inferius solam circulem coronam relinquunt.* Ea tamen subinde paulatim ita contracta est, ut Conc. Coloniense an. 1260. *Can. iv.* summum verticem radi jubeat, quam vocat *Coronam.* Conc. Rothomag. an. 1072. *Can. XI.* anathema ejaculatur in Clericos coronam gestare detrectantes. Patentem esse debere sanxit Syn. Londinensis an. 1102. *Can. XII. Clerici patentes coronas habeant.* Ejus magnitudinem quatuor digitorum in diametro designavit Conc. Palentinum an. 1388. *Can. III. (\*\*)* et Arandense *Can. XIV.* in Minoribus constitutis Ordinibus coronam adsignavit, quantum patebat *Regale. (\*)* Ut secundum uniuscujusque ordinem gestaretur mandavit Senon. an. 1528. *Can. XXIV.* Postremo magnitudinem pro singulis ordinibus definivit Mediolanense V. an. 1579. Etenim *Can. IV.* edixit, ut corona Presbyterorum quatuor haberet pollices in diametro, tres Diaconorum, à quibus non multum recederent Subdiaconi, duos vero corona minorum ordinum. (\*\*). Complures Diœcesanæ Synodi depictis circulis uniuscujusque ordinis coronam designant. (\*)

XXV. Coronæ clericalis significationes multæ sunt; nam 1. ex humilitatis professione, unde ortum habuit retinenda à Clericis est; quo intuitu imitationem opprobriorum Christi significat. 2. Regiam Sacerdotis dignitatem indicat ex Isidoro Hispalensi *Lib. II. de Offic. Eccles. cap. 4.* 3. Temporalium curarum vacuitatem ex eodem Isidoro *ibidem.* 4. Demum ex S. Thoma ob circularem figuram omnium perfectissimam Clericorum vitæ, sanctimoniamque perfectionem.

(\*\*) XXVI. Sicuti jubebantur quondam Clerici caput ra-

de-

dere, ita et radere quoque barbam vetabantur. Syn. Carthag. præf. *Can. XLIV.* et Barcinonensis an. 540. *Can. III.* Id quod obtinuisse videtur usque ad sæculum XI. quum Syn. Compostellana an. 1056. *Cap. II.* inter alia præcipiat Canonicis, ut *abscissas habeant barbas.* Quod dein confirmarunt Concilia Tolet. an. 1323. *Can. VII.* Complutense anno 1325. *Cap. II.* Hispalens. an. 1512. *Cap. XXIII.* ea adducta ratione à præf. Syn. Tolet. *ne sumendo Christi Sanguinem aliquid indecens contingere possit.* (\*)

## TITULUS XXIX.

### *De Cœlibatu Clericorum.*

I. **O**pportuna hic sese offert occasio pauca, veluti Appendix loco de Clericorum cœlibatu subnectendi. Qua in re illud primo constat, Sacerdotibus Christianis convenire quam quod maxime, ut cœlibatum, vel saltem continentiam profiteantur. Purissima namque hostia, quam suis manibus quotidie offerunt, atque adeo participant, aliisque participandam tradunt, ejusmodi vitæ institutum omnino requirere videtur. Ad rem Origenes Homil. XXIII. in Num. *Videtur mihi, quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti, et perpetuæ se devoverit castitati.*

II. Tum Apostoli sacerdotio, vel virginitatem conjunxerunt, vel perpetuæ castitatis professionem. Filius namque Dei, qui *divinâs substantialiter* Puritas est, quique de Virgine matre nasci voluit, Apostolos suos, atque eorundem successores puritatis suæ certo quodam modo voluit esse consortes. Atque hinc Hieron. Apol. contra Jovinianum: *Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicaver. Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes. . . adsumti in Apostolatam reliquerunt officium conjugale.* Profecto Sacerdotalis ordinationis *oppayis* character potiori, quam Apostolatus, jure puritatis candorem requirit.

III. Quamobrem primis sæculis, licet Clericis continentiae lex indicta non fuerit, consuetudine tamen, moribusque

jam obtinebat, ut ad sacros promoti ordines, ab ipsis, quas legitimo antea sibi matrimonio uxores conjunxerant, abstererent. Id patet tum ex nuper indicata Origenis auctoritate tum ex Hieron. Lib. adversus Vigil. *Quid facient, inquit, Orientis Ecclesiae? quid Aegypti, et Sedis Apostolicae, quae aut Virgines clericos accipiunt, aut continent, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* tum denique vel maxime ex Eusebio *Demonst. Evang. Lib. I. cap. 9.* ubi tanquam de disciplina univ[er]se jam diu servata loquitur, qua scilicet Episcopi, et Presbyteri, ut melioribus studiis vacarent liberius, se junctum à re uxoria victum adamabant, quippe qui divina, et incorporea sobole procreanda occupati tenerentur. Igitur moribus antiquissimis, atque adeo etiam Apostolicis disciplina in Ecclesiam inducta primis sæculis viguit, ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi perpetuam servarent continentiam.

IV. Quod vero per illud temporis Sacerdotes continentiae fibula nullo Apostolico, vel Ecclesiastico præcepto fuerint obstricti pluribus constat.

1 Ex eo, quod hujusce legis nulla mentio occurrat in Canonibus veterum Conciliorum.

2 Quinimmo antiquæ Synodi haud semel occasionem habuere hujusce legis indicandæ; quod nunquam præstitere. Sic Concilium Nicænum *Can. III.* quo decernit non licere his, qui in Clero sunt, *συνεσθάνεως* subintroductas habere mulieres. Gangrense *Can. IV.* ubi illos damnat, qui docent abstinendum ab oblatione Presbyteri conjugati. Neocæsareense *Can. I.* quo depositionis pœna in Presbyteros, qui uxores acceperint, animadvertendum sancitur. Tum *Canone VIII.* eo duntaxat casu Clericos jubet suas dimittere uxores scilicet ubi adulteratæ fuerint; ceterum cum his cohabitare non prohibet. Atque adeo Concilium Ancyranum *Can. X.* Diaconis etiam post ordinationem uxores accipere permittit, *ubi in ipsa ordinatione testati sunt, et dixerunt, oportere se uxores ducere, quum non possint sic manere.* Profecto Concilia hæc, aliaque per ea tempora celebrata in his, similibusque Decretis qui unquam Apostolici, vel Ecclesiastici de Cœlibatu præcepti non meminissent, si quod unquam fuisse nossent?



3 Pynito Gnessiorum in Creta Episcopo sæculo n. Dionysius Corinth. auctor fuit, ne continentiae legem fratribus suis imponeret, ad quod ille propendebat, rationem adjungens; scilicet *ne grave onus castitatis, tanquam necessarium imponeret, sed ejus, quæ in plerisque hominibus insit, infirmitatis rationem haberet*: Eusebius Lib. IV. cap. 23.

4 Tum in Nicæna Synodo proponentibus quibusdam Episcopis Canonem condere, quo Clerici majores vetarentur cum uxoribus, quas ante ordinationem legitime sibi consociaverint, conjugale commercium habere, Paphnutius Episcopus Egyptius, vir non conjugii modo, verum et cujuslibet muliebris congressus omnino expers, illi propositioni *vehementer est vociferatus. Non grave hoc jugum Clericis, et Sacerdotibus esse imponendum . . . neque enim omnes ferre posse tam districtæ continentiae disciplinam . . . congressum viri cum uxore legitima castitatem esse adserens, ut qui in Clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesie traditionem jam non amplius uxores ducerent*: Socrates Lib. I. cap. 8. Sozomenus Lib. I. cap. 22.

5 Denique Socrates ipse *Lib. V. cap. 22.* narrat quidem in Thessalia auctore Heliodoro Tricæ Episcopo depositionis pœnam fuisse sancitam adversus Clericos, *qui dormierint cum uxore, quam ante clericatum legitimo matrimonio sibi copulaverant.* At statim subnectit: *Quoniam in Oriente cuncti sua sponte etiam Episcopi ab uxoribus suis abstineant, nulla tamen lege, aut necessitate obstricti id faciant.*

V. Porro ex dictis plura colligere est. Primum Clericos primis illis sæculis non modo cum uxoribus cohabitasse, verum et rei uxoriæ aliquando vacasse. Quid enim unquam quam à sobole procreanda abstinentiam præcipere, *grave onus castitatis*, aut *districta continentiae disciplina* dici quiverit? Tum vetus Ecclesiastica historia exempla præbet Episcoporum, et Presbyterorum, qui in Episcopatu, et Presbyteratu filios genuerunt: quod ipsis crimini imputatum non est. Id ex Socrate loco modo indicato constat, ubi statim subnectit: *Multi enim illorum, Episcopatus etiam sui tempore, liberos ex legitimo conjugio susceperunt*; et speciatim de Cheremone urbis Nili Episcopo narrat Eusebius *Lib. VI. cap. 41.* de Numidico Presbytero Carthag. *Cyprianus Ep. 35-*

de Cæcilio Presbytero etiam Carth. Pontic. *in vita Cypriani*;  
de Novato ipsemet Cyprianus *Ep.* 49. et de aliis alii.

VI. Alterum ejusmodi disciplinam non fuisse in Ecclesia generalem; sed plures etiam per illud temporis fuisse particulares Ecclesias, in quibus lex continentiae jam Clericis imposita fuerat; uti de Thessalia ex Socrate modo observavimus, qui et *ibidem* testatur id juris per Thessalonicam, Macedoniam, et Achaiam obtinuisse: et ex eo quoque evincitur, quod in Synodo Nicæna plures Episcopi de imponenda lege continentiae jam consenserant, licet sua cuique libertas relicta fuerit.

VII. Tertium: Majoribus Clericis post Ordinationem nuptias contrahere semper fuisse vetitum. Et quidem 1. id *veterem Ecclesiae traditionem* in Concilio Nicæno adpellavit Paphnutius. 2. Synodus Neocæsarensis, uti supra vidimus, depositionis poena multandum sanxit Presbyterum, qui conjugium adtentaret. 3. Canon ex sic dictis Apostolicis xxv. Cantoribus duntaxat, et Lectoribus uxores accipere permittit. 4. Vix Diaconos excipit supra productus Canon Ancyranus, qui tamen in ipsa ordinatione protestati fuerint, *oportere se uxores ducere, quum non possint sic manere*. Qua in re rigidior fuisse videtur Latinae Ecclesiae disciplina, ubi neque Episcopi indulgentia poterant Diaconi nuptias contrahere.

VIII. Porro in Occidente jam inde ab iv. ineunte sæculo lex continentiae imponi coepit. Patres Illiberitani in totum Episcopos, Presbyteros, et Diaconos, et omnes Clericos positos in ministerio continentiae fibula obstrictos voluere: *Can. xxxiii.* (\*\*). alia tamen hujus Canonis versiones Episcopos, Presbyteros, et Diaconos ad continentiam constringunt, non alios. (\*) Tum eodem exeunte sæculo Siricius Papa *Ep. ad Himerium Tarracon. cap. 7. et Epist. IV. ad Africanos cap. 9.* Presbyteris, et Diaconis præcipit, ut ab uxoribus pridem ductis continerent: id quod postea Innocentius I. *Ep. 2. ad Victricum Rothomag.* Leo M. (\*\*). etiam Subdiaconis (\*) *Epist. 3. ad Anastas. Thessal.* aliique deinceps Pontifices confirmarunt: tum et Concilia, uti *Cartaginensia II. III. et V. Can. III.* Toletanum I. *Can. I.* Taurinense *Can. VI.* Arausicanum *Can. xxii.* &c. Videsis Thomas-

sinum de Nov. ac Veter. Eccl. Disciplina *P.I. Lib.II. cap.61.* quibus Decretis potius antiquissima Ecclesiæ Occidentalis disciplina confirmata est, quam nova sanctio evulgata.

IX. Verum non æque feliciter res processit in Oriente. Etenim sensim adeo ab primævæ disciplinæ candore recesserant Clerici Orientales, ut satius videretur temperanda, quam ad pristinam puritatem reducenda. Epiphanius *Hæres. LIX. num. 4.* de nonnullorum hac in re ignavia graviter conqueritur; subnectens, vix in Ecclesiis, ubi Ecclesiastici Canones adcurate custodiuntur, primigenium illud institutum superesse. Socrates, uti supra monuimus, de sua ætate testatur, multos Presbyteros, atque adeo Episcopos in ipso Presbyteratu, et Episcopatu filios genuisse. Nimia, ac prava Agapetarum familiaritas in causa fuisse videtur, cur vetus hac in re disciplina laxaretur, et corrumpereetur. Porro tanta, tamque gravis corruptela sic temperata est; scilicet, ut relicta Presbyteris, et Diaconis potestate suis legitimis utendi uxoribus, duntaxat ad Episcopatum ii solummodo Clerici promoverentur, qui neque filios, neque nepotes, neque uxorem haberent, aut illi saltem non cohærerent. Justinianus *Novella VI. cap. 1. §. 3. et cap. 5.* Quæ disciplina in Synodo Trullana firmata ad hæc usque tempora apud Græcos perseverat: *Can. XII. et sequent.* Illud præterea ex veteri disciplina in Synodo Trullana sancitum est, nimirum, ut quo tempore Clerici æque superiores, ac inferiores sacra contrectarent, ab uxoribus abstinerent.

X. Inferiores Ordines quod spectat in quibusdam Orientalibus Ecclesiis quarto sæculo Hypodiaconis, quod jam ad proxime ministrandum altari, et ad vasa sacra contrectanda admitti cœpissent, lex continentiae indicta esse videtur: Epiphanius *Hæres. LIX.* Idem videtur præscriptum in Hispania à Patribus Illiberitanis: continentiam enim injungunt, (\*\*\*) ut aliquæ hujus canonis versiones indicant, (\*) non modo Episcopis, Presbyteris, et Diaconibus, verum *et omnibus Clericis positis in ministerio.* Eadem erat quoque disciplina Ecclesiæ Romanæ tempore Leonis M. uti patet ex ejus *Epist. 84. ad Anastasium Thessalon.* Peculiaris quidam mos vigeat in Africa, ubi Lectores ad annos pubertatis venientes cogebantur aut uxorem ducere, aut continentiam

profiteri : Conc. Carthag. III. *Can. XIX.* Verum secutis temporibus relicta Clericis inferioribus matrimonii contrahendi potestate , soli Hypodiaconi legis continentiae fibula obstricti sunt : id quod stabili canone universali in Ecclesia obtinuit , hodieque obtinet : Gregorius M. *Lib. I. Epist. 42. et Lib. III. Epist. 5.* Conc. Tolet. VIII. *Can. VI.* Conc. Aurelian. III. *Can. II.* aliaque per ea tempora habitae Synodi. (\*\*\*) Hispania quoque nunquam passa est , Sacris initiatos Ordinibus uxoribus prius ductis sociari , uti patet ex *laud. Epist. Siricii P. Syn. Tolet. I. praef. Can. I. Gerund. Can. VI. Tolet. II. Can. I. (\*)*

XI. Igitur ut paucis rem omnem complectar : Lex continentiae primis saeculis in Ecclesia aequae Orientali , ac Occidentali antiquissimis moribus ab maioribus Clericis servata ; at nulla Apostolica , aut Ecclesiastica sanctione id iubente. Saeculo IV. ac V. aequae Synodicis , ac Pontificiis Decretis disciplina huiusmodi in Occidente firmata. In Oriente quum Clerici ad primaevae puritatis disciplina resilirent , tantummodo ad Episcopatum nonnisi vel coelibes , vel continententes promoti : idque per Canones praecipue Trullanos. Denique quod ad Ordines inferiores varia primum fuit Ecclesiarum disciplina : at post in Ecclesia Latina soli Subdiaconi continentiae lege obligati.

XII. Atque ita se res habuit ad saeculum usque IX. et X. quando nimium hac in re laxata disciplina est. Quid vero dicam laxata ? Satius dixerim , corrupta quam quod maxime. Jam quidem saeculo VII. tantae , tamque gravis corruptelae praeludia praecesserant ; at instituta sub Pipino , et Carolo M. communi Clericorum vita , disciplina , quae jam colubari incipiebat , reparata est. At post saeculum IX. barbararum gentium irruptio , disciplinae remissio , morum corruptio , ac praecipue Synodi Provinciales intermissae , reditus Ecclesiastici in stipendia militibus tributi , et Episcoporum , Clericorumque gravis ignorantia in causa fuere , cur in vetitum nefas Clerici nimium frequenter proruerent. Gravissima , quae ex prava Clericorum libidine hac aetate detrimenta Ecclesia passa est , satius erit silentio praeterire , quam in apertum producere. Deus enim visus est veluti repulisse plebem suam. Donec tandem medio saeculo XI. mi-

sericordia motus excitatus est, tanquam dormiens, et Ecclesiam suam plerumque à mercenariis occupatam, optimis Episcopis, malis ingruentibus coercendis maxime intentis, instaurandam commisit. Hinc ex una parte Romanis Pontificibus, ex altera Episcopis, vel seorsim in suis Ecclesiis, vel in Synodis coactis strenue agentibus, eo res devenit, ut tandem Ecclesia lugubres vestes deponere, novasque induere videretur, Clericis continentiae jugo iterum se subijicientibus. Porro ad id gradatim devenit, et quidem primo gravissimis in Clericos incontinentes sancitis poenis, uti depositionis, atque etiam degradationis, tum et jactura bonorum: Thomassinus *Part. I. Lib. II. cap. 64.* Dein poena excommunicationis in eosdem statuta, et eorundem etiam concubinis famulatu Ecclesiastico mancipatis. At magis, quam poenae, sanctissimorum Pontificum, ac Presbyterorum exempla, et cohortationes, frequentes habitae Synodi Provinciales, et barbariei pulsa caligine novus litterarum dies per Europam elucens plurimum contulere, ut Clerici tandem suae professionis reminiscerentur.

XIII. Igitur Jure novo, scilicet post annum Christi millesimum, primum indicta non majoribus modo, verum et inferioribus Clericis lex coelibatus, vel saltem continentiae; scilicet ut grassanti incontinentiae fræna injicerentur: ita Concilium Ticinense an. 1020. Bituricense an. 1031. Tolosanum an. 1056. aliaque apud Thomassinum *P. I. Lib. II. cap. 65.* At deinde veterem duntaxat disciplinam revocari satius visum est: nimirum ut soli majores Clerici, ipsique adeo Subdiaconi coelibatus, vel duntaxat continentiae legi subderentur, inferioribus eidem legi subductis: Concilia Rothomagense an. 1072. *Can. xv.* Juliobonense an. 1080. *Can. ix.* Melphitanum in Regno Neap. an. 1089. sub Urbano II. *Can. xii.* Claramontanum an. 1095. *Can. iii.* Remense an. 1148. *Can. iii.* Videsis Thomassinum *ibidem. ix.*

XIV. Porro sæculo XII. plura novae disciplinae capita in Ecclesiam inducta sunt: Primum, ut Clerici licet minores, si uxores ducant, ab ordine ablegentur, et Ecclesiis suis, sive beneficiis priventur: *Cap. 1. 2. 3. de Clericis conjugatis:* dein et omni clericali privilegio frustrati sunt: Innocentius III. *Cap. 7. eodem.* Demum Honorius III. *ibidem Cap. 9.*

immunitate quoque Ecclesiastica res, et bona illorum non gaudere declaravit. Verum hæ Pontificiæ Constitutiones non videntur suum sortitæ effectum. Haud multo post Bonifacius VIII. canonis, ac fori privilegium Clericis conjugatis, qui bigami non sint, vesteque utantur clericali, ac tonsuram gestent, vel reddidit, vel confirmavit. Eandem disciplinam firmarunt, quæ post secutæ sunt Synodi, ac demum Tridentina Sess. xxiii. Ref. cap. 6. *In Clericis conjugatis servetur constitutio Bonifacii VIII. quæ incipit: Clerici, qui cum unicus; modo hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, et clericali habitu, et tonsura utantur: nemini quoad hoc, privilegio, vel consuetudine etiam immemorabili, suffragante.* Jure Neapolitano ex novissima Concordatorum lege istiusmodi Clerici conjugati tantummodo privilegio fori, et quidem non nisi ex parte fruuntur. Verum de hoc Capite opportunius *Lib. III. (\*\*)* At in Hispania ex *Leg. I. et II. Tit. IV. Lib. I. Novæ Recop.* Trident. Decretum de Clericis conjugatis adamussim observatur. (\*)

XV. Alterum: Ordinem Sacrum tunc primum sæculo xii. impedimenti dirimentis naturam induisse. Et sane Synodus Lateran. sub Innocentio II. an. 1139. *Can. VII. et VIII.* hac in re ita decrevit: *Statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Conversi professi, qui sacrum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam rationem constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Id ipsum de Sanctimonialibus præcipimus. (\*\*)* Quod dein confirmavit Syn. Remens. an. 1148. duos præf. Lateran. Canones transcribens *Can. VII.* Videsis Gratian. *Can. XL. Caus. 27. Quæst. I.* qui illum tribuit Conc. Romano. (\*)

(\*\*) XVI. Jure Hispano ex *Leg. XLI. Tit. VI. Partit. I.* Clerici à Subdiaconatu contrahentes matrimonium excommunicantur, et Beneficiis privantur usque dum congruam egerint pœnitentiam: *Cap. 1. et 5. de Cleric. conjug. et Leg. XVIII. Tit. IV. Lib. I. Fori Judicum.* Mulier vero scienter nubens, etsi specie tenus, Clerico in Sacris constituto, in servitum tradebatur Ecclesiæ: *Can. X. Dist. 31. si in-*

genua esset, si autem ancilla venundari debebat, et pretium Ecclesiæ, cui Clericus inserviebat conferendum. Filii ex id genus in matrimonio nati in parentum bona minime succedebant: *Leg. II. Tit. III. Lib. V. Ordinam. Reg.* quin et in perennem Ecclesiæ servitutem redigendi erant: Syn. Tolet. IX. *Can. x.* Demum hujus criminis cognitio ad S. Inquisitionis Tribunal spectat ex *num. 8.* Edicti quod singulis annis publicatur. (\*)

XVII. Tertium: Uxori publicum perpetuæ continentiæ votum coram Episcopo esse emittendum, ubi marito det veniam sacros ordines suscipiendi: atque adeo neque defuncto marito istiusmodi uxori licet denuo nubere. Adhæc *si talis fuerit, quæ suspicione non careat, voto continentiæ celebrato, à sæcularium hominum se conversatione removeat, et in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuo commoretur.*

Ita Alexander III. *Cap. 5. 6. et 8. de Convers. Conjugator.*

(\*\*) Uno verbo: si conjux senex fuerit, in sæculo remanere poterit continentiam professa; si adolescentula, sollemne castimonie votum profiteri debet. *Leg. XXXVIII. Tit. VI. Partit. I.* (\*)

Hujusce disciplinæ jam inde ab sæculo vi. licet vestigia repetere, uti evincitur ex Syn. Matisonen. II. *Can. XVI.* ac præcipue ex Antissiodorensis *Can. XXII.* qui in hunc modum se habet: *Non licet relictæ Presbyteri, nec relictæ Diaconi, nec Subdiaconi post ejus mortem maritum accipere.* (\*\*) In Hispania jam inde ab sæculi v. initio viduæ Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum vetabantur sub perpetuæ excommunicationis pœna nubere: Syn. Tolet. I. *Can. XVIII.* At non desunt qui putent, nuptias hujusmodi viduis interdici, non ob continentiam votum, ad quod emittendum nullibi coguntur, sed ob servandam bonam memoriam maritorum, eadem prorsus ratione, qua Regum etiam viduis secundæ vetabantur nuptiæ in Syn. Tolet. XIII. *Can. v.* et Cæsaraugust. III. *Can. v.* vel potius quia quum Bigamiam in Clericis execrarentur, eandem legem ad uxores etiam Clericorum extendi debere existimarunt. (\*)

Tom. I. Aaa TI-

## TITULUS XXX.

## De Irregularitatibus.

**I.** Jam inde ab ævo Apostolico canones quidam in Ecclesia Christiana partim ab ipsis Apostolis, partim deinceps ab ipsamet Ecclesia sanciti adcurate semper servati sunt, ad quos, veluti ad *λυδίου λίθον* *lydium lapidem*, qui ad clerum promovendi essent, *ἀξιοί* *digni* ab *ἀναξιοίς* *indignis* discernerentur. Qui requisitis conditionibus destituebantur, antiquitus vel alieni à canone, vel *ἀπλῶς* *simpliciter* ad clerum promoveri non posse dicebantur. Sic Syn. Nicæn. *Can. XVII.* *καθαίρεθῆσονται τῷ κλήρῳ, καὶ ἀλλότριος τῷ ναύῳ ἐσὶ :* *dejiciatur à clero, et alienus à canone existat.* Et *Can. IX.* *τὸ τὸς ὁ ναύῳ ἢ προσίεται* *tales Canon, sive Regula non recipit.* Et Synodus Neocæsarensis *Can. XII.* *ὡς πρεσβυτέρου ἀγισθαί ἢ δυνατόν* *in presbyterum evehi non potest.* Porro secutis temporibus *Irregularitates* dioti sunt, et impedimentum quo detinentur *Irregularitas*: quæ vox (cujus primum usus videtur Innocentius III. *in cap. 10. de Renuntiatione*) licet barbara sit, attamen in græcam sententiam *παρὰ τὸν ναύῳ*, vel *ἀλλότριος τῷ ναύῳ* recte quadrat.

**II.** Antiquitus illa generalis regula ex præscripto apostolico observanda omnino erat: scilicet ut non nisi spectatissimæ probitatis, ac integræ existimationis homines ad clerum promovendi seligerentur. Et sane nihil magis commendavit Apostolus, quam ut sacris ordinibus non initiarentur, nisi qui criminis cujuscunque omnino puri, novum hominem, quem in baptismo induerant, nunquam exuerint: *I. ad Timoth. III. ad Tit. I. Sine crimine*, hoc est inculpati, castis, piisque moribus, fama integra, adeout gratiam baptismatis adhuc in anima integram, ac inviolatam inveniat Ordinatio, suaque gratia illam perficiat, et adcumulet. Et quidem **I.** Canones sic dicti Apostolici *Can. LX.* diserte præcipiunt, ut si *adversus fidelem alicujus actus illicitæ actionis accusatio, intendatur, et convictus fuerit, ad clerum ne promoveatur.* Eadem habet Syn. Ancyrana *Can. I. et II.*

**2** Origenes contra Celsum Ecclesiasticum hac de re Ca-



nonem sic describit : *Christiani lapsos in crimen carnis rursus resipiscentes , haud secus ad redivos , recipiunt..... ea tamen conditione , ut quoniam lapsi sunt , excludantur in posterum ab omnibus dignitatibus , et magistratibus christianis.*

3 Ex S. Augustino *Epist.* 50. ubi explicans verba Apostoli : *Oportet Episcopum sine crimine esse docet , exceptis iis peccatis , sine quibus vita transigi nequit , quodcunque flagitium ab ordinibus repellere : Non ait : si quis sine peccato est , hoc enim si diceret , omnis homo reprobaretur , nullus ordinaretur , sed ait , si qui sine crimine est.* Eadem prorsus est sententia Juliani Pomerii *de Vita Contemplat. Lib. II. cap. 7.* Isidori Hispalen. *de Eccles. Offic. Lib. II. cap. 5.*

4 Ex Epistola Martini I. Papæ ad Amand. *Tales , inquit , quærimus ad Sacros Ordines promovendos , quibus nulla ruga , nullumque vitæ contagium mentes , et corpora præpediat.* Eadem habet S. Gregorius M. haud semel in suis *Epist.* ac præcipue *Lib. I. Epist.* 25. ubi diserte edicit pœnitentiæ obnoxio non patere ad ordinationem accessum : *Præcipimus , ne unquam ordinationes illicitas facias , nec pœnitentiæ obnoxium ad sacros ordines permittas accedere.*

(\*\*) 5 Ex Syn. Tolet. IV. *Can. XXI.* alias *XX.* quæ dotes , quibus ornati esse debent Sacerdotes , recensens , sic statuit : *Quicumque in Sacerdotio Dei positi sunt , irreprehensibiles esse debent , Paulo attestante : Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Inoffensos igitur , et immaculatos decet Dei existere Sacerdotes. (\*)*

6 Demum ex eo , quod Ecclesia nunquam reprobarit , atque adeo admiserit , foveritque universalem pæne praxim , qua pueruli , vel offerrent seipsos , vel à parentibus Episcopis offerrentur , ut in pietate , ac scientiis instituti , suo ipsorum postea , ubi ad maturiorem pervenissent ætatem , accedente consensu , sacris ordinibus initiarentur. Atque hujusce praxeos illa præcipua ratio erat , nimirum ut adolescentuli necdum sæculi contagio adflati , primigeniam animi , corporisque innocentiam servantes , clericatum ambi-  
rent solo castimoniam , religionis , sanctitatis , et vitæ æternæ amore accensi. Videsis Thomass. *Part II. Lib. I. cap. 23.*

III. Eodem intuitu ab ordinibus arcebantur 1. Clinici , vel

apud hæreticos baptizati, quorum fides satis probata non habebatur: Conc. Neocæsar. *Can. XII.* Innocentius I. *Ep. 22.*  
 2. Neophyti, quippe qui facile in superbiam efferri possent: Apost. *I. ad Timoth. Cap. III. v. 6.* 3. Peregrini, quorum non satis perspecta fides, morumque integritas: Cælestinus *Epist. 2. ad Episcop. Narbon.* Leo M. *Epist. 34. ad Anast.* et Syn. Illib. *Can. XXIV.* *Omnes qui peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad Clerum non posse cooptari.* Potiori jure quicumque aliqua nominis macula laborabant *κατὰ τὴν ναύρα* Irregulares habebantur: ejusmodi erant hæretici, apostatæ, schismatici, aliique id genus, nisi prudens Ecclesiæ *δυσπόσια* dispensatio in gratiam multitudinis ex hæresi, vel schismate in Ecclesiæ sinum redeuntis intercessisset: ut in Catharis decrevit Synodus Nicæna *Can. VIII.* *De his, qui se nominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam; placuit Sancto, et magno Concilio, ut impositionem manuum accipientes, sic in clero permaneant.... Ubicunque, sive in municipiis, sive in civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in clero, in eodem habitu perseverent.* Eodem pacto in Collatione Carthag. cum Donatistis actum est: Decretum Marcellini Tribuni, et Notarii *ad calcem Collat. III.* Augustinus *Serm. 558.* *Ubi dicitur*

IV. Quin etiam omnes, qui Pœnitentiæ publicæ subjecti fuissent, ab ordine suscipiundo arcebantur ex antiquissimo Ecclesiastico Canone: scilicet, ut qui Canonicam pœnitentiam subiissent, in Clero cooptari omnino vetarentur. Unde Concilium Carthag. *IV. Can. LXVIII.* sic decernit: *Ex pœnitentibus, quamvis sit bonus, Clericus non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur à Clero, quia se ordinationis tempore non prodidit pœnitentem. Si autem sciens Episcopus ordinaverit talem; etiam ab Episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate privetur.* Idem præscribunt Siricius P. *Epist. I. cap. 14.* Innocentius I. *Epist. XXII. cap. 3.* Gregorius M. passim in suis Epistolis, Concilia Arelat. *II. Can. XXV.* Tolet. *I. Can. II.* &c. Videsis Thomass. *P. I. Lib. I. cap. 56.* (\*\*\*) At præf. Syn. Tolet. *ibid.* pœnitentes in Clerum admitti decernit, si *necessitas, aut usus exegerit*; et Siricius in *ead. Epist. cap. 15.* si Apostoli-

cæ Sedi videretur quisquam de talibus pœnitentibus adsumendus. (\*)

(\*\*) V. Crimina tamen quod spectat, quæ ordinum impedimenta censerentur, recenset Syn. Tolet. IV. *Can. XIX.* alias *XVIII.* scilicet, qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamie nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam admisisse confessi sunt, qui in hæresim lapsi sunt, vel qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos absciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habere noscuntur, qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt, aut numerosa conjugia frequentaverunt, qui viduam, vel marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas ad fornicationem habuerunt, qui servili conditioni obnoxii sunt, qui ignoti sunt, qui Neophyti sunt, vel laici sunt, qui sæculari militiæ dediti sunt, qui curiæ nexibus obligati sunt, qui inscii litterarum sunt, qui nondum ad triginta annos pervenerunt, qui per gradus Ecclesiasticos non accesserunt, qui ambitu honorem quærunt, qui muneribus honorem obtinere molliuntur. (\*)

VI. Porro secutis temporibus, licet Ecclesia ab veteris hæc in re Ecclesiasticæ disciplinæ severitate recessisset, quum et occultos peccatores exceperit, nec omne publicorum criminum genus irregularem faciat, adhuc tamen irregularitatis *essentia* in eo est, ut ex certis, determinatisque criminibus, iis etiam per pœnitentiam remissis, maneat irregularitas Ordinum susceptionem, eorumque usum impediens.

VII. Igitur Irregularitatis nomine veniunt *canonica impedimenta*, quæ vetant quominus quis ad ordines promoveatur, vel in susceptis ministret. Cur autem impedimenta dicantur, illud in caussa est, scilicet quod jure novo non contrahantur, nisi in casibus à jure expressis: *Cap. 18. de Sentent. Excomm. in VI.*

VIII. Antiquitus Irregularitas præcipue in crimine, ejusque suspitione locum habebat: adeo ut ille diceretur Irregularis, qui non erat sine crimine, atque adeo non irreprehensibilis. Verum postea audiri quoque cœpit Irregularitas ex defectibus quibusdam tum corporis, tum animæ. Duplex igitur jure novo distinguitur irregularitas, altera

scilicet ex defectu, et altera ex crimine: utraque varias sub se species complectitur, quarum præcipuas duntaxat hic paucis explicabimus, reservata Theologis Moralibus longiori hac de re disquisitione.

### *Irregularitas ex defectu Natalium.*

IX. Prima igitur Irregularitas oritur ex defectu Natalium. Antiquitus hujusmodi defectus Irregularitatem non gignebat, et quaqua ratione illegitimi, si Sacerdotio digni viderentur, ordinibus libenter initiabantur. At secutis temporibus pluribus ex causis, quas recenset Espenius *P. II. Tit. X. cap. 3.* primum filii Presbyterorum, dein et quicumque illegitimi huic Irregularitati obnoxii fuerunt; quod quidem antiquius non videtur sæculo XI. quum primi hac in re perlati Canones sint *Canon V III. Syn. Bituricensis an. 1031. Can. VIII. Syn. Pictaviensis an. 1178. Cap. 1. de Filiis Presbyterorum*, et Decretum Urbani II. an. 1095. *Can. 1. Dist. 56. (\*\*)* At idem Urbanus Petrum Legionensem Episcopum ex illegitimo matrimonio natum in Episcopatu confirmavit: *Canone XIV. ejusdem Distinctionis 56. (\*)* Igitur qui hujuscemodi contraxit Irregularitatem ordinari vetatur, nisi in Cœnobiis, aut in Canonis religiose probati fuerint conversati: *dicto Can. 1.* vel dispensationem consequantur, quæ in minoribus ordinibus ab Episcopo rite impartietur, alias à Summo Pontifice: *Cap. 1. de Filiis Presb. in VI.* Qua quidem Pontificia dispensatione indiget etiam illegitimus monasticam vitam professus, si ad Prælaturas suæ religionis adsumendus sit.

### *Irregularitas ex defectu Corporis.*

X. Irregularitas ex defectu Corporis in populo hebraico, utpote carnali plurimi fiebat: *Levit. XXI. v. 18. 19. et 20.* Verum ejusmodi leges cum Synagoga evanuerunt: Sozomenus *Lib. VI. cap. 3.* Palladius in *Historia Lausiaca cap. 12.* Igitur legibus Ecclesiasticis ii duntaxat corporis defectus Irregularem faciebant, ab quibus ad ordinum munia obeunda impotens quis redderetur. Canones vulgo dicti Apostolici *Can. LVI.* uti quoque irregulares evadebant, qui sponte  
sua,

sua, nulla necessitate urgente membrum sibi incidissent, tanquam suimet homicidæ: *Can. Apost. XXI. (\*\*)* Collect. Martini Bracar. *Cap. 21. et Leg. XXV. Tit. VI. Partitæ I. (\*)* At sæculo v. eadem irregularitas ad quoscunque defectus extenta est, qui vel insignem deformitatem adferrent, vel scandalum gignerent. Ita R. Pontifices Hilarius, et Gelasius *Can. XII. et Can. III. Dist. 55.* Ceterum superveniens jam ordinatis debilitas, modo susceptos ordines exercere non impediatur, irregularitatem non inducit; *ibid. Can. I. et XIII.* Ad ejusdem Irregularitatis speciem ea referri etiam potest, quam subeunt dementes, energumeni, et epileptici: *Syn. Tolet. XI. Can. XIII. Can. II. III. IV. Dist. 33.*

### *Irregularitas ex Digamia.*

XI. Irregularitas ex Digamia auctorem habet Apostolum I. ad Timoth. *Cap. III. v. 2. Oportet Episcopum esse unius uxoris virum.... Diaconi sint unius uxoris viri.* Quibus in locis, uti recte observat Estius, dicuntur unius uxoris viri, qui duas uxores non modo simul non habuerint, sed nec etiam successive; quæ sane communis est Patrum sententia antiquissima, et universali Ecclesiæ consuetudine probata.

XII. Jam vero quid, si quis duas quidem uxores habuerit, at alteram ante baptismum, alteram vero post baptismum? Græci sane, qui hujusce Irregularitatis, rationem ex incontinentia, ejusve suspitione hauriebant, conjugii ante baptismum initi nullam habendam esse rationem censebant. Unde *Can. Apostolic. XVI.* præscribit: *Qui post baptismum duobus conjugii fuerit implicatus, vel habuerit concubinam, non potest esse Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali.* At contra Patres Latini ex quodam Sacramenti defectu hanc irregularitatem desumentes, quippe contrahens secundas nuptias quendam Sacramenti normam amisisse visus sit, ut loquitur Aug. *de Bono conjugali cap. 18.* ex plurali uxorum numero eam omnino exoriri docuerunt; ita ut quis revera sit bigamus, si duas habuerit uxores, licet alteram ante baptismum susceperit. Ita Innocentius I. *(\*\*)* in *Epist. ad Episc. Syn. Tolet. Cap. 6. (\*)* Augustinus *ibid. S. Leo M. Ep. I. cap. 3.*

ac demum Cælestinus III. in *Cap. 3. de Bigamis non ordinandis*. Atque Apostolica hæc regula adeo invaluit, ut quamvis Apostolus Presbyterorum duntaxat, et Diaconorum meminert, eam tamen Ecclesia ad Hypodiaconatum, aliosque inferiores ordines deinceps extenderit.

XIII. Postremo quum Apostolus non nisi veros bigamos ab ordinibus arcendos præscripserit, Canones tamen duo alia addiderunt bigamiæ genera; nimirum *Interpretativæ*, et *Similitudinariæ*. Interpretativa est, in qua non re, sed vi, ac potestate duplex conjugium consideratur; veluti si quis iteratas invalidas nuptias contrahat: *Cap. 4. de Bigamis non ordinandis*; vel si quis ducat uxorem alio marito viduatam: (\*\*)*Syn. Tolet. I. Can. III. et cap. 7. de Bigamis*: (\*) aut ab alio fornicarie corruptam: (\*\*)*Can. IX. Dist. 34.* (\*) vel virginem, quæ post nuptias alteri prius, quam conjugii suo, se immiscuerit: *Can. XI. et XII. Dist. 34.* (\*\*) et expresse *Leg. XXXV. Tit. V. Partit. I.* (\*) Similitudinaria est, quum quis sacro decoratus ordine, aut sollemni Castitatis voto constrictus uxorem ducat, licet virginem, cumque ea rem habeat: quamvis enim irritas nuptias contrahat, ut tamen ea contrahendi libido puniatur, veluti bigamus reputatur: *Capit. 7. de Bigamis non ordinandis*. Postrema hæc bigamiæ irregularitas Episcopi dispensatione deletur, ne ordinibus suscipiendis obstet: *Cap. I. et 4. de Clericis conjugatis*. Superiores vero non nisi Pontificis auctoritate amoveantur.

XIV. Bigamia non solum aditum præcludit ad Ordines, sed minores etiam Clericos ad laicalem conditionem redigit, ut ne per ipsam quidem uxoris mortem ad Clericatum redeant: *Cap. 3. de Bigamis non ordinandis*: *Cap. unic. eodem in VI.* Clerici vero majores, qui nempe Sacros ordines susceperunt, ubi bigamiam contrahant (ut si Subdiaconus invalidum cum vidua matrimonium ineat) licet ab omni Ecclesiastico ministerio arceantur, Clericalia tamen privilegia non amittunt: (\*\*)*Suarez de Censuris Dist. XLIX. Sect. V. num. 7.* (\*)

XV. Episcopo non ea adest facultas, ut bigamum, sive verus sit, sive interpretativus, ab irregularitate eximat, tum quod ad majores ordines, tum quod ad inferiores, et beneficia simplicia. Qua de re nova Ecclesiæ disciplina rigidior esse videtur in bigamos, quam in criminosos; quod enim

enim ad hos attinet, Episcopum dispensare posse colligitur ex Decreto Innocentii III. *Cap. 6. eodem.* At vero in bigamos olim mitiorem fuisse Ecclesiæ disciplinam ex hactenus dictis satis patet.

*Irregularitas ex defectu Libertatis.*

XVI. Irregularitas ex defectu Libertatis ex Apostolica videtur profluere traditione. Apostolus enim Onesimum servum ordinare noluit, sed Timotheo præcepit, ut ipsum Philemone Domino suo consentiente, ordinaret, cui postea in Cathedra Ephesina successit. Sic etiam Canon ex sic dictis Apostolicis LXXXI. *Servos in clerum provehi sine voluntate dominorum non permittimus.* Hujus Irregularitatis ratio ea videtur fuisse, ne scilicet Dominorum jura læderentur; quare ibidem subnectit Canon, *ad eorum, qui possident molestiam. Domorum enim eversionem talia efficiunt.* Jure Neapolitano ex binis Pragmaticis, quas supra indicavimus Servi adscriptitii sine consensu suorum dominorum Clero adcerseri vetantur. Ceterum quod apud Deum *non est servus, neque liber, omnes unum sumus in Christo:* Apostol. *ad Galat. III. v. 28.* hinc servos consentientibus dominis suis ordinari posse, et hoc ipso libertatem adipisci, nulli unquam dubium fuit. Can. Apost. ibidem: *Si quando autem etiam dignus Servus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, et Domini concesserint, ac liberaverint, et ædibus emiserint, fiat.* (\*\*) Et Syn. Tolet. IV. *Can. LXXIII.* alias *LXXII.* et Tolet. IX. *Can. XI.* (\*)

XVII. Ejusdem irregularitatis vinculo videntur obstricti Syndici Universitatum, Tutores pupillorum, et quicumque ad rationes reddendas obligantur, nisi prius administrationis rationes habuerint, æque constiterint: *Cap. un. de Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.* Tum Concil. Carthag. I. *Can. iv. Recte statutum est, ut obnoxii alienis negotiis non ordinentur.* (\*\*) Et Innocentius I. *in Epist. ad Episc. Syn. Tolet. præf. cap. 6. et Leg. XXIII. et XXIV. Tit. VI. Partitæ I.* (\*)

*Irregularitas ex defectu Lenitatis.*

XVIII. Irregularis ex defectu Lenitatis is dicitur, qui alicujus morti, etiamsi juste, ac legitime illata sit, se interposuerit. Ecclesia enim semper à sanguine abhorruit. Quamobrem Apostolus in Episcopis, et Diaconis inter cetera requirit, ut non sint percussores: et Conc. Tolet. IV. *Canone XXXI.* alias *XXX.* in iis tantummodo caussis Clericos à Regibus judices fieri permittit, *ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia præparetur. Si quis ergo Sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis exstiterit, reus effusi sanguinis apud Christum, et apud Ecclesiam perdat proprium gradum.* Idem præscribunt Syn. Tolet. XI. *Can. VI.* apud Gratian. *Can. XLIX. Caus. 23. Q. VIII.* Alexander III. in *cap. 5. Ne Clerici, vel Monachi.* Expressius Innocentius III. in *Cap. 9.* eodem: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur intersit. Nec quisquam Clericus litteras scribat, aut dictet pro vindicta sanguinis destinanda.*

XIX. Hinc in Irregularitatem incurrunt 1. Clerici, qui in causa sanguinis judices agunt; quam non evadunt, licet ejusmodi judicium, ceu Delegati Principis exerceant: *Cap. 4. de Raptoribus.*

2 Clerici, qui, ubi vindicta sanguinis exercetur, ita intersint, ut in illam sua auctoritate influant: *Cap. 10. de Excessibus Prælatorum.* Et ita textus Innocentii III. intelligendus; neque enim irregularis erit Clericus, qui tanquam merus spectator ex curiositate forsan illic adsit: *Glossa in dictum caput.* Licet negandum non sit Ecclesiasticos minus decere hujusmodi spectaculis interesse.

3 Clerici, qui in ejusmodi judiciis Notarii, Graphiarii, et Actuarii munere funguntur: adhæc qui Advocati, aut Adsectoris partes agunt, si contra reum postulent, vel consulant, aliique ad ipsam sanguinis sententiam, ejusve executionem proxime concurrentes.

4 Clerici, qui de gravi crimine sibi irrogato, cui pœna sanguinis addicta est, accusationem instituant, vel judicialem



lem denuntiationem, et simul non protestentur expresse, quod ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendant; quæ contestata denuntiatio si intercesserit, non vetantur quominus sibi illatas injurias persequantur: et quidem ne daretur ple-risque materia trucidandi eosdem (Clericos) et ipsorum bona libere deprædandi: Cap. 2. de Homicidio in VI. Jure Neap. ex Bulla Sixti V. relata in Pragm. 4. De persequendis male-factoribus. Clerici facinorosos homines, eorumque fautores publicis Judicibus detegere non vetantur. Ceterum agere criminaliter ad vindictam sanguinis ad privatas personas non spectat, sed duntaxat ad Officiarios publicos. Postremo quod ad testes spectat, nihil certi jure Canonico statutum est: at vero distinguunt DD. inter testes voluntarios, et necessarios, sive coactos; atque illos irregulares fieri docent, haud vero istos, ubi ad testimonium ferendum à publicis Judicibus cogantur.

XX. Jam vero hujusmodi ex defectu lenitatis Irregularitati non sunt obnoxii: 1. *Episcopus, Prælati, vel Clericus* quicumque jurisdictionem obtinens temporalem, qui homicidio, aut alio maleficio in jurisdictione sua commisso, Ballivo, aut alii cuicumque injungat, ut de eo rite inquirat, justitiæque debitum exsequatur; quamvis ille Ballivus, vel alius contra reos, ita exposcentibus justitiæ legibus, ad pœnam sanguinis processerit: Bonifacius VIII. Cap. fin. Ne Clerici, vel Monachi.

*in loco Bonifacii dicitur Innocentius III.*

2 *Episcopus*, qui Clericum degradatum Curiaæ sæculari tradat, modo quammaxime operam suam adhibeat, ut ille pœna capitis non damnetur; licet certo sciat sic traditum capitali pœna adficiendum: Innocentius III. Cap. 27. de Verborum Significatione.

3 *Furiosus, infans, aut dormiens*, qui hominem mutilet, aut occidat: tum Clericus, vel quisquis adgressoris occisor, cujus insidias nullo pacto, nullaque ratione evadere possit. Clemens V. in Clement. unic. de Homicidio.

XXI. Duo hic postremo omnino animadvertenda. Primum: Ejusmodi Irregularitatem contrahere non Clericos modo, verum et Laicos: unde hi Ordines, quin et ipsam clericalem Tonsuram citra dispensationem suscipere vetantur. Alterum: Non Laicos modo, verum et Clericos in ejusmodi Irregu-

laritatem non incurrere, ubi sententia sanguinis executioni demandata non sit; neque refert videre, num fortuito eventu, an fraude executio impedita fuerit; quum irregularitas hæc ex jure positivo inducta, strictam velit interpretationem.

### *Irregularitas ex Crimine.*

XXII. Olim, ut jam antea diximus, omnia crimina, quæcunque ea essent, sive manifesta, sive occulta, et quæ publica pœnitentia expianda erant, ab ordinibus arcebant, licet legitimis pœnitentiæ exercitationibus jam essent diluta. Verum sanctissima hæc disciplina ad sæculum usque XI. accurate in Ecclesia servata est, quo tempore primum per falsas Decretales induci discrimen cœpit inter crimina publica, et occulta; atque illis adfixa Irregularitas, ab his vero amota. Atque hinc factum est, ut occulti criminosi, qui clam pœnitentiam peregissent, et in suos pristinos ordines restituerentur, ubi jam ordinati essent, et Clero quoque adenserentur, ubi laici ad ordines adspirarent. Eiusmodi disciplinam probavit Gratianus *Dist. 50. ad calcem Can. XXVIII.* Igitur Jure Decretalium ex iis duntaxat criminibus oritur Irregularitas, quæ vel infamiam sive in jure, sive facto irrogant ob maculam, qua inde criminosus adspergitur: *Cap. 87. de Regulis Juris in VI.* vel quæ nominatim sunt expressa.

XXIII. Jam vero crimina, quæ infamiam irrogant præcipua sunt: Apostasia à Fide, Hæresis, Crimen læsæ Majestatis, Simonia &c. Neque ab infamiæ nota exempti Scenici, Comœdi, Fœneratores, Seditiosi, Usurarii &c. Codex Canonum Afric. *Can. LXIII.* (\*\*) Uno verbo: quoscunque Jus Civile infames habet, eos etiam et Jus Canonicum *Can. II. Caus. 6. Q. I.* Plura delicta infamiæ nota respersa habet *Canon II. Caus. 3. Q. VII.* et *Can. XVII. Caus. 6. Q. I.* Inter hæc, sola hæresis ad secundam generationem paternam, et primam maternam, infamiam transfert, hæresis scilicet, quæ nunquam abjuratur: *Cap. 15. de Hæreticis in VI. Leg. III. Tit. III. Lib. VIII. Nov. Recop. (\*)*

XXIV. Crimina, quibus speciatim in Jure Irregularitas ad-

addicta est, sunt 1. Baptismi iteratio, eidemque impensum ministerium: *Cap. 2. de Apostatis, et iterant. Baptis.* 2. Illicita, sive furtiva Ordinis susceptio, vel Ordinis non suscepti publicus in Ecclesia usus: *Cap. 1. et 2. de Eo, qui furtive &c. et Cap. 1. et 2. de Cler. non ordin. &c.* 3. Clerici, qui per saltum promoti in illicite suscepto Ordine ministrant: (\*\*)*Cap. 1. de Sent. Excommunicat. in VI. (\*)* 4. Qui excommunicatione, alterave censura adligati Ordinibus initiantur, vel Ordinum sic illicite susceptorum munia in Ecclesia peragere audent: passim in *Tit. de Cler. excomm. &c. ministrante.* 5. Demum, ac potissimum Homicidæ, qui quæ injuria membrum humanum mutilarint. Quæ de re Irregulares sunt

1. Quicumque in causa fuerint, cur ejusmodi crimen perpetratum fuerit, et quidem sive physice, ut ajunt, sive moraliter, scilicet mandato, consilio, precibus, auxilio, favore &c. Passim in *Tit. de Homicid.*

2. Qui dantes operam rei illicitæ hominem, licet casu, sive fortuito, occiderint, vel membrum detruncarint. Quamobrem Clerici, qui vel chirurgiæ, vel choreæ, aliisve sibi vetitis operam dantes homicidium commiserint, irregulares sunt.

3. Qui in arte, quam profitetur, vel oscitanter versatus, vel requisitam legitime diligentiam adhibere negligens hominem, licet casu, vel interficiat, vel membrum detruncet: *Cap. 7. de Homicid.* Porro constat nullam contrahi Irregularitatem, ubi homicidium sit omnino fortuitum: scilicet quum actio sit licita, debita adhibeatur diligentia, nec homicidium ulla ratione prævideatur: *Cap. 9. ibid.*

4. Demum Irregularis quoque ille censendus est, qui in probabili dubio versatur, num actum admiserit, cui Irregularitas certo adnexa est. Quod dubium *Facti* à Moralisticis vulgo dici consuevit. Profecto *Cap. 12. ibid.* Clemens III. consultus de Presbytero dubitante de homicidio à se perpetrato in hunc modum respondit: *Quia vero, utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur: tuæ discretioni duximus respondendum, quod, quum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret. (\*\*)* In his

recensendis irregularitatibus perbelle Alphonsus noster à *Lé-ge XIII. Tit. VI. Partit. I. (\*)*  
 no XXV. Dispensationem in Irregularitatibus quod spectat, profecto quæ ex temporario oriuntur defectu, uti ætatis, libertatis, scientiæ &c. eo ablato evanescent: quæ ex perpetuo, et perseveranti vitio dimanant, sola dispensatione auferri possunt. Episcopi dispensant cum illegitimis, sed quantum ad minores ordines, et beneficia simplicia; uti quoque in Irregularitatibus ex delicto occulto provenientius, excepto tamen homicidio voluntario, aliisque ad forum contentiosum deductis: in reliquis R. Pontificis venia opus est: (\*\*) *Trident. Sess. xxiv. Ref. cap. 6. (\*)* Ceterum sive Episcopus dispenset, sive etiam R. Pontifex, Dispensationis Canones servandi sunt; nimirum, ut parce, et nonnisi Ecclesiæ utilitate, aut necessitate id postulante, ejusmodi dispensationes impertiantur. (\*\*) *In Hispania Generalis S. Cruciatæ Commissarius dispensare potest in quibuslibet Irregularitatibus, iis exceptis, quæ contractæ sunt ex homicidio voluntario, Simonia, Apostasia à Fide, Hæresi, aut prava Ordinum susceptione; ut ex Bulla S. Cruciatæ, ut vocant, adparet. (\*)*

## TITULUS XXXI.

### *De Ascetis, Monachis, et Regularibus.*

I. **T**Ribus prioribus Ecclesiæ sæculis crebra occurrit mentio Ascetarum: verum hi non iidem sunt, ac Monachi. Ascetæ namque vocabantur Christiani, qui durius quoddam, ac strictius vitæ genus profitebantur; quam vocem à philosophis mutuati erant, qui *exercitationem virtutis, et obedientiæ* ἀσκησιν vocabant. Monachorum vero nomen, et institutum serius cœpit. Hinc apud Origenem Ascetæ nuncupantur, qui à carnibus, ac rebus vitam habentibus abstinabant: quam abstinentiam Canones sic dicti Apostolici ἀσκησιν *exercitationem* vocant. Tum Cyrillus Alex. Annam prophetissam Ἀσκητριάδην ἑνὴν τῶν ἁγίων *Ascetiam religiosissimam*



*titut. Monach. cap. 2.* tot in Occidente propemodum essent Regulæ, quot Monasteria. (\*\*\*) Et quidem ex Oriente in Hispaniam Monachorum regulam advexit Martinus Bracaraensis, compluraque Monasteria condidit. S. Isidorus *de Viris Illustrib. cap. 35.* inter quæ celebre fuit Dumiense: Synod. Tolet. X. *Aliud Decretum.* Donatus quoque S. Columbani discipulus ex Africa Monasticum institutum adduxit, et Servitanum construxit Monasterium. Ex his iste Donatus prior in Hispaniam Monasticæ observantiæ usum, et regulam dicitur adduxisse: S. Isidorus *ibid. cap. 10.* At si Mabillonio credimus, Victorianus Hispanus primus fuit, qui Monasticum institutum in patriam induxit, et inter Pyreneos montes, et fluvium Cinca prope Ainsam, celebre quondam Oppidum, Monasterium condidit ipso sæculi VI. initio. Mabillon. *Annal. Benedict. ad an. Christi 534. Cap. 28.* In hoc dein ingressi sunt Benedictini, et ii nunc, quos Claustrales vocant, obtinent. Tum S. Isidorus viginti tres canones pro dirigenda Monachorum vita, ejusque frater Leander viginti unum pro instituendis Virginibus ediderunt. Postremo S. Fructuosus Dumiensis Episcopus binas pro Monachis formavit Regulas, ab Holstenio in Codice Regularum editas. (\*) Sed tandem sæculo VI. ineunte S. Benedictus regulam tradidit, quam fere omnes Occidentalis Ecclesiæ Monachi amplexati sunt, licet deinde in varias Congregationes abierint. Omnium antiquissima est Casinensis Regni Neapolitani ab ipso S. Benedicto in Monte Casino erecta, quæ reliquarum veluti parens habetur, et auctrix. In Regno quoque Neap. binæ aliæ emerserunt Congregationes Benedictinæ; scilicet *Montis Virginis* S. Gulielmi Eremitæ Vercellensis an. 1124. et *Cælestinorum* S. Petri de Morrhone Esernini, qui ad solium Pontificium elatus Cælestini V. nomen adsumsit an. 1274.

(\*\*\*) IV. Quandonam advectum primo fuerit in Hispaniam ejusmodi S. Benedicti institutum, non una est eruditorum opinio. Non defuit, et quidem Cl. ex nostris Scriptor, qui putaverit, Synod. Tarracon. an. 516. *Can. VI.* de ejusd. S. Benedicti Monachis loquutum esse, id est, tredecim circiter annis ante conscriptam Regulam; sed quandoque bonus dormitat. Mabillonius de litteraria republica optime me-

ritus suspicatur *laud. loc.* quod Martinus Bracarenensis ex Italia, per quam ex Oriente veniens fortassis transierat, Benedictinum institutum adduxerit, idque probare nititur ex Epist. Bonifacii IV. ad Athelbertum; verum nos nullum in hac (apocrypha sane) Bonifacii Epistola hujusmodi tuendæ conjecturæ fundamentum invenimus. (\*)

(\*\*) V. Persuasum est etiam Mabillonio *ibid. Cap. 27.* Synod. Tolet. IV. *Can. XLIX.* alias *XLVIII.* ad *Cap. 59.* Regulæ S. Benedicti respexisse, quum pueros à parentibus Monasterio traditos, monasterio perpetuo mancipandos decrevit; at B. Benedictus in eo Capite omnem videtur adhibuisse cautionem, ne pueri Monasterio à parentibus oblati, ab ipsis postea seducti parentibus, regulari vitæ nuntium remitterent, non tamen illos ad perpetuam in Monasterio stabilitatem, uti Synodus Toletana coegit. (\*)

(\*\*) VI. Porro non diffitemur, Benedictinum institutum, quippe quod à S. Gregorio probatum fuerat, exeunte sæculo VI. inductum fuisse fortassis in Hispaniam, sed Monasterium sub eadem institutum regula nullum invenimus in Hispania usque ad sæculum VIII. in cujus an. 741. Alphonsus I. Monasterium de *Cobadonga* in Asturiis erexit sub Regula S. Benedicti, si vera sit Scriptura foundationis, quam publicæ luci dedit Asturicensis Principatus anno 1778. quod quidem institutum longè lateque deinceps propagatum est, præsertim post Synod. Ovetensem anno 1050. in cujus *Cap. II.* decernitur, *ut omnes Abbates se, et fratres suos, et Monasteria; et Abbatissæ se, et Moniales suas, et Monasteria secundum B. Benedicti regant statuta.* Verum quum Sanctius Major quosdam è Cluniacensi reformatione deductos Monachos, ad suum Legierense Monasterium adduxisset an. 1022. (Mabillonius ubi supra) ex hac præcipue regula Benedictinum in his partibus propagatum est institutum, ut colligitur ex Privilegio Sanctii Ramiresii 18. April. an. 1070. *Apud Aguirre Tom. IV. pag. 334. edit. Rom.* (\*)

VII. Monachi igitur ita dicti, quod solitariam vitam agerent, antiquitus non nisi duplici erant in genere: alii enim simul in Conventibus degebant, qui et ideo *Cænobitæ* etiam dicti, quorum Præpositi *Archimandritæ, Cænobiarchæ,* et

communiter *Abbates* vocati sunt. Alii seorsum agebant, qui *Anachoretæ*, et *Eremitæ* dicti: quos nimirum vita commendatione à nutu, et regula Abbatis veluti manumissos silvestribus antris mancipabat, ut in solitudine impensius sanctitati vacarent. Ubi vero horum plures in eadem solitudine alii ab aliis paullulum disjuncti viverent, omnes communi nomine *Laura* dicebantur. His addi possunt *Sarabaytæ*, *Stylitæ*, *Ἀσκητικοί*, sive *Insomnes*, *Ἰδανῆς*, sive *Pascentes*, aliique; verum de his fusius in nostris *Antiquitatibus Christianis*, ubi de vitæ monasticæ progressu exquisitius agemus.

VIII. Medio sæculo xi. uti supra jam observavimus, quum Canonici præsertim Cathedralium vitam communem voto paupertatis adstrictam profiteri cœpissent; quod sane institutum Concilia Romana sub Nicolao II. et Alexandro II. probarunt, et promoverunt: hinc Canonici sic dicti *Regulares* exorti sunt. Hi sub Regula S. Augustini inclaruerunt; vel quod ad exemplum Cleri Hipponensis omnem bonorum proprietatem dimitterent, vel quod Regulam ea ætate Augustino tributam amplexati fuerint. Ipse Alexander II. eosdem in suam Ecclesiam Patriarchalem S. Joannis in Laterano quum recepisset, ortum inde suum habuit Canoniorum Lateranensium Congregatio, cujus caput fuit Basilica, sive Monasterium Lateranense. (\*\*). In eodem sæculo xi. prima visa sunt semina Canoniorum Regularium in Hispania. Videsis *Tit. XXV. (\*)*

IX. Inter Regulares post sæculum xii. Mendicantes clarescere cœperunt. Hi sunt Coenobitæ, qui eleemosynis fidelium vitam agentes Clero in functionibus hierarchicis auxilio sunt. Horum primi, et celeberrimi sunt Ordines Prædicatorum, Minorum, Augustinianorum, et Carmelitarum. Prædicatorum Ordinem à S. Dominico Hispano institutum, et quidem sub Regula S. Augustini (quæ postea in Comitibus generalibus pluribus capitibus aucta est) Innocentius III. in Concil. Generali Lateran. IV. adprobavit. Minorum Regulam, quam propriam, ac novam in rigida paupertate, (\*\*). et labore manuum (\*) instituit S. Franciscus Assisiensis, ab Innocentio III. jam probatam, Honorius III. an. 1223. confirmavit. Eodem pæne tempore Carmelitarum nonnulli



in Europam profecti suæ Regulæ adprobationem ab eodem Honorio III. an. 1226. impetrarunt. Hos à B. Bertoldo Calabro in monte Carmelo primum collectos ad certam vivendi regulam S. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus redege- rat (\*\*). an. 1171. (\*) Postremo Eremitas Augustinenses ante Concilium Lateran. IV. jam vigentes, nonnullisque præro- gativis ab Innocentio III. auctos, in unam ex pluribus Congregationibus societatem redegit an. 1245. Innocentius IV.

X. Porro jam præcesserant in Galliis *Trinitarii* pio Redemtionis Captivorum operi addicti, auctoribus S. Joanne de Matha, ac S. Felice Valesio, quorum Institutum ipse Innocentius III. an. 1209. adprobaverat. Tum non diu post, scilicet an. 1235. prodiit in Hispaniis Ordo *S. M. de Mercede* ad redimendos etiam Captivos à S. Petro Nolasco, S. Ray- mundo de Pennafort, ac Jacobo Aragoniæ Rege in Eccle- siam inductus. Tum pæne secuti sunt *Servitæ* B. Alexii de Falconeriis Florentini an. 1233. *Hieronymitæ* B. Petri de Pi- sis an. 1421. *Minimi* S. Francisci de Paula Calabri in Regno Neapolitano an. 1474. (\*\*). *Capuccini* verius à Matthæo Bas- sio Veneto an. 1525. (\*) *Fratres Charitatis* S. Joann. de Deo in Lusitania an. 1572. *Carmelitæ Discalceati*, sive *Nudipe- des* ex reformatione S. Theresiæ an. 1592. *Augustiniani Discalceati* an. 1585. *Trinitarii* item *Discalceati* an. 1599. (\*\*). et *Mercenarii Discalceati* an. 1603. (\*) aliique. Videsis Rubertum Miræum, et Philippum Bonannum Ordinum Reg- ularium Historiographos Clarissimos.

XI. His porro accesserunt Clerici, qui votis, certisque regulis addicti communem agunt vitam; ex quo *Clerici Regulares* dicti sunt. Horum prima Congregatio dicta *Theati- norum*, quippe quæ ortum habuit à Joann. Carafa Neapoli- tano Episcopo Theatino, qui postea Paulus IV. Pontifex Ma- ximus fuit, et S. Cajetano Tienæo an. 1524. Tum deinceps prodierunt *Somaschi* S. Hieronymi Emiliani Veneti an. 1531. *Barnabitæ* Ven. Antonii M. Zachariæ Cremonensis an. 1532. *Clerici Regulares Minores* instituti à B. Joanne Francisco, et Ven. Fabritio Caracciolis Neapolitanis, ac Ven. Augustino Adorno Genuensi. *Clerici Regulares Ministri Infirmorum* S. Camilli de Lellis Theatini in Regno Neapolitano an. 1586. *Clerici Regulares Matris Dei* Ven. P. Joannis Leonar-

di Lucensis an. 1595. *Clerici Regulares Scholarum Piarum* S. Josephi à Calasantio Aragonensis an. 1621. Atque hæc præcipua sunt Clericorum Regularium Instituta apud nos notiora.

XII. Tum et alia Clericorum Instituta in Ecclesiam inuenta sunt; qui scilicet sub certis quibusdam regulis communem vitam agunt, at vel nulla vota emittunt, vel duntaxat simplicia: qua de re ut à Regularibus distinguerentur, eorum Collegia *Congregationes Presbyterorum Sæcularium* dictæ sunt. Hujusmodi sunt *Oratoriani* Romæ instituti à Sancto Philippo Nerio Florentino an. 1577. *Pii Operarii* Ven. P. D. Caroli Carafa Neapolitani an. 1634. *Patres Sacræ Familiæ Jesu Christi* Ab. Matthæi Ripæ Neapolitani Sinensi apostolatu clarissimi an. 1732. Vota simplicia emittunt *Doctrinarii*, sive Patres pueris, ac rudibus in Doctrina Christiana instruendis mancipati Ven. Cæsaris de Bus Galli an. 1589. quibus an. 1725. *Doctrinarii* Status Pontificii, ac Regni Neapolitani adjuncti sunt, unamque Congregationem constituunt. *Patres Missionis Sancti Vincentii à Paulo* an. 1632. *Collegiales Sinenses, Indi, aliarumque exterarum nationum* modo indicatæ Congregationis Sacræ Familiæ Jesu Christi. *Patres Congregationis S.S. Redemptoris* P. D. Alphonsi de Ligorio Neapolitani, qui ad Episcopalem Santa-gathensem Cathedram euectus, illam summa virtute, mirabili pietate, ac singulari providentia administrat. Demum *Patres Congregationis S.S. Sacramenti* P. D. Vincentii Mannarini Calabri, qui modestia, animique demissione conspicuus adhuc in vivis agit.

XIII. Plures etiam Equestres Ordines à Christianis Principibus, R. Pontificibus adsentientibus, constituti sunt, et quidem vel *Militares*, vel *Hospitalarii*. Militares, quippe qui regionum Catholicarum fines à barbararum gentium incursionibus armis defenderent; Hospitalarii, quod hospitalitem sacra potissimum loca visitantibus, infirmisque impenderent. Hujusmodi antiquitus fuere *Equites S. Sepulcrì* ejusdem custodiæ addicti, *Equites S. Lazari Hierosolymitani* curandis infirmis præcipue vero leprosis, mancipati, qui plura olim hospitalia in Regno Neapolitano, Regibus ipsis faventibus, iisdemque singulares prærogativas in-

dulgentibus, habuere: at quod Privilegiis Pontificiis contra regiam jurisdictionem abuterentur mandato Philippi II. ex consultatione Ducis Alcalensium an. 1568. hinc omnino eliminati sunt: Chioccarellus *Tom. X. Archiv. Tit. 3. Templarii*, ita dicti à Templo Domini, ad peregrinos loca sancta invisentes à prædonibus tuendos: porro hi quod divitiis, quibus adfluebant, abuterentur à Clemente V. in Concilio Viennensi, instante Philippo Pulchro Galliarum Rege, extincti sunt. Equites *Theutonici* in Germania, *Sacri Milites Christi* in Lusitania, Equites *S. Stephani* in Hetruria, et Equites *SS. Mauritii, et Lazari* in Sabaudia: tum in Hispaniis sæculo XII. Maurorum incursionibus oppositi sunt, 1. Equites *S. Jacobi de Spatba* an. 1175. 2. *Calatravenses* an. 1158. ac 3. *Alcantarenses* 1176. Horum trium Equestrium Ordinum sæculo XV. exeunte Reges Catholici administrationem, ac magnum Magisterium Bullis R. Pontificum, ac præcipue Innocentii VIII. nacti sunt. Demum in Regno Valentiae sæculo XIV. Ordo *Montesiae* institutus est, ac in locum extincti *Templariorum* Ordinis suffectus: P. Floresius in *Clavi Histor. Regni Hispaniae Sæc. IX. XII. et XIV.* Vides modo laudatum Philippum Bonannum.

XIV. Porro inter reliquos semper emicere Equites Rhodii, sive Melitenses æque Hospitalarii, ac Militares, quum et in Nosocomio S. Joannis Baptistæ mirabili liberalitate, et charitate infirmis ministrent, et simul peregrinos mari iter agentes adversus Turcarum impetum, armis propugnent. Ipsi Rhodio ejectis Melitensem Insulam elargitus est Carolus V. Imperator an. 1530. unde Rhodii, et Melitenses dicti.

(\*\*) XV. Inter Equestres autem Ordines, quorum alumni nullis se monasticis votis adstringunt, sunt, *Ordo B. M. V. Adnuntiatæ* ab Amedeo VI. Sabaudiae Duce: *Velleris Aurei* à Philippo Bono Brabantiae Duce an. 1430. *Sancti Spiritus* ab Henrico Galliarum Rege an. 1579. &c. (\*)

XVI. At qui hic sine piaculo recensere, omiserim Regium Equestrem ordinem *S. Januarii*, quem an. 1741. Carolus Borbonius olim Rex noster, nunc vero Hispaniarum Monarcha Pius, Inclitus, Felix, Neapoli instituit, singularibusque prærogativis decoravit; præcipue vero se, suosque Successores ejusdem Caput, et Primatem constituit ad Reli-

gionis Catholicæ tutelam, et propagationem, Christianæque pietatis incrementum? Eundem pluribus privilegiis exornavit Benedictus XIV. Pont. M. Litteris Apostolicis datis in forma Brevis die 30. Junii ejusd. an. 1741.

(\*\*) XVII. Singulari dein D. O. M. beneficio ad amplissimum Hispaniæ nostræ Regnum hæreditario jure moderandum translatus, pro sua erga Religionem Christianam pietate, constituta *B. M. V. sub Immaculatæ Conceptionis Mystero* Hispaniarum, Indiarumque Patrona, restitudo ad hujus festi sollemnitatem celebrandam vetustissimo officio concinnato per *Leonardum Nogarolum, Presbyterum Veronensem, Protonotarium Apostolicum, Artium, et Sacræ Theologiæ Doctorem famosissimum*, uti legitur in Breviario Romano edito Venetiis an. 1514. et quo quidem omnes fere Hispaniarum Ecclesiæ quondam utebantur: Quid reliquum erat? Hoc unum. Illustrem Equestrem Ordinem Hispanum *Caroli III.* in honorem ejusdem Mysteriorum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ institui die 19. Septembris an. 1771. seque, et Successores suos ejusdem Ordinis Præfectos, ac Indiarum Patriarcham Antistitem nominavit. Equitibus insuper peculiarem Ordinis vestem, ac tesseram Crucis aureæ, Immaculatæ Conceptionis Imagine in ejus medio sculpta, designavit. (\*)

XVIII. Demum Paternæ Religionis æmulator Ferdinandus IV. utriusque Siciliæ Rex, (quem Deus sospitet semper, maximisque cumulet beneficiis) ordinem *S. Georgii*, sive Constantinianum antiquitate, ac prærogativis jam celebrem, cujus Magnum Magisterium, ac regimen hæreditario jure sortitus est, an. 1768. Neapoli instauravit, constituto Antistite, eidemque, ac Equitibus Ecclesiâ, Ædibus, ac insigniis adtributis.

*Monachi antiquitus in censu Laicorum habiti.*

XIX. Et sane Monachi homines erant ad vitam solitariam obligati, non nisi in Eremitis, vel desertis locis degentes, ubi contemplationi, et pœnitentiæ exercitiis addicti, nullius nisi suæ ipsorum animæ, curam gererent. At vero Clericos in Villis, et Civitatibus versari oportebat, ut ibi in fidelium ædificationem Ecclesiasticas functiones obire possent. Accedit, quod

quod ex Canonum præscripto Clericus ordinandus non erat, nisi loco, sive titulo in Ecclesia, cui ipsi inserviendum esset, designato. Qui igitur simul stare poterat vita clericalis, et monastica, quin potius una alteri omnino opposita videbatur. Ad rem Hieronymus Ep. 55. ad Riparium: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium: alia Monachorum est causa, alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor.* Conc. Chalcedon. haud semel Monachos à Clericis distinguit, illosque laicis adnumerat.

XX. Verum in eo Monachi ceteris laicis præstitisse videntur, quod quum pietate, ac doctrina emicuerint, ubi justa aliqua causa postulante ordinandi essent, per inferiores ordines ad sacerdotium celerius, quam alii, adscenderint. Id ex Gelasii P. *Epist. ad Episcopos Lucaniæ* colligitur.

XXI. At vero non deerant causæ, ob quas Monachos ad sacros ordines promovere tum permissum esset, tum et aliquando expediret. 1. Ubi monasterium longe ab Episcopali, et Parochiali Ecclesia distaret. 2. Ubi monasteria nimis ampla essent, quæ licet oppidana, suos tamen habebant Presbyteros. Eutyches hæreticus non modo Archimandrita, sed Presbyter etiam sui Monasterii Constantinopoli erat: *Liberatus Breviar. cap. XI. 3.* Episcopi aliquando inter Monachos quosdam seligebant, quos in Ecclesiæ ministerium adsciscerent. Monasteria namque propter bene institutam in pietate, et doctrina educationem, veluti Ecclesiæ semina-ria haberi cœperunt. 4. Denique nonnunquam accidit, ut Episcopus aliquis, et universus ejus Clerus monasticam vivendi rationem præoptarent, rebus suis propriis omnibus sponte renuntiantes, et omnia ad priscae Ecclesiæ sub Apostolis exemplum in commune conferentes. Hanc vivendi rationem Eusebius in Ecclesia Vercellensi, et Augustinus in Ecclesia Hipponensi cum suis Clericis tenuere. (\*\*). In Hispania jam inde à sæculo iv. exeunte nonnulli Monachorum ad clerum adsumi cœpere: *Siricius Papa Epist. ad Hicmer. Cap. XIII.* At non videntur hi Monachos exinde perstitisse, immo semel ordinatos, deposito Monachatu, *Clericorum Officiis aggregari*, ut verbis utamur ejusd. Siricii. Unde Gregorius M. ad Lateran. Concil. in *Decret. pro Monachis nigris,*

gris, decrevit, ut quisquis ex Monasterio ad Ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec potestatem aliquam, nec libertatem habeat habitandi. Id quod repetit in *Epist. ad Marinian. num. 15.* alias 18. Idem videtur innuere Synodus Tolet. IV. *Can. LIII.* alias *LII.* Monachi enim non in Monasterio, sed in *Civitatibus*, aut in *Parochiis*, ubi monastica vita consistere non poterat, ordinabantur: Syn. Agathen. *Can. XXVII.* (\*) Postremo Mendicantes, quum ex proprio instituto antiquæ monachorum vivendi rationi actuosam, et pro fidelium salute vigilem quoque vitam conjunxerint, hinc jam inde ab sua ipsorum origine in *Fratres Clericos*, et *Fratres Laicos* sic dictos *Conversos* distincti sunt. Id quod potiori jurè de Clericis Regularibus intelligas. (\*\*) Ex refectione à Monasteriis labore manuum prodiit hoc discrimen inter Fratres dominos ad chorum deputatos, et laicos ad opera manuum exercenda: id quod primo fertur invexisse S. Joannes Gualbertus: Fleurius *Hist. Ecol. Lib. XXI, num. 4.* (\*)

*Regulæ ad vitam monasticam pertinentes.*

XXII. Primum eas leges juvat explicare, quæ Monachorum respiciebant admissionem: ac primo id semper cavendum fuit, ne Ecclesiæ, vel Republicæ inde detrimentum sequeretur: quàmòbrem vitam monasticam amplecti vetabantur

1 Curiales, nisi possessiones suas cum iis partirentur, qui loco ipsorum publica patriæ, curiæque munia subirent: *Leg. LXIII. Cod. Theod. de Decurionibus.*

2 Servi, nisi Dominorum suorum voluntas accesserit: id quod leges æque Ecclesiasticæ; (\*\*) Conc. Chalced. *Canone IV.* (\*) ac civiles semper præscripserunt: *Novell. XII. Valentiniani III. ad calcem Cod. Theod.*

3 Mariti, et Uxores sine mutua utriusque partis concessione: Paullinus *Ep. 14. inter Epist. Hieronymi.* Unde Paullinus ipse, ejusque conjux Thiresia, bona sua (quæ amplissima erant) ex communi voluntate pauperibus erogarunt, atque ita mutuo consensu monasticam vitam amplexati sunt. (\*\*) Sunt tamen qui de Monachatu Paullini dubitent, et non levi fundamento. De Therasia fatentur, ex uxore factam esse

esse

esse sororem, at non ideo Monialem dici patiuntur, nisi pro sorore idem intelligas ac Sanctimonialis, sicuti perperam persuasum est auctori vitæ ejusdem Paullini, adjectæ ejus operibus edit. Pariensis an. 1385. (\*)

4 Filii, nisi prius petita parentum suorum venia: Basilii *Reg. Maj. Quæst. XVI.* Verum parentibus semper inculcatum est, ut sinerent suos liberos volentes Monachos, vel Clericos fieri. Conc. Gangren. *Can. XVI.* et *Leg. LV. Cod. de Episcopis.* (\*\*). Sed invaluit quondam ea disciplina, quod parentes filios adhuc teneros Monachatui perpetuo manciparent: Syn. Tolet. IV. *Canone XLIX.* alias *XLVIII.* quæ parentum licentia ad decimum ætatis annum contracta est à Syn. Tolet. X. *Can. VI.* (\*)

XXIII. Professionem quod spectat, profecto ut quis licite, ac valide profiteatur duo præcipue requiruntur; nimirum legitima ætas, et prævium tyrocinium. Ætas legitima antiquitus erat quatuordecim annorum in maribus, et duodecim in fœminis: *Cap. 2. et 3. de Regularibus.* Ubi stricta admodum esset regula, ætas requirebatur annorum octodecim: *Cap. 6. eodem.* Sed ex Trident. Sess. xxv. de Regularib. *cap. 15. in quacunque Religione tam virorum, quam mulierum professio ante decimum sextum annum expletum* emissã nulla est, nullamque inducit obligationem. Qua de re minime improbanda illorum Ordinum instituta, quæ majorem exigunt ætatem. (\*\*). Immo laudandus est Carolus II. Rex Catholicus, qui de Supremi Senatus consilio constituit, postulandum sibi esse à Rom. Pontifice, ut viginti annorum ætatem in Regularem professionem emissuris requirendam esse decerneret: Videsis *Sanct. IV. cap. 26. Tit. I. Lib. IV.* vulgo *Autos Acordados.* (\*)

XXIV. Tyrocinium, seu novitiatus semper professionem anteire debuit. Monachi Orientales, et præsertim Ægyptii trium annorum probationem requirebant: Sozomenus *Libro III. cap. 13.* Quod institutum Justinianus servandum decrevit: *Novell. V. cap. 2.* Gregorius M. ad biennium tyrocini tempus redegisse videtur *Lib. VIII. Ep. 23.* At S. Benedictus unius anni probationem præscripsit in sua Regula: quam omnes pæne secutis temporibus Monachi Occidentales adoptarunt. Eandem quoque Tridentinum constituit *ibid.*

Porro Ordinum instituta, quæ longius præscribunt experimentum, tantum abest, ut infirmaverit, quin potius firmaverit magis. Postremo, ut Professio valida sit, nulla tyroni vis, metusve nullus injiciendus est. Quis enim consensu violenter extorto ad perpetuum, durissimumque vitæ genus adigi quis poterit?

XXV. Igitur Religiosus professionem suam legitime impugnavit vitio vel nullitatis, vel extorsionis. Verum post lapsum quinque annorum audiendus non est. Neque intra quinquennium auditur, si habitum mutavit, aut proprio motu monasterio excessit, quo casu Apostata habendus est: *Trid. Sess. XXV. de Regularib. cap. 19.* Episcopus ergo adeundus est, qui post causam cognitam contra vota eum restituat in integrum. Tum non nisi vis, aut metus, qui hominem constantem vincere potest argumentis evidentibus probandus legitima erit hujusce restitutionis causa: (\*\*\*) *Can. VI. Causa 20. Q. III. et Cap. 1. de his, quæ vi, metusve &c. (\*)*

XXVI. Monachi in semel suscepta monastica Regula perpetuam ducere vitam adiguntur. Verum sæculo XII. mos primum invaluit, qui dein veluti in regulam evasit; scilicet ut à laxiori ad rigidiorum Ordinem, haud vero è contrario, transitus monachis permissus censeretur: quam postea Tridentinum probasse videtur: *ibid.* Porro Mendicantes omnes, nisi cum Pontificis venia, in alium, præter Carthusianum Ordinem, se recipere nequeunt: *Extr. I. de Regular. inter Comm.*

XXVII. Monachi ex primigenia institutione perpetuis pœnitentiæ exercitationibus addicti; unde illud Hieronymi Ep. 55. ad Ripar. *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Eodem intuitu jam inde ab IV. exeunte sæculo, uti supra *Tit. XXVIII.* observavimus, Tonsura, quæ proprium pœnitentium insigne erat, usi sunt. Tum labore manuum victum sibi parabant, ne aliis oneri essent, animasque suas ab Diaboli tentationibus incolumes custodirent; ac plerumque non in civitatibus, sed in desertis, remotisque secessibus monasteria olim ædificari consuevere: Hieronym. *Ep. IV. ad Rusticum.* Postremo ex Conc. Chalcedonens. *Can. IV.* Monachi vetantur *ecclesiasticis, civilibusque negotiis communicare*, quippe qui debeant *quietem diligere, et*



*intentos esse tantummodo jejunio, et orationi, in locis, quibus renuntiaverunt sæculo, permanentes: (\*\*)* et civilibus præsertim negotiis nisi propriis Monasterii, et de Abbatis licentia: Syn. Tarracon. *Can. xi.* Id quod decrevit Carolus Rex noster Decr. 23. Novembris an. 1760. et 4. Augusti an. 1767. (\*)

XXVIII. Innocentius III. *Cap. 6. de Statu Monachorum, et Canonic. Regul.* præcipuas complectitur monasticæ vitæ Leges: scilicet ne quis Monachorum lineis camisiis uteretur, nec proprium aliquo modo possideat; perpetuum in oratorio, refectorio, et dormitorio silentium observare, ab esu carnis abstinere, commissa ab Abbate monasterii officia demisse suscipere, ac fideliter obire, orationi intentum esse, &c. At vero Regularium omnium status potissimum in triplici Castitatis, Paupertatis, et Obedientiæ voto constitutus est, quæ antiquitus duntaxat simplicia erant, at postea sollemnitate ab Ecclesia adjecta, sollemnia evasere.

XXIX. Votum Obedientiæ, quod Regulares emittunt, non in eo tantummodo positum est, ut Superiori in iis, quæ Monasterii regimen spectant, demisse pareant: at præterea perfectam suimetipsius abnegationem postulat, omnigenamque à Superioris voluntate dependentiam. *Prima apud eos confederatio erat, obedire majoribus, et quidquid jussissent, facere:* Hieron. Epist. XXII. ad Eustochium cap. 15. Porro tria potissimum in monastica obedientia requirit S. Benedictus: *Reg. Benedict. cap. 5.* nimirum, ut *sine mora, non tepide, et cum bono animo* monachi suis pareant Superioribus: scilicet non ex timore, sed ex charitate, et amore perfectionis.

XXX. Votum Castitatis non modo severam ab omni carnali impuritate abstinentiam Monachis indicit, quæ Christianorum communis est, verum et Monachos à nuptiis arceat. Profecto si quæ unquam virtus in Monachis elucere debet, ea profecto est Puritas. Quorsum enim perpetuæ pœnitentiæ exercitationes, frequentia jejunia, perennis rerum coelestium meditatio, assiduæ preces, nisi ut puritatem, quæ homines magis Angelis accedunt, integram in anima custodiant? Etiam Esseni, et Therapeutæ apud Judæos ab mulieribus abstinebant, quippe qui *virtutis*

*exercitationi* ex proposito addicti. Porro, uti modo observavimus, temporis progressu Monachorum matrimonia, quæ duntaxat illicita erant, etiam nulla facta sunt: id quod in Synodo (\*\*\*) Lateranensi (\*) an. 1139. primum sancitum censet Espenius *Part. II. Tit. XIII. cap. 4. n. 8.* (\*\*\*) deinceps à Trident. confirmatum *Can. IX. Sess. XXIV. de Ref. Matrimonii.* (\*)

XXXI. Porro reliquis votis illud Paupertatis semper difficilior habitum est, quod eo non modo quodcumque rerum dominium, sive proprietas, sed etiam ususfructus jurisque usus monachis interdicitur; nullusque suum quidquam habeat, sed omnia ex Abbatis nutu communia sint, uti mos fuit primitivæ credentium multitudinis: *Act. Cap. II. et III.* Quinimmo nec Abbatis quidem, atque adeo neque Summi Pontificis venia poterit quis qualemcumque sibi tribuere proprietatem, ita hujus abdicatio regulæ monasticæ adnexa est. Si quis autem sibi proprium aliquid, invito, vel inscio Superiore detinere auserit, fracti voti reus utriusque suffragii jure ad biennium privabitur; tum et pro transgressionis gravitate depositione ab officio, ejectione è monasterio, aliisque poenis multabitur: ac demum moriens, nisi res omnes numerato dimiserit, sepelietur extra commune cœmeterium: *Cap. 4. de Statu Monach. Tridentinum Sess. XXV. de Regularib. cap. 2.* Jam vero hæc dicta de proprietate regularibus vetita, de eorundem monasteriis, et conventibus ne intelligas, nisi fuerint Cappuccinorum, et Minorum Observantium, quibus nec etiam in communi possidere jus est: *Trid. ibid. cap. 3.* reliqua vero statos redditus possident: unde qui in his profitentur ad legitimas hæreditates admittuntur: *Leg. LVI. §. 1. Cod. de Episc. et Cleric.* easque adquirunt monasterio.

XXXII. Postremo præter hæc dicta tria præcipua monasticæ professionis vota, non desunt Regularium Instituta, quæ peculiaria quædam alia emittunt. Ita Trinitarii, ac Mercenarii redimendis captivis voto se adstringunt: Fratres Charitatis S. Joann. de Deo infirmorum in hospitalibus ministerium vovent: Clerici Regulares Ministri infirmorum animam agentibus, etiam peste grassante, ex voto præsto sunt; uti quoque Cler. Regul. Scholarum Piarum insti-

tituendis in pietate, ac litteris rudibus, ac puerulis voto se dedunt. Tum et Somaschi orphanis ad pietatem, litteras, artesque mechanicas informandis ex suo ipsorum instituto addicti. Minimi S. Francisci de Paula, nisi graviter ægrotent, victu duntaxat esuriali utuntur. Sinenses, Indi, aliique ex exteris nationibus adsciti in Collegium modo recensitæ Congreg. Sacræ Familiæ Jesu Christi expleto tyrociniò apud Congregationis Superiorem Deo vovent, 1. se paupertatem, et 2. obedientiam servaturos; tum 3. sacros ordines suscepturos, ubi id Superiori expedire videatur; deinde 4. se animo paratos esse, ut ad Orientales plagas proficiscantur, ibique vel propriæ vitæ discrimine Christianis mysteriis Ethnicos imbuant, ac tandem 5. ulli Congregationi, sive Collegio, quodcunque illud sit, in posterum haud se nomen esse daturus. Iisdem quinque votis se obstringit quicumque in eadem Congreg. degens in hoc Collegium cooptari voluerit. Hæc votorum emissio bis à Clemente XII. adprobata fuit Litteris Apostolicis editis in forma Brevis die 7. Aprilis an. 1732. et 22. Mart. 1736. Equestres demum Militares Ordines tuendæ armis religioni voti fibula se obstringunt.

*De Abbatibus, aliisque Monachorum Præpositis.*

XXXIII. Ut Monachi sui Instituti munia facilius obirent, plerumque Monasteria plures, ac diversas in classes partita, iisdem idonei Antistites præpositi sunt. Deni Monachi uni cuidam parebant, quem *Decanum* vocabant; et centeni alium quendam sibi præpositum habebant, inde *Centenarium* dictum. Præter hos erant quoque Patres plerumque hæbraico vocabulo *Abbat* dicti; et *Hegumeni*, hoc est Duces: dicti quoque *Archimandritæ* à *mandra*, sive ovili; quod essent horum sacrorum in Ecclesia gregum custodes sive ductores.

XXXIV. Abbatum summa erat potestas, (\*\*\*) sed precaria à Diœcesanis Episcopis: (\*) ad ipsos enim spectabat, 1. Divinorum Officiorum administratio. 2. Disciplinæ monasticæ directio. 3. In Monachos ab officii sui præscripto deflectentes animadversio, ac pœnis cum corporalibus, tum spiritualibus coercitio. Pœnæ spirituales erant Censuræ Ec-

clesiasticæ, præcipue vero Eucharistiæ, sacrorumque omnium interdictio. Pœnas corporales duplicis fuisse generis indicat Cassianus *Coll. II. cap. 16.* nimirum plagas, et expulsionem: tum *ibid.* crimina, ob quæ ejusmodi pœnæ infligi consueverint, sigillatim enumerat.

XXXV. Ad Concilia quoque haud raro invitabantur Abbates, atque adeo sedendi, ac suffragium ferendi prærogativa donabantur æque ac Presbyteri. Sic in Concilio Cpolitano sub Flaviano an. 448. viginti tres Archimandritæ cum triginta Episcopis Eutychetis damnationi subscripserunt.

*Monachi Civitatis Episcopo subjecti.*

XXXVI. Quanta vero cunque fuerit Abbatum potestas, semper tamen Episcopi jurisdictioni subjiciebantur. Sanctissimis enim illis monasticorum Institutorum auctoribus nefas visum est ab Episcopali potestate omnium maxime in Ecclesia divinitus constituta immunitatem adfectare. Unde Concilii Chalcedonensis *Can. iv.* tria sanciantur: 1. Nullum omnino ædificandum, aut constituendum monasterium præter conscientiam civitatis Episcopi. 2. Monachos per unamquamque civitatem, et regionem subjectos esse Episcopo, et quietem diligere. 3. Episcopum convenire civitatis competentem monasteriorum providentiam habere. Hæc Synodica Sanctio legibus imperialibus firmata fuit: *Novella CXXIII. (\*\*)* cap. 34. et 36. et *Novella CXXXIII. cap. 4. et 6. (\*)*

XXXVII. Eadem quoque per Occidentem viguit disciplina. Id patet ex pluribus, variisque per ea tempora habitis Conciliis: uti Aurelianensi I. *Can. XXI.* Aurelianensi II. *Can. XXI.* Epaonensi *Can. VIII. et XIX.* &c. ac præsertim Concilium Arelatense V. generaliter definit, ut *Monasteria, vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta. (\*\*)* Consonat Syn. Ilerdensis *Can. III.* et Oscensis an. 598. *Can. I. (\*)*

XXXVIII. Verum secutis temporibus paullatim Monachi ab Episcopali potestate exemptiones obtinere conati sunt. Ac primo quidem vi. sæculo monachis indulta tantummodo est exemptio ab Episcoporum exactionibus, ac libera Abbatibus

tis tributa est electio. Ejusmodi immunitatem pluribus monasteriis Gregorius M. indulsit : *Lib. VI. Ep. 12. et Lib. VII. Epist. 15.* at expresse *Episcopis diligentia disciplinæ*, hoc est canonica auctoritas reservata est. Hoc enim intuitu Concilia ad annum usque millesimum celebrata monachos Episcopis subditos repræsentant. Concilium Vernense an. 755. *Can. III. et V.* hæc habet : *Unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia tam de Clero, quam de Regularibus, vel Sæcularibus ad corrigendum, et emendandum secundum ordinem canonicum spiritalem.* Similia habent Synodi Moguntinum *Can. XI. XII. et XXI.* Parisiense an. 829. *Can. XXXVII.* Aquisgranense an. 836. *Can. I. et II.* Videsis Thomass. *P. I. Lib. III. cap. 27.* quinimmo ut idem Auctor observat *ibid. Cap. 28. et 29.* etiam post annum Christi millesimum eadem viguit in Ecclesia disciplina; adeo ut neque ipsa Sedis Apostolicæ tutela, qua monasteria gloriabantur, monachos ordinariæ Episcopali potestati subduxerit : *Cap. 3. de Privilegiis.* Igitur si quæ occurrunt Monachis per ea tempora indulta privilegia, de temporalium potius cura intelligenda sunt, quam de canonica, et interiori disciplina. (\*\*\*) In Hispania à sæculo X. amplissimam, et qua major excogitari nunquam posset exemptionem assequi cœperunt Monachi, si vera sunt privilegia, quæ Tom. IV. inseruit Card. de Aguirre. Verum non ideo Concilia nostra cessarunt eos ad primigeniam subjectionis legem revocare : Syn. Legionens. an. 1012. Cojacens. an. 1050. *Can. II.* sed deinceps pæne nulla jam avitæ Episcoporum potestatis in Regulares vestigia deprehendimus. (\*)

XXXIX. Porro negandum non est jam inde ab sæculo XII. monachos avidè ab Episcopali auctoritate, etiam quod ad spirituale regimen exemptionem aucupari cœpisse. Quam fuerit ab hac aviditate abhorrens S. Bernardi animus satiliquet ex ejus Epistolis, ac præsertim ex *CLXXX. ad Innocentium II.* In ea de Abbate S. Maximini Trevirensis graviter conqueritur, quod, ut effugeret sanctissimum Alberonis Archiepiscopi studium in repurgando suo monasterio, patronos Romæ potentissimos nactus sit, et suorum confirmationem privilegiorum. Tum *Epist. XLII.* in Abbates sui sæculi incredibili studio, atque ardore invehitur, quod *quum*

ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi patientur, ipsi propriis obedire contemnant Episcopis. Similia habet *Lib. III. de Consid.* At quæcunque fuerit hac in re Bernardi sententia, illud profecto constat sæculo XII. fere singulos Ordines, et monasteria omnia *plenas* obtinuisse exemptiones; scilicet, ut non modo ab Episcopalibus eximerentur exactionibus, decimis, procurationibus, cathedralico, synodatico &c. Verum et quod ad temporalium bonorum administrationem, ac spirituale monachorum regimen Episcopi subducerentur potestati. Ipsimet Fratres Minores, quorum Institutor S. Franciscus omne prorsus aversatus fuerat exemptionis privilegium, eadem monachorum suæ ætatis cupiditate acti sunt. Verum, uti ad rem observat Baronius ad an. 1176. istuc *gratum non fuit S. Francisco, sed fratris Helicæ hominis non divino spiritu, sed carnis prudentia nitentis fuit opus.*

XL. Non vacat hic causas rimari, cur Monachi, ut ab Episcopi potestate eximerentur, tantopere laborarint. Gravis ne, et exorbitans Episcoporum in monachos dominatus impulit, an potius (quæ S. Bernardi uti modo observabimus, sententia est) nimia bonorum temporalium affluentia? Ajunt enim hinc factum esse, ut in laxationem disciplinæ, morumque dissolutionem abeuntes propriis obedire Episcopis fastidiverint, non tam ut appetentes libertatem, quam ut fugitantes disciplinam: Bernardus *Epist. CLXXX.* Addunt et illud, scilicet ejusmodi exemptionum privilegia plura, eademque gravia in Ecclesiam mala invexisse: nec id mirum subnectunt: illis enim adeo ecclesiastica turbatur hierarchia, ut S. Bernardus *Lib. III. de Consid. cap. 4.* monstro similes esse dicat ecclesiasticorum graduum status, qui à superioribus divisi Capiti *à quibus immediate* conjunguntur, haud secus ac si digitus non proxime manui, sed capiti adnecteretur. Quamobrem haud semel factum est, ut Concilia, et Patres de iisdem vel abolendis, vel duntaxat temperandis cogitaverint. Abolere prorsus *adventum impossibile*, temperare vix aliquando, ac ne ipsis quidem Tridentinis Patribus prorsus feliciter successit. Abs re igitur non erit hic potiora Regularium exemptionibus moderandis sancita Tridentina decreta recensere.

Ac 1. Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus Monachos extra claustra degentes visitet, eosdemque si deliquerint, puniat, et corrigat: *Sess. VI. Ref. cap. 3.*

2 Monachi intra claustra degentes, et extra ea notorie delinquentes, ut populo scandalo sint, à suis Superioribus instante Episcopo, et intra tempus ab eodem præfigendum, severe puniantur, Episcopo de jam facta punitione admonito: sin minus à suo Superiore officio priuentur, et in delinquentes animadvertere Episcopi jus esto: *Sess. XIV. de Reg. cap. 14.* Tum à Clemente VIII. adjecta est Superioribus Regularibus indicta prohibitio, monachos delinquentes in alia suorum Ordinum monasteria extra Diœcesim ablegandi: *Bulla Suscepti regiminis XXXIX.*

3 Ecclesiæ Regularium, quibus cura animarum adnexa est, ab Episcopis quotannis visitentur, iisdemque in omnibus curam animarum spectantibus prorsus pareant: *ibid. cap. 11.*

4 Monasteria Monialium Sedi Apostolicæ immediate subiecta ab Episcopis delegata potestate gubernentur: *Sess. XXV. de Regularibus cap. 9.* Tum *ibidem cap. 5.* omnium etiam exemtarum monialium clausura Episcopis apostolica auctoritate commissa est.

5 Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia ab Episcopis, etiam auctoritate apostolica, annis singulis lustrentur: ea vero, in quibus regularis viget observantia, quæ tamen ab debita vivendi ratione nonnihil deflexerint, Episcopis tum demum invisere, ac repurgare licebit, postquam eorundem Superiores de necessaria restauratione admoniti, illam intra sex menses adgressi non sint: *Sess. XXI. Ref. cap. 8.*

6 Monasteria exemta, quæ neque Concilio Provinciali decernente, neque Metropolitano instante, sese in congregationes erexerint, Episcopis, in quorum Diœcesibus sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis subdantur: *Sessione XXV. de Reg. cap. 8.*

7 Regulares Fidelium confessiones non audiant, nisi prius ab Episcopis adprobationem, et veniam obtinuerint: *Sessione XXIII. Reformat. cap. 15.* (\*\*). Quinimmo neque etiam Sanctimonialium eorum curæ subjectarum: *Constit. Apostolici Ministerii §. 20. et Bened. XIV. Pastoralis Officii §. 8.* (\*)

8 Adhæc neque in suis Ecclesiis *contradiçente Episcopo*, neque in Ecclesiis non suorum Ordinum, nisi prius impetrata ab Episcopis facultate, prædicare præsumant: *Sessio- ne xxiv. Reformat. cap. 4.*

9 Denique in censuris, et interdictis Episcopo mandante evulgandis, ac servandis diebus festis, eorumque ritibus custodiendis, aliisque exteriorem, ac publicam divini cultus politiam spectantibus, Regulares quacunque exemptione muniti Episcopis omnino pareant: *Sess. xxv. de Regul. cap. 12. (\*\*)* Unde Episcopi possunt ad Cæremonialis et Ritualis rubricas servandas Regulares cogere: *Constitut. Apostolici Ministerii §. 22.* Abusiones, quæ forte in Missarum celebratione irrepsèrint, corrigere: §. 23. *ejusd. Constit. Quocirca nequeunt S.S. Sacramentum cum sollemnitate exponere sine licentia Ordinarii: S. R. Congreg. 26. Febr. an. 1628.* Neque etiam *Apostolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsaverit, campanas in Ecclesiis suis pulsare.* Leo X. die 19. Decembris an. 1516. in Lateran. V. *Sess. xi.* Postremo Episcopi curare tenentur, ne in privatis Regularium Cellulis Altaria erigantur, contraria derogante consuetudine præf. *Const. Apostolici Ministerii §. 24.* Quia et Carolus II. de Senatus Supremi consilio decrevit, exorandum sibi esse à Rom. Pontifice, ut renovare dignaretur Constitutionem Clementis VIII. an. 1602. qua sancitum erat, ut nullus ad Regularem adsumeretur Professionem, sine obtenta à Diocesano approbatione; quo præfata Constitutio ad exactam in his Regnis observantiam reduceretur: *Addes Sanct. IV. n. 26. Tit. I. Lib. IV. vulgo Autos Acordados. (\*)*

XLI. Sæculo xiv. Archiepiscopum Neapolitanum peculiarem quandam Monachorum curam egisse liquet ex Constitutionibus Synodalibus Jo. Ursini Archiep. Neap. editis circiter an. 1330. quarum n. L. sic habet: *Volentes, ut Monachi, qui relictis mundanis illecebris, elegerunt in Religionis habitu in arce contemplationis Domino famulari, à quibuslibet deviis præserventur; statuimus, et ordinamus, quod nullus Monachus civitatis, vel Diocesis Neap. egrediatur de monasterio, nisi forsitan egrediendi iusta, ac rationabilis caus-*



sa fuerit; quo casu committimus, quod egrediatur associatus uno alio Monacho ejusdem monasterii, incedentes cum cucullis, et ad loca honesta tantummodo accedentes, ac de sui Abbatis impetrata licentia, vel obtenta. In contemptorem vero quemlibet in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus.

De Sanctimonialibus.

XLII. A primis usque sæculis Virgines in Ecclesia fuisse, qui sese christiano ritu Deo sacrabant, discimus ex S. Cypriano, Tertulliano, aliisque antiquis Patribus, qui de Virginibus, qui sese Christo dicarint, loquuntur. Hæ vel parentum custodiæ ab Episcopis commendabantur; vel parentibus destitutæ gravissimarum fœminarum curæ committentur in communibus ædibus ipsis deputatis: Conc. Carthag. III. *Can. xxxiii.* Quæ quidem communes Virginum ædes in Sanctimonialium monasteria tandem evaserunt, quarum origo cum origine Monachorum complexa est. Nam Rufinus sæculi iv. Scriptor *de Vitis Patrum Lib. II. cap. 3.* refert in una Urbe Oxyrinchi plura fuisse monasteria, quam domus, et ibi sacrarum Virginum immortalis signo desponsarum viginti millia fuisse. Dictas *Sanctimoniales* à sanctimonia auctor est Augustinus *de S. Virginitate cap. ult.* Eas Hieronymus *Epist. xxii. ad Eustochium cap. 6.* voce ægyptiaca vocat *Nonnas*, quod *Monachas* significat. Iisdem regulas præscripserunt S. Augustinus, S. Cæsarius Arelat. S. Benedictus, S. Franciscus, &c.

(\*\*) XLIII. Fuerunt quidem et in Hispania ante sæculum iv. complures Deo dicatæ Virgines, quæ dicebantur ut plurimum *Virgines Deo dicatæ*, vel *sacratæ*: Syn. Illiber. *Can. xiii. et xxvii.* tum et *Devotæ*: Tolet. I. *Can. xvi.* et simplici vocabulo *Professæ* *Can. ix. ejusd.* non raro *Puellæ Dei.* Tolet. I. *Can. vi.* Omnem istarum Virginum vivendi methodum pulcherrime describit Prudentius *Carmine contra Symmach. Præf.*

*Sunt et Virginibus pulcherrima premia nostris,*

*Et pudor, et sancto tectus velamine vultus,*

*Et privatus honor, et nota et publica forma,*

*Et raræ, tenuesque epulæ, et mens sobria semper,*

*Lexque pudicitiae vitæ cum fine peracta.*

Unde istæ potiorem temporis partem domi persistebant, ut orarent, jejunarent, manibus operarentur; et raro se conspiciendas offerrent etiam in templis. Hieron. *ad Læt. et Eus. liboc.* Induebantur vilibus vel pœnitentiæ vestibus, et velamine vel nigro, vel purpureo contegebant caput: Syn. Tolet. X. *Can. IV.* Sic incedebant etiam quum Episcopo velum suscepturæ se sistebant: Conc. Carthag. IV. *Can. XI.* Quocirca minime est probanda consuetudo illa, quod Sanctimonialis Candidata omnibus mundanæ pompæ lenociniis, et artificiis ad instar nuptias contrahentis adornata ante sancta se Dei Altaria sistat. In propriis unaquæque, vel in parentum ædibus habitabat: Syn. Illiberit. *Can. XXVII.* et Tolet. I. *Can. VI. et IX.* non enim visæ sunt adhuc congregationes, neque ulla monasteriorum umbra rimanda est usque ad sæculum VII. in Syn. Hispal. II. an. 619. Nullis licet detinerentur cancellis, à crebris tamen virorum, et piorum quoque confabulationibus arcebantur: Tolet. I. laud. *Can. VI. et IX.* et Hispal. II. *Can. XI.* Unde durissimis puniebantur pœnis emissum castimonie servandæ propositum transgredientes: Syn. Illiberit. *Can. XIII.* Tolet. I. *Can. XVI. et XIX.* Barcinon. an. 599. *Can. IV.* Toletan. IV. *Can. LV.* alias *LIV.* Tolet. VI. *Can. VI.* et Tolet. X. *Can. V. (\*)*

XLIV. Fuere Sanctimonialium monasteria alia quidem, in quibus perpetuo inclusæ detinebantur, alia vero, è quibus egredi fas erat. Statutum autem fuit, ut firmissimis munitiombus ejusmodi monasteria circumdarentur. Tum Bonifacius VIII. *Cap. un. de Statu Monachorum in VI.* constituit, ut moniales professæ sub perpetua essent clausura; *ita quod nulli earum religionem tacite, vel expresse professæ sit, vel esse valeat quacumque ratione, vel causa, (nisi forte tanto, et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas: (\*\*)* nulloque aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis et manifesta causa existat, ac de illius ad quem pertinuerit, speciali licentia ingressus vel accesus pateat ad easdem. Et §. 4. *Episcopis sub interminatione maledictionis ceterne mandamus, ait, quatenus in monasteriis sibi subjectis, sua, in his vero quæ ad Romanam immediate spectant*

*Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate..... de clausura convenienti providere procurent, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. (\*)*

XLV. Porro hanc Bonifacii Constitutionem non ubique statim obtinuisse tum ex pluribus constat, tum vel maxime ex Jo. Ursini Archiep. Neapolit. *Constit. Synodali XLVIII.* ubi primum abusio indicatur, qua *moniales extra sua monasteria per habitacula sæcularium personarum discurrunt*; dein ventantur æque Moniales, ac Abbatissæ quacunquẽ ratione, vel causa monasteria egredi; ac tandem præscribitur, *ut si forsan causa rationabilis egrediendi monasterium suaderet, eo casu volumus pro parte ipsarum monialium ad nos recursum haberi pro egrediendi licentia obtinenda.* Postremo Bonifacii Constitutio in Synod. Trid. *Sess. xxv. de Reg. cap. 5.* non modo renovata est, verum et Episcopis jus tributum restituendi, ubi violata fuerit, et ubi inviolata est, conservandi clausuram in monasteriis etiam exemptis; idque delegata Sedis Apostolicæ auctoritate: quæ Tridentina Constitutio ubique terrarum feliciter suum effectum sortita est.

(\*\*) XLVI. Verum in Hispania Clausuræ integritati prospiciens Synod. Vallisolet. an. 1322. *Can. XIII.* decrevit, quod *si aliqua rationabili causa bonæ, et non suspectæ personæ intrare debuerint Monasterium, de licentia illius, qui præest confabulari non liceat, nisi sub testimonio duarum, aut trium sororum, loco convenienti, et hora congrua, nec contrabant magnam moram.* Præfatam Bonifacii Constitutionem à Tridentino renovatam, confirmarunt Gregorius XIII. et XV. ac Syn. Tolet. an. 1582. *Act. III. Decret. XLII.* alias *XLIII.* Quin et Pius V. licentiam egrediendi Monialis è Clausura ad duos tantum casus restrinxit, incendii videlicet magni, et infirmitatis e. g. lepræ, aut epidemiæ. (\*)

(\*\*) XLVII. Quo ad formalem, ut ita dicamus, Clausuram provide constituit Syn. Valentina an. 1565. *Sess. II. Tit. III. cap. 19.* omnibus sub excommunicationis pœna prohibens Monialium adire monasteria confabulationis gratia: *Regulares vero, subdit, in Domino hortatur, ut ab ejusmodi monasteriorum Monialium frequentatione abstineant. Quod si admoniti non destiterint, in eos juxta Tridentini Concilii statuta procedetur.* Quod adeo verum est, ut Episcopus possit

sit sub pœnis etiam corporalibus Regulares à Monialium quomodolibet exentiarum confabulationibus avertere, et Moniales ipsas quoties sibi expedire videbitur visitare: S. Cong. Trident. apud Gallemart, et Monacelli Formul. Legale Pract. *Tit. XII. in Apend. (\*)*

(\*\*) XLVIII. Ut plenæ puellarum libertati consuleret Synod. Trid. *Anathemati subjicit omnes, si quomodocunque coegerint virginem, aut aliam quamcunque mulierem ad habitum monasticum suscipiendum*: Sess. xxv. de Regul. cap. 18. Porro præceptum parentum in filiam nimis timidam, fallaces promissiones, argutiæ, dolosa vitæ regularis reticentia &c. coactionis vim obtinent. Unde ne facile pravi homines abuti possent innocuæ puellarum ætatis, ut fortassis olim abutebantur, quum pueri utriusque sexus, teneri adhuc, Monasterio perpetuo ibi mansuri tradebantur, Synod. ipsa Trid. *ibid. cap. 15.* decem et sex annorum ætatem ad legitimam professionem præfixit. At Carolus II. *Sanct. IV. Tit. I. Lib. IV.* vulgo *Autos Acordados* viginti annorum ætatem ab Ecclesia stabilendam esse, optavit, qualem requirebat Syn. Carthag. III. *Can. vi.* quin et Cæsaraug. an. 380. *Can. vii.* quadraginta annorum ætatem in velandis virginibus necessariam constituit. Tum sanxit ead. Syn. Trid. *ibid. cap. 17. ut puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumtibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat &c. (\*)*

(\*\*) XLIX. Concil. Lateran. sub Innoc. III. *Cap. LXIV.* ægrè admodum tulit, quod Moniales pecuniam exigerent à puellis habitum suscipientibus. En verba: *Quoniam simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cetero fiat, penitus prohibemus, ut quæcunque de cetero talem pravitatem commiserit, tam recipiens, quam recepta, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur in locum arctioris regulæ, ad agendum perpetuo pœnitentiam retrudenda.* Id quod confirmavit Syn. Trident. *ibidem Cap. 16.* constituens,


tuens, quod neque ante professionem excepto victu, et vestitu novitii, vel novitiæ illius temporis quo in probatione est, quocunque prætextu monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur. Experientia tamen quum compertum sit monasteriorum bona sensim in deterius evadere, nisi ipsis de novo aliquid proveniat emolumenti, consuetudine invectum est, ut ante professionem exigatur tantum pecuniæ, quantum ejus reditus ad sororis sustentationem sufficere posse judicetur; quod et probavit S. C. Trident. 14. April. an. 1725. Sed quum ex *Cap. unic. de Statu Regul. in VI. §. 1.* Trident. *ibidem Cap. 3.* et sæpius laud. Constit. *Apostolici Ministerii §. 16.* Regularium numerus superare non possit monasterii reditus, non est una de hujus consuetudinis valore Eruditorum hominum opinio. Quæ si obtinuerit consuetudo in monasteriis bona immobilia possidentibus, non est cur in aliis, quæ ex fidelium eleemosynis pendent, toleranda sit. (\*)


(\*\*) L. Demum eadem Synodus Tridentina *ibidem capit. 10.* sanxit, ut Sanctimonialia saltem semel in mense confiteantur peccata, et Sacram Eucharistiam recipiant, atque, ut neve cogantur *semper uni homini confiteri*, ut verbis utamur Syn. Colonien. an. 1536. *Part. I. cap. 8. bis*, aut ter in anno extraordinarius deputetur Confessarius; quod quidem pro Hispaniarum Regnis confirmavit Innocent. XIII. in præf. Constit. *Apostolici Ministerii §. 21.* adjiciens, Episcoporum curæ esse, offerre Monialibus *Extraordinarium*, negligente eorum Superiore Regulari. Obstitere nonnulli saluberrimo huic Decreto, sed ad praxim nihilominus feliciter redactum est. Insuper Benedictus XIV. his Decretis suum robur adhibuit *Const. Pastoralis curæ*, id de suo subjiciens, *Extraordinarium pro Monialibus sub Regularium cura* viventibus oportere esse semel in anno vel Clericum sæcularem, vel ex diverso Ordine Regularem. Expediit ut nedum ter in anno, sed quoties opus fuerit, et pro una tantum Moniali *Extraordinarius* concedatur, quod pro articulo mortis declaravit Sacra Cong. Trid. 6. Aprilis an. 1647. *Extraordinarius*, quem non improprie vocant *Peregrinum* diversus esse debet pro qualibet vice; unde ipsis injunctum est, *ne postquam suum officium impleverint, ad idem monasterium ulterius accedere præsumant*: Bened. XIV. ead. Constit. (\*)

Si


(\*\*) LI. Si Sacrae Congregat. Decretis, si Disciplinae Ecclesiasticae rigori standum est, unus duntaxat debet esse pro unoquoque Monialium monasterio Ordinarius Confessor, unusque sufficit pro omnibus omnino uniuscujusque monasterii Monialibus, qui quidem elapso triennio removendus est. Videsis Monacelli *Form. Legale Pract. Tit. XIII. Decret. circa Commun. num. 14.* Nicol. in Flosc. verbo: *Confessarius: et Benedictus XIV. in mox cit. Constit. (\*)*


## TOMI I. ET LIBRI I. FINIS.



















L'UNIVERSITE  
 DE PARIS  
 JUSTITIE  
 CANONIC



DE  
 JUSTITIE  
 CANONIC  
 TOME  
 I



ANT  
 19

